50 D 15109

S
20/6/06
779

2448
1,358/C
H.I f
18
5 Vols
Author copy
Rare
£ 3 11 3 11 0

Ch. Eisen inv. P.F. Tardieu Scalp.

H. Brown Lowyer

# DISPUTATIONES CHIRURGICÆ SELECTÆ,

COLLEGIT, EDIDIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS PRIMUS.

D. Pelon pinx. L. Joubert orn. et Sculp. Lugd.

VENETIIS,
Sumptibus HÆREDUM BAGLIONI.

MDCCLV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

*ILLUSTRI*

ACADEMIÆ REGIÆ

CHIRURGORUM

*PARISINÆ,*

PRÆSIDI, DIRECTORI,

SODALIBUS

*VIRIS*

EXPERIENTIA, DEXTERITATE,

INDUSTRIA

EMINENTIBUS;

* * *HANC*

*HANC COLLECTIONEM*

AD

CONSERVANDA FUGITIVA

ARTIS UTILISSIMÆ MONUMENTA

*NATAM*

D. D. D.

MARCUS-MICHAEL BOUSQUET.

# ALBERTUS HALLERUS

## *LECTORI BENEVOLO.*

*Quod anno* 1752 *publice promulgavi consilium edendarum Disputationum Chirurgicarum, id nunc exsequor, prelo usus* MARCI-MICHAELIS BOUSQUET, *qui nihil reliqui fecit, quin mundissime & emendatissime hæc editio prodiret: eo purior mendis futura, quod singulas schedas non absque sumtu mihi missas ipse correxerim. Erunt autem ejusmodi disputationes, quibus vel plenæ, & accuratæ morbi alicujus chirurgici tractationes continebuntur, vel certe memoria dignæ observationes, instrumenta nova, & præsidia non vulgaria. Alias, meræ lectionis disputationes omnino omittendas censui. Deinde nolui recudi, quæ aliis collectionibus continentur, adeoque neque* PLATNERI *eruditæ theses,*

*neque* HOFMANNI *hic locum invenerunt.* HEISTERIANAS, *quæ sunt ex desideratissimis, venia prius ab* ILL. AUCTORE *accepta, non omnes quidem, aliquas tamen easque præcipuas, ornamento toti operi futuras addidimus. Tomos efficiemus aut quatuor aut quinque, aliquanto minus crassos Gottingensibus, atque nunc una duos emittimus, proxime adjecturi reliquos, uti quam ocyssime sculptor tabulas expediet. Si quis lectorum aliquas possidet, dignas conservatu, neque hic editas, eum virum exoratum volo, ut pretio adjecto aut ipsas, aut descripta exemplaria communicet; atque paupertati nostræ subveniat, si eam deprehenderit.* ANTONII *certe* FERREIN *de morbis oculi dissertationem dudum desideratam, denuo publice desideramus, quam nemo hactenus procurare potuit. Practicas inde, sed solas bonas, quantum quidem judicio valemus, istis submittemus.*

Bernæ die 20 Januar. 1755.

# DISSERTATIO
## MEDICO-CHIRURGICA

*INAUGURALIS, EXHIBENS CASUM*

DE

# VULNERE FRONTI INFLICTO;

Quam pro gradu Doctoratus defendet

JOHAN. ANDREAS CONRADI

*Osteroda - Hannoveranus.*

Lugduni Batavorum 9 Januario Anno 1722.

# HISTORIA MORBI.

Anno MDCCXIX, primo menſis Martii die ex Ducatus Grubenhagenſis quadam urbe, quæ *Oſteroda* antiquitus appellata fuit, miles quidam gregarius, ætatis 54 annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, ad conquirendum lignum in ſilvam ſe contulit; cum enim in patrio ſolo hoc beneficii genus ad omnes infimæ ſortis homines redundet, modo arboribus vivis parcant, ille, ab officio ſibi conſueto tunc temporis liber, hancce occaſionem amplectebatur. Dum vero in terra, nive ea tempeſtate non parum adhuc referta, nihil vel parum admodum reperit, altam conſcendit abietem, ut voti ſui compos citius redderetur. Indutus erat veſte viridis coloris, capitiſque partem ſuperiorem, ad arcendum frigus, obduxerat mitrâ e pellibus confectâ; in patria dicunt: *Er hatte eine rauhe mütze, oder Kappe, auff.* Tunc accedit caſu ſaltuarius, ligni curam gerens, bombardâ, ad inſequendos quadrupedes, ante infractâ inſtructus, qui, dum quidquam in arbore quod movebatur animadvertit, attente in id direxit oculos: quo viſo, tremebundus armiger in arbore ſe abſcondere conatur, atque nec corpus, nec vocem movere audet, ſed tranſitum ſaltuarii anxie expectat. (Hi enim homines, conceſſâ a Magiſtratu veniâ, omnes punire valent, quoſcunque ſecurem in vegetantes commiſiſſe arbores deprehendunt.) Hic interim nihil præter illam mitram diſtincte obſervans, cum veſtimenta ejus reliqua eundem abietis colorem viridem referrent, eam pro bruto, Martis nomine inſignito, uti quidem dixit, reputat, hujuſque amore ductus, directam in hunc miſerum bombardam explodit: ſed loco quod ſperati ſui laboris prædam reportaret, heu! in conſpectum venit, præter voluntatem, ut videtur, vulneratus miles, atque de hac illata injuria, læſoque ſibi capite vehementer conqueritur. Ille, de inopinato hocce facto perterritus, commiſſum erroneum crimen ſedulo explicat, veniamque ab eo precatur, examinatum autem caput præter dictam mitram ſtrophiolo munit, utque Chirurgo ſe committeret ſanandum, ſerio eum admonet, cujus ſalutari conſilio auſcultans, ſumta ſecure, quod mirandum certe, dimidiæ fere horæ ſpatio ab urbe diſtans nemus deſerit, utque domum reverteretur omnes intendit nervos; vix autem urbem ingreſſus, non ſine magna conjugis atque hinc inde concurrentis vulgi compaſſione, quid ſibi factum ſit gemebundus narrat, & ad ſanandum vulnus chirurgi implorat auxilium: qui ſimul ac acceſſit, capiti impoſitam mitram cum ſtrophiolo removet, vulnuſque explorat, quod eo tutius peragere potuit, cum fere nihil effluueret ſan-

guinis, qui alias chirurgum vel operantem, vel corpus vulneratum visitantem, non parum impedit. Anguem vero sub herba latitare ratus, *Parentis mei* in Patria Physici ordinarii efflagitat præsentiam, qui eo mecum sese statim contulit. Capite igitur sedulo examinato, duo oculis nostris se offerebant vulnera, quorum alterum in ossis frontis parte inferiore, duobus cum dimidio circiter a radice nasi digitis transversis, eo fere loco quo in infantibus & paucis adultis sutura sagittalis pergit, prope venam frontalem, reperiebatur. Alterum vero in ejusdem ossis latere dextro, ad os temporum spectante, ejusdem a superciliis ferme distantiæ, majoris vero momenti, advertebatur. Situs, quem læsus eo tempore habuit, ab ægroto quidem ignorabatur, pervestigatio vero specilli clare patefecit, talem eum extitisse, ut globulus directe cranium pertundere potuerit. Distantiam, quæ inter lædentem & læsum intercessit, determinare non possum, cum ipsemet præsens non fuerim, neque ex ægrotante explorare eam potuerim. Verosimile tamen est, lædentem læso non adeo propinquum fuisse, partim, quoniam duo tantum globuli militis caput attigerunt, quod fieri non facile potuisset, si ei proximus fuisset; dum globuli eo magis disperguntur, quo magis remotum est corpus quod ab homine sclopetum explodente petitur, uti hoc illis, quibus sæpe cum sclopetis res est, constat: partim, quia alias distinctius forte hominem cognovisset saltuarius. Globuli vero isti plumbei, qui solutionem continui hic effecerunt, magnitudinem pisi nondum æquabant, quorum prior saltem per integumenta capitis communia, oblique in musculum frontalem usque penetravit; quo cum aliis particulis alienis à Chirurgo semoto, vulnus justa methodo tractatum, paucis præterlapsis diebus sanatum est. Alter vero globulus in dextro latere diametraliter (pari modo ac globulus per asserem e bombarda trajicitur,) sine fissura, aut alia cranii læsione, per integumenta capitis communia, musculum frontalem, pericranium, cranii lamellam externam, diploën, cranii lamellam internam sive vitream, omnes meninges, in cerebri substantiam ipsam erat impulsus, variaque ejusdem superficiem perreptantia dilaceraverat vasa; quod exinde nobis constat, quia cum caute intromisso specillo nulla prorsus dabatur resistentia, tum illud extractum cerebri portiunculis sanguine permixtis commaculatum conspiciebatur: Ex quibus haud difficulter colligitur, quanti illud fuerit momenti. Datâ nunc historiâ morbi, ordine sequitur ipsius.

## CURA.

Simulac Chirurgus accessit, vulnus ab omnibus statim corporibus vulneri p. n. inhærentibus, quantum fieri poterat, (globulum enim ex hoc vulnere Chirurgus neutiquam eximere potuit,) repurgatum, vino calido mundificatum, ab aëre externo, ope mastichis, thuris &c. carbonibus non fumantibus injecti, puriori reddito, defensum, atque emplastro infra nominato munitum, ac debito modo deligatum fuit; deinde, ad diminuendum majorem

jorem ad has partes ſanguinis adfluxum, præcavendamque periculoſam ejus obſtructionem, & hanc excipientem inflammationem, ſanguis e Vena in brachio miſſus eſt. Quo vero cetera averterentur, quæ alias preſſo pede ejuſmodi vulnerationes inſequi ſolent, ſymptomata, nempe vomitus bilioſus, febris vulneraria, ſyncope, convulſiones, delirium, inquietudo &c. medicamenta tam externe, quam interne, ad finem curationis adnexa, propinata ſunt: injungendo ſimul regimen exactum, in gravioribus vulnerationibus neceſſarium, & obſervando VI. illas res, a Veteribus *non naturales* dictas. Quibus omnibus optatum noſtrum finem, non ſine magno ægroti gaudio, conjugiſque & percutientis ſolatio, adjuvante ſummo Archiatro, ſufficientiſſime impetravimus: nullis enim aliis vexabatur ſymptomatibus, quam anorexia, ſomni per paucas ſaltem noctes interceptione, capitiſque obtuſo dolore; febris quidem adfuit, ſed non adeo diris, ut alias ſolet, ſtipata ſymptomatis. Sic quoque abſurda pauca quandoque protuliſſe adſtantes referebant, vix autem tanti ea fuiſſe credo, ut pro delirio perfecto reputari poſſint; primum igitur gradum ejus appellare liceat. Ne autem præter intentionem noſtram, & ante omnem materiæ expurgationem, juſto citius concreſceret vulnus, emplaſtrum in turundæ formam redactum vulneri immiſſum eſt, quo in deligatione, ſæpius facta, extracto, capiteque ad terram paululum inclinato; ac ſpontanea excitata tuſſicula, vel aëris, obturatis naribus, momentanea in pulmonibus retentione, materia prioribus diebus ſubalbida, perfecte cerebrum referens, & ſanguine commixta adeo copioſe in quavis vulneris inſpectione prodiit, ut inſtrumentum digitalis nomine notum, quo netrices vulgo utuntur, commode eâdem impleri potuerit: quæ vero poſtea in pus converſa indies ad finem curationis uſque ſucceſſive minuebatur. Interim antea quidem quibuſdam laboraſſe morbis retulit, vulneratus autem & multum temporis ante hoc acceptum vulnus ſatis bene ſeſe habuit; per totum etiam morbi decurſum alvus nullo ſtimulo egebat, ſed libere reſpondebat. Sequuntur nunc ea, quæ in Cura de die ad diem a *Parente meo* præſcripta ſunt remedia; primo ſcilicet Martii die his proſpexit ei formulis: Rec. Empl. de Beton. ℥ij. D.S. [1] *Haupt-pflaſter.* quod ſuper lintea molliora extenſum Chirurgus vulneri applicuit. Rec. Rad. Pœon. ℥ j ß. Irid. Florent. ariſtoloch. rotund. ana ℥ j. Herb. Beton. Majoran. ſerpill. ana Miij. Flor. Lavend. Primul. Ver. Til. ana p. ij. Conc. & Cont. qu. op. D. S. ſpecies *zu* [2] *Hauptküſſen in wein zu kochen.* Hæ ſpecies cephalicæ & antepilecticæ inter ſacculos ex linteis mundis confectos conſutæ, & in vino coctæ iteratis vicibus capiti calide ſuperpoſitæ ſunt, magnamque exhibuere efficaciam. Rec. Aqu. flor. ſambuc. ℥iv. Cordial. frigid. ℥ij. pulv. Marchion. contr. Caſum ana ℈ij. antimon. diaphoret. ʒj. cinnab. nat. ſelect. ℈j. Syrup. pœon. ʒiij. M. D. S. [3] *Wundtranck.* De hac mixtura, ante uſum parum commota, ægro omni bihorio duo cochlearia propinata ſunt. Die ſecundo Martii: Rec. Aqu. Chærophyll. flor. Sambuc. borrag. ana ℥iiß. pulv. Marchion. contra caſ. ana ʒß. bezoard. mineral. gr. xij. cinnab. nat. ſelect. ℈ß. ſyrup. flor. nymph. ℥ß. M. D. S.

[1] Emplaſtrum Cephalicum

[2] Pro cucupha in vino coquendum.

[3] Potio Vulneraria.

[1] Mixtura Cephalica.

[2] Essentia pro usu externo.

[3] Mixtura confortativa cephalica.

[4] Pro cucupha cephalica.

[5] Balsamus pro usu interno & externo.

[6] Mixtura confortativa.

[7] Pulvis cephalicus.

[8] Balsamus externus.

[9] Aqua confortativa.

[10] Pro odore.

[1] *Haupt Mixtur*. Hac Mixtura simili modo, ac ea, quæ antecessit, æger noster usus est. Die quarto: Rec. mell. ros. ʒiij. Ess. myrrh. ℈j. Tinct. Croc. ℈ß. M. D. S. [2] *Eüserliche Essenz*. Hanc essentiam Chirurgus externe vulneri successive applicuit. Rec. Aqu. Borrag. Bugloss. ana ℥ij. Cerasor. nigr. flor. acac. ana ℥iß. pulv. Cephalic. Marchion. ana ʒß. antimon. diaphor. martial. ʒj. cinnab. nat. sel. ℈j. Julep. ros. ℥ß. M. D. [3] *Haupt-stärckende Mixtur*. Hæc Mixtura ut præcedentes adhibita fuit. Rec. Rad. Pœon. Aristol. rotund. ana ℥j. Herb. majoran. serpill. betonic. ana Miij. Flor. lavendul. sambuc. ana Mij. anth. p. ij. C. & C. q. o. M. D. S. species [4] *zu Haupt-küssen*. Cum supra præscriptæ species pro cucuphis consumtæ essent, hæ iterum in eundem usum substitutæ sunt. Die sexto Rec. Bals. de Copaib. ʒij. D.S. [5] *In-und Eüserlicher Balsam*. Hic interne a gutt. VIII. ad X. in debito vehiculo, & externe pro vulnere à Chirurgo adhibitus fuit. Die octavo: Rec. Aqu. flor. Acac. ℥iv. cerasor. n. Cinnam. Cydon. ana ℥jß. pulv. Cordial. Dorncreill. ʒß. bezoard. mineral. gr. XV. Corn: Cerv: philos. præparat. Matr. perlar. ana ʒj. syrup. flor. nymph. ℥ß. M.D.S. [6] *Stärck-Mixtur*. Hæc Mixtura ut præcedentes exhibita est. Rec. C. C. phce. præparat Matr. perl. ana ʒj. pulver. Cord. Dorncr. Nitr. antimoniat. ana ʒß. Cinnab. antimon. ℈j. M. Divid. in VIII. pt. æqu. D. S. 8. [7] *Haupt-pulver*. De quibus æger sæpius de die unum adsumsit. Die decimo quinto: Rec. pulv. thur. Oliban. ana ℈ß. mell. ros. ʒiij. Ess. aloët gt. XV. M. D. S. [8] *Euserlicher Balsam*. Hoc balsamo Chirurgus in deligationibus suis, pro mundificando ac exsiccando vulnere usus est. Rec. Aqu. Cordial. frigid. ℥j. Cinnam. c. Vino, meliss. s. V. ana ℥ij. syrup. de ros. sicc. ℥ß. M. D. S. [9] *Stärckwasser*. Hac aqua vires ægri labefactatas revocavimus. Rec. spirit. salis ammoniac. C. C. rectific. ana ʒj. M. D. S. Spiritus [10] *Zum anriechen*. Hicce spiritus naribus ægroti sæpius oblatus fuit.

Et hisce medicamentis, quæ successivo usu, ad Præscriptum *Parentis*, adhibita sunt, dextraque Chirurgi manu æger noster trium mensium spatio, auxiliante Divino Numine, restitutus est, atque in hodiernum usque diem vita ac sanitate gaudet, neque de aliis queritur molestiis, quam quod à mutatione aëris tempestatumque alterationibus dolorem parvum obtusum in capite persentiat. Cum vero, partim ob ætatem, quam agit, provectiorem, partim vero ob gravia, quæ fortasse incurrere potuisset incommoda, ex ordine militari exclusus sit, victum suum & amictum ex negotiis œconomicis hoc tempore quærit, & cum conjuge, atque ex hac sibi natis liberis tranquillam vitam ducit.

## RESOLUTIO.

Præsens, qui hic sistitur, affectus referendus est ad Contusionem, juncta cum cranii fractura; qui non levis est considerationis, quoniam a corpore obtuso profectus est, & partes non tam externæ, ut inprimis pericranium, quod a dura matre formatur, quemadmodum probe demonstrat *Clopt. Havers*,

*vers*, cranium item, quam capitis partes quædam internæ nobiliores simul læsæ deprehensæ sunt. Cumque *Contusio accumulatio vulnusculorum cum attritu solidorum & vasculorum sit*, ut optime in egregio libello *Aphorismorum de cognoscendis & curandis morbis* notat *Excellentissimus & nunquam sine honoris præfamine nominandus* D. HERMANNUS BOERHAAVE, *Præceptor ac Fautor meus semper magni habendus*, & *celeberrimus* quoque, olim Altorfiensium, nunc vero Helmstadiensis *Professor*, *D. Heisterus*, in Chirurgia sua, non ita pridem edita, monuit; adeoque his incommodis jungatur, ut partes fortius commoveat, vasa dilaceret, suppurationem difficiliorem reddat, & sanationi minus obtemperet, periculo omnino non vacavit, sed lethalis fieri facillime potuisset. Tali etenim in casu ob majorem sanguinis adfluxum, ejusdemque promptiorem obstructionem plerumque oboriuntur acerrimi dolores, ingentes inflammationes, ossium caries, atque corruptio, gangræna, sphacelus, & hunc tandem excipiens mors: inprimis si ætas provectior, corpus debile, aut morbis ante labefactatum, anni tempus frigidum coincidit, quod teste *Hippocrate sect. V. Aphor. IIX. ossibus, nervis, & cerebro inimicum existit*, & *sect. ead. Aphor: XX. cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit.* Si præter hæc error in diæta, vel pravum regimen accedit, non mirandum, quod vulnera, quamvis levissima, quandoque lethalia reddantur. Qui hac de re dubitat, adeat *Celeberrimi* nostri BOERHAAVII supra citatum librum, ubi claram asserti hujus confirmationem inveniet. Sicuti proinde omnia ea, quæ sanguinem in vasis obstructum resolvunt, attenuant, in motum redigunt, inflammationem minuunt, & gangrænam ipsam avertunt, quam maxime proficua sunt, & in nostro affectu optimo cum successu propinata fuerunt; ita e contrario cuncta, quæ contrarium effectum edunt, nociva esse, facile intelligitur. Hinc porro in omnibus vulneribus, ubi ossa, tendines, ligamenta, nervi, membranæ, cerebrum &c. denudata sunt oleosa ac pinguia, quemadmodum & hic factum vides, cane pejus & angue vitanda sunt. Hæc enim substantia sua viscosa ac unctuosa poros obstruunt, neque emolliunt, particulis ramosis non penetrant, neque stagnantes humores movent, sed transpirationem impediunt, inflammationem augent, separationem prohibent, ossibus cariem, atque corruptionem inducunt, cerebrumque putrescere faciunt, quod bene observavit *Scultetus in Armamentario* suo *Chirurgico*, *Tab. XXXII. p.* 114. Et *Paulus Barbette Obs.* 1. *Cap. de vuln. capitis p. 62.* inquit: *Omnia pinguia*, (loquitur de vulnere quo cranium quoque læsum fuit) *hic sedulo vitavi, quia particulis suis ramosis valde angustos cranii tubulos satis pertinaciter obstruunt, atque ita efficiunt, ut Humores stagnent, acescant, & cranium corrumpant, cariemque inducunt. &c.* Mirabitur hic forsan quis, cur ex cavitate cranii globulus ille non extractus fuerit; scias autem, hoc minime neglectum esse ex imprudentia quadam aut oscitantia Medici, vel Chirurgi incuria, sed datâ operâ: quoniam ille nempe ex tam angusto foramine sine magno dolore, partium dilaceratione, ac perculosissimis exspectandis symptomatibus eximi non potuit. (sæpe-

numero

numero accidit, ut Lithotomi exercitatiſſimi non invenire poſſint calculum, qui in veſicæ urinariæ tam ingenti cavo hæret, quanto magis ſe ſubducere poteſt glans plumbea tam exiguæ molis, intra partes ſolidas, quale eſt cerebrum, ejuſque meninges; adacta.) Præterea cerebrum, tam nobilis corporis noſtri pars, non permittit inſtrumentis multum in eo circumvagari. Bene hinc inquit *Doctiſſimus* atque *Experientiſſimus* D. D. *Henricus Nicolai*, *Reverendus Practicus Argentinenſis in Diſſ. Argentorati* 1675. *de vuln. ſclopet. habita: Cavendum ne Chirurgi plus noceat manus, quam quæ alias vulneribus ſunt infixa. Quæcunque enim corpora metallica, oſſea, aut lignea manibus aut inſtrumentis chirurgicis, citra inſignem dolorem, partium dilacerationem aut noxam extrahi nequeunt, Naturæ ſunt relinquenda;* Quæ quid, ſibi relicta, efficiat, præter alia videri poteſt in ſtupendo exemplo, hominis 24 annorum *Abrah. Eſtermann*, in Patria *Sinſenheim* prope *Heidelbergam* nati, qui a dolio ingentis magnitudinis, vino impleto, circa medium oſſis frontis non modo enormem integumentorum contuſionem, ſed & oſſis fracturam, cum inſigni partium comminutione, cerebrique commotione, paſſus eſt; portionibus integumentorum & fragmentorum oſſium, ſine Medici aut Chirurgi opera, poſtea ſeparatis. Divina vero annuente gratia, amiſſam recuperavit valetudinem, ac per 40 annos ſervatus eſt. Qua de re legi meretur *Diſſertatio D.* Jo. *Gambs*, habita ſub Præſidio *celeberrimi* D. D. SALZMANNI, *Anat: ac Chirurg.* h. t. *Profeſſoris Ordinarii, Præceptoris ac Fautoris mei æſtumatiſſimi.* Ut taceam alias notatu dignas obſervationes, apud varios Auctores reperiundas. De naturæ vero in ſanandis morbis efficacia vid: *Præceptoris quondam Honoratiſſimi* D. FRIDERICI HOFMANNI, *Profeſſoris Hallenſium Celeberrimi, doctiſſime conſcripta Diſſertatio, De Natura, morborum medicatrice.* Sed ut ad propoſitum redeam, conſtat quod globulus dictus intra calvariam relictus fuerit, nec alia ratione, quam per terebrationem quæri, vix tamen reperiri potuerit, quæ vero non ſolum ſupervacanea atque hic loci quam maxime periculoſa, ſed etiam valde dubia fuiſſet; quod ſequentia facile probabunt argumenta: Primo enim a poſteriori nobis jam cognitum eſt, illam ad ſalvandum ægrum abſolute neceſſariam non fuiſſe: Secundo a priori argumenta etiam habemus non levis momenti; quorum.

1. Eſt: Quod hæc operatio valde dubii ſit eventus, & ſi male cedit non pauci infelicem exitum non tam morbo, quam operationi ipſi tribuunt: unde ſicut non nimium illa, ſecundum *Hippocrat.* & omnes Chirurgiæ peritos, procraſtinari debet, ita etiam non nimis promte ad eam convolandum.

2. Læſiones cranii & cerebri inſignes abſque ejus adminiſtratione curatas legimus; Vid. *Jean-Baptiſte Verduc, dans le Traité des Operations de Chirurgie, Chapitre XIX. des fractures du Crane, & de l'operation du Trepan*, ubi plura notatu digniſſima exhibet exempla graviſſime capite vulneratorum, & ſine terebratione feliciſſime ſanatorum. it. *Frid. Ruyſch.* Amſtælodamenſium illud decus *in Obſervationibus Anatomico-Chirurgicis obſ.* 60.

3. Globuli majores, & hinc magis minores, uti in aliis corporis partibus, ita

ita etiam in aliquibus capitis diu absque insigni noxa haud raro latent. Globulum plumbeum per longum temporis intervallum, nullo superveniente symptomate, in cerebro contentum vide apud *Fabr. Hildanum Cent* II. *Obs.* 2. Sic multæ quoque observationes aliæ, quas hic recensere chartæ angustum spatium prohibet, huic rei fidem faciunt.

4. Terebratio ita comparata est, ut nisi omnes circumstantiæ & cautelæ adhibitæ fuerint, illa, secundum artem perite administrata, sinistri eventus causa fieri possit. Notari enim meretur, quod fere omnes, qui *Parisiis Lutetiorum* in nosocomio, *l'Hotel-Dieu* dicto, terebrantur, vitam cum morte mutent, cum plerumque ii, qui ibidem in nosocomio, *la Charité* appellato, vel aliis Xenodochiis, in & circa hancce urbem collocatis, hanc operationem sustinent, salvi evadant. Ratio hujus phænomeni aëri, qui in priori non ita, ac in his, purus existit, regiminique, ob magnum decumbentium numerum, non ita exacte observato, minime vero Chirurgis, operationem dictam exercentibus, adscribitur.

5. Nonnullæ circumstantiæ non contemnendæ dictam operationem dissuadere videbantur; scilicet ætas subjecti provectior, (quinquagenario enim major erat,) corpus a morbis prægressis debilitatum: ut taceam alias infirmitates, quas ab aëris injuriis, aliisque vitæ militaris incommodis contraxerat.

6. Quod omnem fere paginam absolvit, & Medicum æque ac Chirurgum ab ejusdem administratione deterrere poterat, est, quod determinare non licuit, quo in loco trepanum applicandum. In ipso vulneris loco illud applicare ratio dissuadebat, quia in tali loco erat, ubi propter duræ matris cohæsionem terebrare vix licet, vid. *Ambros. Paræus*, secundo: quia ejusmodi corpora in eo loco, in quem primum adiguntur, subsistere non solent, sed situm & locum mutant. Germani illud efferunt: *Sie sencken sich*. Posito hoc, verosimile est, grandinem sursum adscendisse, ubi terebratio facilis fuisset, sed uti ex principiis physicis demonstratu facile est, deorsum eum latum esse conjicere licet. Ergo vel ad basin cranii, vel in sede frontis inferioris hærebat; illo in loco terebrationem fieri impossibile est, in hoc minus consultum, quia os frontis sinu ibidem excavatum esse, autopsiâ anatomicâ constat. Quando & ubi trepanandum sit, docet præter alios *Excellentissimus* D. BOERHAAVE *in Aphorismis de cognoscendis & curandis morbis*, & *Bohnius in libro de renunciatione Vulnerum*, item *Fabrit. ab Aquapend. Chirurg. l.* 2.

7. Cui accedit, quod necessitas nulla fuerit, quoniam ex inflicto per sclopetum foramine materia purulenta, (propter quam illa præprimis institui debuisset,) sat magna in copia exiit, & ægri symptomata tanti non fuerint, ut dictam operationem pro certissimo & infallibili indicato adsumeremus. Quare neutiquam ejus intermissio culpanda, sed approbanda erit.

Quæritur nunc, qualis materia illa, quæ e vulnere prodiit, fuerit, & unde copiosus ipsius proventus? Ex historia morbi constat, illam prioribus diebus ad integram usque hebdomadem nihil aliud, quam cerebri portiunculas sanguine intermixtas retulisse; hinc credibile est globulum, dum quadam vi

ad cerebrum appulsus est, vascula arteriosa ac venosa dilacerasse, cerebrumque fortius commovisse: unde sanguis, in istis antea contentus, extravasatus, ac cerebri particulæ à globulo conquassatæ & abreptæ per apertam viam facili negotio exitum invenire potuerunt, non sine magno ægri levamine. Globulus quoque cerebro contiguus, continuata pressione, non parum ad copiosum hunc materiæ effluxum fecisse videtur; postquam vero mole propria commodiorem nactus est sedem, & vasa illa progressu temporis concreta, ac iterum consolidata sunt; materia quoque, progressu temporis sensim, accedentibus exsiccantibus remediis diminuta est. Quod vero cerebri pars sine vitæ periculo amitti queat, præter alios probat *Neucrantzius*, *in Dissert. de Vulner. lethalibus*, exemplo puellæ 7 annorum, quæ portionem cerebri ingentem, magnitudine pomi, ex vulnere ab equo inflicto perdidit. Vid: quoque hanc in rem *Barbette*, *Valleriola*, *Riolanus*, & *Scenckius* imo & *Galenus* ipse, ubi plura reperiuntur exempla. Sic memini, a PARENTE MEO DILECTISSIMO sæpe mihi mentionem factam hominis cujusdam, agriculturam exercentis, cui æstivo tempore, inter colligendum fœnum, instrumentum non exiguæ molis, & furcæ nomine notum, quo frumentorum quævis genera in currum deponunt, ab alto in ædibus forte delapsum, contusionem & fracturam cranii adeo insignem excitavit, ut furcæ illi, cranio tam diu infixæ, donec ab adcurrentibus demum extracta fuit, cerebri magna copia adhæserit, & major adhuc inter morbi decursum separata fuerit. Qui vero quoque, adspirante Divino favore, sub *Parentis mei* regimine servatus est, & longum temporis spatium supervixit. Notatu digna vero est historia puellæ sine cerebro natæ, quæ *in Zodiaco Medic. Gallico Ann.* 3 *Obs.* 3 refertur, & illa, quam *Zacutus Lusitanus Tom. II. Prax. Med. mirabil. L. I. Observ.* 5 de puero, qui 3 annis sine cerebro vixit, exhibet. Erit porro cuidam hic copia dubitandi, num globulus ille, qui diametraliter per cranium trajectus est, adhuc intra calvariam reperiatur, an vero vel cum sanguine statim a vulnere egresso, vel cum portiunculis cerebri, vel cum materia purulenta jam dum exiverit. Quod vero factum non esse, sequentia persuadent:

(α) Non ignoramus, illum per integumenta capitis communia, musculum frontalem, cranium &c. non exigua vi ac impetu ad cerebrum usque perpulsum esse.

(β) Probabile admodum videtur, cerebrum ejusque membranas, eum obvolvendo undique, ejus reditum impedivisse.

(γ) Defuit vis motrix, quæ eum eò redegit.

(δ) Introïens solus erat, exeunti autem sanguis, particulæque cerebri viam intercluserunt. Quando enim, ut ex mechanicis patet, duo vel plura corpora uno momento ad idem foramen appelluntur, alterum alteri impedimento est, obicemque quasi ponit.

(ε) Post illam contusionem externæ capitis partes mox intumuerunt, & sic ei exitum denegarunt.

(ζ) Ob

(ζ) Ob gravitatem, quod ex physicis intelligitur, sine dubio locum paulisper mutavit, [1] *Er hat sich gesencket.*. [1] deficit

(η) Postea vero in quavis deligatione omni industria in eum attente animadversum fuit, non vero observatus est.

(ϑ) Copiosa e vulnere profluens materia, & diuturna curationis protractio, de ejus in calvaria præsentia testatur.

(ι) Dolor ille obtusus, quem æger ante sanationem, & adhuc hodie à mutationibus aëris persentit, non leve ejus in ventre supremo existentiæ dat argumentum.

(κ) Globulus dum ad cranium allidit, sæpius applanatur. vid. *Purmann. Schusswunden p.* 74 & 179. Quod si factum & hic est, commodius adhuc inhærere cranio poterit.

Quæ omnia collective sumpta, probeque expensa, nullum amplius hujus rei dubitandi relinquunt locum. Quo vero demum ille abierit, hoc certe determinare non licet, nisi opinionem solida ratione destitutam aliis obtrudere vellem: Probabile vero est, ad basin cranii, mole propria, & aliquali duræ matris contractione, arteriarumque pulsu, eum esse delatum. Haud quidem ignoro, dari nonnullos, qui meningibus motum contractorium proprium denegant, quorum princeps est *Perspicacissimus Dominus Mery, Hist. Acad. Reg. Scient*; contrariæ vero parti patrocinantur inprimis *Experientissimus olim Romanorum Baglivus* cum *Pachiono, Medico Secundario in Nosocomio Consolationis.* Quam autem controversiam meam non facio, inprimis cum hi præclari ultimi Viri in suis Scriptis, & *Excellentissimus* SALZMANNUS *in Dissertatione supra citata* §. 18 & 19 fusius de hac re egerint, ad quos Lectorem Benevolum propterea remitto. Tamdiu itaque judicium nostrum in hoc quæsito suspendendum erit, donec forsan, exstincto nostro subjecto, caput perscrutari licebit. Quæritur nunc ultimo, cur vulnus nostrum non lethale redditum fuerit?

(I) Si de altero globulo, qui obliquo cursu contusionem in medio frontis fecit, quæris? ille minori cum impetu integumenta penetravit;

(II) Si de eo, qui rectâ, & diametraliter impetum in os frontis & partes internas fecit? illum non levem fuisse largior, quia tamen

(III) rotundus erat, non magnæ etiam molis.

(IV) Absque magna cerebri commotione, quæ, omnium Medicorum consensu, funesta ut plurimum esse solet, penetravit.

(V) Per calvariam transiens multum de virtute sua amisit, & non omnem suum impetum meningibus atque cerebro communicare potuit, præsertim si cranium solito crassius fuit, qualia recensent passim Auctores, & ipsemet *Parisiis* æque, ac *Argentorati* vidi.

(VI) Vulnus anticæ cerebri parti infligebatur, quæ tanti momenti non sunt ac illa, quæ in parte postica occurrunt, ob cerebelli, nervorum, & medullæ spinalis viciniam; item quæ temporibus infliguntur, cum terebratio ibidem vel plane non, vel maximo tamen cum periculo, institui possit, eo,

quod muſculi temporales a pericranio cingantur. Tum & conſiderari meretur

(VII) Diæta, & vitæ genus prægreſſum non minus, quam poſt læſionem in cura obſervatum; qui enim rudiori ab ineunte ætate adſueverunt victus generi, ad graviora perferenda præparantur, & quaſi indurantur. Optime huc quadrat *Aphor.* 49. *Sect.* II. *Hipp.* Hoc inſuper vulneri noſtro proficuum extitit, quod ope fornacis aër in hypocauſto ægri pro lubitu temperari potuerit, ſecus ac fit in iis regionibus, ubi caminis utuntur incolæ.

(VIII) Temperamentum ægri multum quoque ad feliciorem peragendam curam contulit; qui enim cholerica temperie gaudent, ad inflammationes periculoſiores proclives obſervantur, & in affectibus animi, præcipue ira, non tam bene moderare ſe poſſunt, Phlegmatici autem ob vaſorum exilium copiam, hincque ſanguinis promtiorem obſtructionem, quoque periclitantur.

(IX) Clima, quod in Patria non nimis calidum æſtate, nec nimis frigidum hyberno tempore exiſtit, ſed ad temperiem inclinat.

(X) Anni tempus Vernale, quo omnes morbi curatu faciliores ſunt, quam autumno, vel ſummo exiſtente frigore, aut media æſtate.

(XI) Quod nulla ſymptomata vel e veſtigio, vel poſt aliquod demum tempus ſupervenerint.

(XII) Quia extravaſatus ſanguis & materia deinceps purulenta ſtatim exitum invenêre, adeoque cerebro non moleſta fuerunt.

(XIII) Ex his & ſimilibus conjecturari licet, eum non adeo profunde in cerebri interiora penetraſſe, ſed in ſuperficie ejus corticali potius hæſiſſe.

Hæc ſunt potiora, quæ circa præſentem caſum annotare potui: antequam nunc vela contraho, liceat adhuc paucis monere, quod in omni capitis læſione, ubi vel ſub integumentis, vel intra cranium ſanguis extravaſatus hæret, fotus vel ejuſmodi ſacculi cephalici in vino cocti, calideque applicati, ſummo cum fructu adhibeantur, nec ullo modo negligendi ſint. Deinde lenes purgationes, & clyſmata ex emollientibus parata, quæ hic non opus erant, proficua admodum reperiuntur. Tandem quam maxime obſervent hic ii quibus vulnerum curatio contingit, quomodo emplaſtrum hic applicitum fuerit; nempe in turundæ formam redactum. Eo namque omnis noſtra intentio vergebatur, ne ante omnem materiæ intus contentæ eliminationem vulnus coiret, aut juſto citius concreſceret, alias ſine dubio ad fati limen eſſet deductus æger. Peccatur in eo ſæpiſſime à Chirurgis, quorum deinceps imperitiam terra tegit. Quale Exemplum prope *Helmſtadium* ante triginta aliquot accidiſſe annos, PATER MEUS VENERANDUS mihi jam olim retulit: ubi cuidam in capite vulnus inflictum fuit, quod à Chirurgo, vel barbitonſore potius, per menſem & quod forte excurrit, tractatum, ſpem non mediocrem reconvaleſcentiæ dedit, quare ille, nihil mali metuens, conſolidationem labiorum vulneris promovit, atque optima quæque promiſit: Cum vero materia intus contenta exitum deinde ob clauſam viam non impetravit, hem! æger præter cogitationem exſtinguitur, ac poſtmodum terræ mandatur. Hujus

jus vero cognatis contra commiſſum Rei homicidium apud Judicem inſurgentibus, hic, impunitatem quærens, Advocati in Medicina Forenſi exercitati uſus eſt opera, qui vulnus ex negligentia Chirurgi, neque ex natura vulneris ipſius lethale factum aſſerens, eò Magiſtratum demum, elapſâ jam una vel altera ſeptimana, redegit, ut cadaver effoderetur, effoſſumque inſpiceretur: quod dum in *Excellentiſſimi* quondam *Meibomii*, & inter alios, *Parentis mei* (illius tunc utens inſtructione Medica) præſentiâ factum eſt, evidentiſſime pus intra cranium & duram matrem collectum, adeoque vera mortis cauſa detecta eſt, quæ Reo impunitatem, Chirurgo vero ſiniſtram famam, atque ad aliquot annos extra oppidum proſcriptionem procuravit. Utinam omnes Chirurgorum & quandoque Medicorum ſic detegerentur craſſi errores, quo cautius mercari diſcant. Atque ſic, ni fallor, abſolvi quod ſuſcepturum promiſi: reperiuntur forte alia, quæ annotatione digna ſunt, cum vero quilibet in arte Medica leviter ſaltem verſatus ea facile dijudicare poſſit, temporique parcam, filum hic abrumpo; nihil magis in votis habens, quam ut utilitatem quandam unus vel alter Philiatrorum exinde percipiat, quorum in gratiam hæc tantum conſcripſi. Deo itaque Ter Optimo Maximo pro conceſſis hactenus in ſtudiis meis viribus, donataque in regionibus externis firma valetudine, gratias immortales perſolvo, Eumque ſupplex veneror, ut porro conatibus meis Gratia ſua adeſſe dignetur.

FINIS.

II. DISSERTATIO

II.

# DISSERTATIO MEDICA

*INAUGURALIS,*

DE

# CONTRAFISSURA;

Quam Præside

GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO,

*Pro Doctoratu obtinendo defendet*

RUDOLPHUS CHRISTIANUS WAGNERUS

*MATHESEOS PROFESSOR.*

Jenæ mense Decembris Anno 1708.

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# GONORRHŒA-TISSURA;

Quam Medico

SERGIO WOLFGANGO WEDELIO,

Pro Doctoratu obtinendo defendit

RUDOLPHUS CHRISTIANUS WAGNERUS

WITTEBERGENSIS PROFESSUS.

Die Mensis Decembris Anno 1768.

# SECTIO PRIMA.

## *DE LÆSIONIS HUJUS COGNITIONE.*

## MEMBRUM I.

### *De ejusdem Existentia.*

QUod a multis retro temporibus inter naturæ ſcrutatores non modo, verum & medicos obtinuit, uti, dimiſſo ſenſu, rei cujuſdam exiſtentiam manifeſte monſtrante, multis nihilominus ratiociniorum momentis in ſubſidium vocatis, eandem in dubium vocarent, illud certe læſionibus, quas in præſenti exponere animus nobis eſt, non uno accidit tempore.

Jam enim olim non modo magnus ille naturæ Genius, divinuſque vir, quo elogio a doctiſſimo *Pavio*, ex merito, ornatur, *Hippocrates*, verum & *Celſus*, atque alii, mox nominandi, oculis ſuis uſurpaverant lugendam illam capitis vulnerum ſpeciem, qua, ab ictu quodam & plaga capiti inflicta, cranium non illo, ſed alio in loco fiſſum fuerat deprehenſum, cum ſubtus extra vaſa ſua emiſſo ſanguine, in putrilaginem vel jam converſo, vel tamen abituro.

Confirmaverant idem frequentioribus exemplis recentiores, ac præter hæc, quandoque talem ſanguinem extravaſatum, ſectione, poſt mortem, inſtituta, alio quam in ictus loco invenerant, tegmine, modo dicto oſſeo, ſeu calvaria, nihilo ſecius integra, & ſine ulla fiſſura obſervata. Unde *Hippocrates l. de cap. vulneribus c.* 9. præmiſſis quatuor, capitis læſionum, generibus, Fiſſuræ, Contuſioni, Depreſſioni, Telique ſedi, quintum, ſub *Calamitatis* ſeu *Infortunii*, nomine verbis ſequentibus non modo ſubjunxerat: *t.* 1. *Si vero alia capitis parte vulneratur ( quam qua ) & ulcus habet homo, & os carne denudatum eſt, quintus hic modus eſt*: verum & ſanationis difficultatem, vel potius impoſſibilitatem, hunc in modum expreſſerat: *& hanc Calamitatem, ubi facta eſt, nulla re juvare queas. Nam ſi paſſus eſt hoc malum, non eſt, quod ex ipſo exquirere poſſis, an paſſus ſit hoc malum, neque qua capitis parte.*

Et *Celſus l.* 8. *c.* 4. *p.* 704. *Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit*, quam læſionem hac inveſtigare nititur ratione: *Itaque ſi graviter aliquis percuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſecuta ſunt, neque ea parte, qua cutis diſſciſſa eſt, rima reperitur, non incommodum eſt*, parte altera *conſiderare, numquis locus* mollior *ſit &* tumeat, *eumque aperire. Siquidem* ibi fiſſum os reperietur; addita, ſi quando operatio fuerit fruſtra ſuſcepta, haud difficilis conſolidationis, ſpe: *nec tamen magno negotio cutis ſaneſcit, etiam ſi fruſtra deſecta eſt.*

His, præter *Soranum*, accesserunt *Ebnsina*, *Gentilis de Fulgineo*, *Nicolaus Florentinus*, *Jo. de Vigo*, *Ambr. Paræus*, *Jo. Andr. a Cruce*, *Anutius Foësius*, *Pet. Pavius*, *Franc. Plazzonus*, *Hieron. Fabr. ab Aquapendente*, *Jo. Marcus Marci*; observationum scriptores, *Jo. Schenckius*, *Petrus Forestus*, *Nic. Tulpius*, *Ido. Wolfius*, *Iobus van Meckren*, *Stalpartus van der Wiel*, & ex recentioribus expertissimi medici, B. *Paulus Ammannus*, Cl. *Bohnius*, B. *Jo. Dolæus*, B. *Christ. Jo. Langius*, *Dionis* cum aliis quamplurimis.

Contra hos vero nihilominus insurgunt, & existentiam contrafissurarum infringere laborant *Paulus Ægineta*, *Guido de Cauliaco*, *Dinus de Garbo*, *Amatus Lusitanus*, *Jo. Bapt. Carcanus*, *Petrus Tronus*, *Jac. Berengarius Carpensis*, *Gabr. Fallopius*, *Jo. Bapt. Cortesius*, & ex recentioribus *Munnicks*, & *Dimerbrœckius*, variis ratiociniis, desumtis vel a præsentia futurarum, ad inhibendum fissurarum progressum, a natura productarum, ex *Galen. l. 9. de usu partium c.* 17. vel a dispari calvariæ cum vasis vitreis, vel testaceis, cucurbitis siccis, vel aliis solidis, ratione, quas legesis apud *Ambr. Paræum Chirurg. l. 9. c. 8. Jo. Andr. a Cruce Chirurg. univers. Tract. 2. l. 1. c. 2. Gabr. Fallopium in Hippocr. de vulnerib. capit. c.* 14. *Jo. Bapt. Cortesium in eu idem p.* 125. *Jac. Berengarium Carpensem de fractur. cran. part. 2. c. 2.*

Recensetur porro a *Jo. Bapt. Cortesio*, modo nominato, *cit. loc. p.* 126. tertia classis, medium inter utrosque tenentium, id est, partim affirmantium, partim negantium contrafissuras, ad quam refert *Jac. Berengarium Carpensem*, *Gabrielem Fallopium*, *Jo. a Cruce*, & *Franc. Vertumnianum.*

Verum, quemadmodum non diffiteor, *Berengarium*, & *Gabr. Fallopium* sibi non esse æque constantes, pro affirmativa tamen appositas & graves afferre rationes, imo ipsam experientiam *Fallopium*: ita *Jo. Andr. a Cruce* affirmantibus prorsus jungere nullus dubito. Argumentis vero eorundem discutiendis in præsenti haud immorabor, cum horum robur jam tum a *Paræo*, *a Cruce* aliisque, satis sit infractum.

Quin potius, cum præsertim plurima recentiorum exempla, uti dictum, lugendum hoc læsionum genus satis dederint confirmatum, rectissime cum *Paræo cit. loc.* concludo: *Ratum ergo illud est, ex Hippocratis autoritate*, ratione & experientia *confirmatum*, *alia parte ictum*, *& alia fracturam esse posse.*

## SECT. I. MEMBRUM II.

## *De Contrafissuræ Essentia.*

DE *existentia* harum læsionum certus, ulterius de *essentia* earundem dispicio, quid sibi velint expositurus. Monendum autem in limine statim hujus operæ, *contrafissuram* commode horum in censu posse venire, quæ Philosophis communia πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, *ad unum vel ab uno* vocantur, seu

quæ

quæ uni primario, alteri autem non nisi secundario competant, atque hac ratione aliam appellari *proprie*, aliam *improprie* sic dictam.

*Illa* erit *fissum ipsius cranii, alio, quam in ictus loco, contingens, a flexione, particularum compagem superante, producta. Hæc* vero, *ruptura vasorum, vel meningum, vel cerebri ipsius, loco quam in ictus loco eveniens, ab eorum, illo in loco, allisu aborta*

*Definitum* utrobique est *contrafissuræ*, seu *resonitus* vocabulum, quorum illud ex præpositione seu adverbio & substantivo, hoc ex eodem & præpositione conflatum, quasi dicas, fissuram contra, & e regione ictus opposita, excitatam; sonitum repercussum, resolventem. Quamvis enim, quod prius nomen concernit, uti inferius de contrafissurarum differentiis dicetur, læsiones tales non semper in opposito ictui loco eveniant; cum tamen hæ reliquis observatæ vel priores, vel frequentiores; tum a potiori desumendam & hoc loco judicarunt autores denominationem.

Vocabulum namque *contra* ex terminis ICtorum, contra legem facere, contra fundum piscationem exercere, contravenire; medicorum contraindicatione, architectorum militarium contraminiren, contrescarp; notissimisque aliis, contradicere, contra niti, contra putare, contrarium & oppositum denotare, ampla haud eget deductione.

*Fissura* pariter medicis rima audit, a findendo derivata, partibus magis duris ac solidis, ossibus, verbi causa, conveniens, quorum unitatem seu continuitatem, non in transversum, sed secundum eorum longitudinem, solutam *fissuram* vocant, uti inferius, sub generis explicatione, dicetur.

Perinde ac illud *resonitus* nomen, a *Paulo Ægineta*, & Græcis aliis, ἀπήχημα appellatum, metonymice causam pro effectu allegando, est adhibitum, quoniam, quemadmodum sono accommodis corporibus & angulis allidente echo; sic capite, gravius præsertim, percusso, alia quam in ictus parte ἀπήχημα seu ab echo responsio oboritur, vel minimum est metuenda.

Eodem vero contrafissuræ nomine medicis quoque veniunt, latius tamen paullo, illæ cranii fracturæ, ubi lamina calvariæ exteriori integra existente, interior nihilominus & quidem eodem in plagæ loco, est diffissa. *Pavius l. c. p.* 79. hanc equidem tertiam nominat *rimarum* speciem, & *rimam cæcam* vocat, & postmodum fusius de hac *p.* 107 sub contrafissurarum differentiis disserit.

Huc & referre poteris illam, quæ in partibus mollibus quandoque contigit, fissurarum speciem, ubi salvis extimis, interiora viscera fissa & dilacerata observata, hepatis a contusione molendini; lienis a verbere ter fissi. Imo & analoga hisce ista læsio, quando a contusione abdominis materni violenta, eodem tamen haud dilacerato, embryo miserandus brachium vel pedem fractum reportavit. Vid. *D. Præsidis Pathol. dogmat. sect.* 1. *c.* 6. *p.* 98. & *S.* 2. *c.* 13. *p.* 413.

Missis hisce, modo memoratis singulis, in præsenti de illis modo dicam læsionibus, quarum, in superioribus, definitiones exhibui. Harum varia

apud autores occurrunt ſynonyma. *Hippocrates c. l.* vocat ξυμφορὰν, (*Antius Foeſius* ejus interpres ξυμφορὴν) infortunium, calamitatem; quia judicante *Pavio c. l.* vere infelices ac infortunati ejuſmodi ægri, qui nec ipſi ſciunt, an & quomodo ſint læſi; nec medicus, aut chirurgus hac de re ſit certior, niſi cum jam eſt conclamatum.

*Paulus Ægineta* & alii ἀπήχημα, reſonitum appellarunt, ex rationibus jam memoratis. *Job. Andr. à Cruce*, & *Gelmanus oppoſitionem*, cum læſio plurimum in loco plagæ oppoſito ſit obſervata. Galli vocibus *contrefente*, *contrafiſſura*, & *contrecoup*, *reſonitus*, promiſcue, hoc tamen frequentius utuntur. Germani nominant *ein Wiederbruch*, *Wiederſchlag*.

*Genus remotum* in prima definitione *fiſſuræ* nomen conſtituit. Per hanc intelligimus alteram illam quarti ſolutæ unitatis morbi, fracturæ nimirum, ſpeciem; qua corporum durorum ſeu ſolidorum oſſium, v. c. particulis, ſuis ex locis prorſus expulſis, eadem non in tranſverſum, ſed ſecundum eorum *longitudinem fracta*; ſeu actu ipſo & in inſtanti, violentaque ratione divulſa redduntur, quarum læſionum accuratam notionem nobis exhibet D. *Præſes* in laudatæ *Patholog. dogmat. Sect.* 1. *c.* 6.

*Proximum genus*, in eadem definitione a *ſubjecto* læſo eſt deſumtum, capitis nimirum parte ſuperiore ſeu operculo oſſeo, fornicis in modum extructo; *cranio*, *calva*, ſeu *calvaria*, de cujus conſtitutione pro ſcopo præſenti notandum (1) cranium non ex unico ac continuo, ſed multis oſſibus, id eſt, corporibus, *ſolidis* particulis gaudentibus, eſſe combinatum, in extremitatibus ſerræ ad inſtar dentatis, ac affabre & firmius implexis, quarum commiſſurarum veſtigia futuræ vocantur, interdum ſitu, ſtructura, & cohæſionis modo differentes.

(2) Meningem craſſam intra cranium cum contento cerebro e cranio ſuſpendi, propaginibus per ſuturas ad pericranium emiſſis, hiſque etiam cum illo communicare.

(3) Plurimis in locis oſſa capitis notabili equidem gaudere craſſitie, diverſis in ſubjectis nihilominus variante, ac triplici ex lamina conflata, duabus oſſeis & media pumicoſa, multiſque cellulis oſſeis, hexangulis & quadrangulis, in quibus medulla hæret ſangunolenta, diſtincta.

Hæc, ſicuti nutrimentum oſſibus hiſce præbet, ita laminarum extima intimam craſſitie, hæc vero illam duritie, hincque fragilitate antecellit, adeo, uti hanc ob rationem *vitrea* medicis audiat.

(4) Quibuſdam in locis os magis ſimplex, tenue pellucidum, ac durum apparet, v. gr. in bregmate, ſquamoſiſque oſſium temporibus.

Debilitatem oſſium horum modo allegatam (5) multum promovent, tum oſſibus occipitis, tum frontis appoſiti proceſſus, illa eriſmatum (*der Strebe-Pfeiler*) ad inſtar fulcientes; tum capitis circumſcriptio, temporum uti & bregmatis in locis, magis depreſſa.

Unde (6) attendenda quoque totius cranii figura, non elliptica, ſed *oviformis* magis, diverſas apud nationes denuo varians, ac Turcis, Groenlan-

landis, Abiſſinis, notante *Pavio c. l.* rotunda ac compreſſa, Germanis contra plerumque productior ac oblongior.

Differentiam porro ſubjecti læſi *locus* patefacit, dum dicitur fiſſura cranii *alio quam in ictus loco contingens. Hippocrates c. l. c.* 11. inquit: Ὀ'ςέον, τιτρώσκεται ἄλλη τῆς κεφαλῆς, ἢ ἡ τὸ ἕλκος ἔχει ἀνθρώπος, καὶ τὸ ὀςέον ἐψιλώθη της σαρκός.

Horum verborum ſenſus commentatoribus æque ac medicis valde eſt controverſus. *Jo. Bapt. Corteſius* enim, quantum ex ejus, obſcure ſatis expoſita, mente conſtat, allegato *l. p.* 119. vult, in omnibus Græcis, ſibi oblatis, exemplaribus repertum textus principium ita ſcriptum: τιτρώσκεται ἄλλη τῆς κεφαλῆς, omiſſo vocabulo Ὀ'ςέον. Unde, cum præter os plures in capite ſint partes, tum per aliam *capitis* partem non ſtatim eſſe intelligendam aliam *oſſis calvariæ*, cum potiſſimum paulo poſt ſit ſcriptum: καὶ τὸ ὀςέον ἐψιλώθη τῆς σαρκὸς, & *os nudatum carne.*

De duplici igitur læſione hic diſſeri, una quando *os* ex vulnere detectum, quo in loco oſſis mentionem haberi; altera, quando *alia pars* lædatur. Primam eſſe patentem & conſpicuam, alteram vero omnino latentem, textus fine id ipſum magis confirmante. Spectaret proinde huc exemplum *Amati Luſitani, cent.* 3. *curat.* 100. reperiundum, ubi utraque tabula calvariæ integra quidem, aſt ſub eadem parte intus exporrectæ venæ & arteriæ ruptæ fuere inventæ.

Aliis hoc ἄλλη τῆς κεφαλῆς de *Hippocratis* illa rimarum ſpecie intelligitur; quam *Pavius c. l. p.* 79. cœcam ſeu occultam, ἀπήχημα Græci vocarunt, & quam ſub contrafiſſuræ homonymia in ſuperioribus dedi expoſitam, quarum recenſiones proſtant apud *Paræum l.* 9. *c.* 8. *Jo. Matthæum relat.* 7. & *Pavium* ſæpius nominatum *p.* 108.

Noſtra quidem ex ſententia *Celſus* ſcopum propius tetigit, qui *l.* 8. *c.* 4. locum *Hppocratis* ita vertit: *Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit*, præſertim cum idem vocabulum ἄλλη per *alibi*, *alio*, *alio loco*, a probatiſſimis reddatur autoribus, ut ἄλλη τοῦ τείχους, *alibi contra murum*, *in alia muri parte* apud *Rob. Conſtantinum p.* 95. Unde cum medicis celeberrimis, ſuperius nominatis, exemplis præterea hodie quamplurimis idem extra omnem dubitationis aleam ponentibus, per *aliam* hanc capitis *partem* intelligendam exiſtimamus *diverſam*, ita, ut os, inter hanc & plagæ inflictæ locum interceptum prorſus ſit integrum, ſive in oppoſito, ſive ad latus, ſive extrinſecus & in calvaria, ſive intrinſecus & ſub calvaria, de quo in ſecunda dicetur definitione, iſte fuerit.

Quid enim quæſo obſtat, quo minus *Hippocratem* ex *Hippocrate* explicemus, atque ex ejuſdem *l. c.* 13. elegantem locum proferamus ſequentem: *Quæcumque vero illabentia in caput tela ad os vulnerant, ex his id, quod ex altiſſimo loco illapſum eſt, & minime ex plano, & quod duriſſimum ac obtuſiſſimum, & graviſſimum ac minime leve eſt, & quod minime acutum ac molle: hoc & ruperit os, & contuderit: & maxime ſane periculum eſt, ut os hæc pa-*

*tiatur*, *cum & hæc fiant*, & e directo adversus telum (κατ' ἀντίον) os *sauciari contingat*. Qua de re, quando asserit *Hippocrates*, recensitas ossis rupturas dictis ex causis quasi necessario fieri, quandoque vero & id contingere, uti *e directo*, e diametro, & ex opposito *adversus telum*, adversus locum plagæ, seu ictus teli os saucietur, inde, quomodo clarius Contrafissuram indicare potuerit idem, non videmus.

Quanquam vero summus vir hoc in textu partem intelligat plagæ oppositam, notanter tamen addit *contingere*, non semper idem evenire. Unde salva manet & superior ejus sententia, *alio* quocunque, quam in ictus loco evenire hoc posse infortunium, nullumque ex hoc iis est præsidium, qui ad producendum Contrafissuram requiri semper partem stricte dictam oppositam judicant.

Egregie hoc in loco mentem divi senis assecutus est *Fallopius in exposit. lib. Hippocr. de vulner. cap. c.* 14. circa finem hujus capitis, cujus textui B. *Ammannus disput. de resonitu*, paucis quandoque verbis intersperſis, majorem insuper affudit lucem. Unde ex *ejusd. c.* 2. §. 5. *Fallopium* de hoc ἄλλῃ seu *alibi Hippocratis* ita scribentem sistemus: *Per illam particulam* (ALIBI) *non intelligimus præcise & semper partem oppositam, sed distantem a loco affecto, & quamvis per* aliam partem *possimus oppositam aliquando intelligere, non tamen præcise & semper, verum etiam aliam capitis partem ejusdem ossis: potest enim esse, ut contrahatur rima in parte alia, quam ubi contunditur os, hac ratione, quia superficies in medio robustior est, quam in extremis, & ideo potest contingere, ut percutiatur frons in media parte, & fiat rima in alia parte ejusdem frontis, hac de causa dico, quod* per aliam partem *non possimus semper & præcise partem oppositam intelligere, quoniam pars opposita est una, at, si Hippocrates loqueretur de parte præcise opposita, non esset periculosum, quia sciremus, quod in parte opposita esset rima, cum videremus, symtomata & partem affectam non habere læsionem: verum Hippocrates scripsit, quod hoc non potest sciri ab ægro, & sic, per aliam partem, intelligimus interdum vel* stricte oppositam, *vel etiam* non nimis distantem ejusdem osis, *& hæ partes* (ante sectionem) *non cognoscuntur*, quia nescitur, an læsa sit pars magis in uno, quam altero extremo.

Differentiæ, quam dedimus enodatio nos porro ad illas manu quasi ducit operas, per quas in Contrafissuræ *notitiam* est deveniendum. Unde tum illa signa, quæ ipsi cum reliquis cranii tam fracturis, quam fissuris intercedunt, *communia*, inde dicta, veniunt lustranda, tum quæ pressius eandem manifestant, ac *propria* audiunt, inquirenda & eruenda. *Sensus* ergo, quoad fieri potest, primo consulendi, quæ vero recondita magis, intimiusque latent, solerti & prudenti ratiocinio indaganda.

*Visu* namque usurpanda (1) læsionis *instrumentum*, si adsit, ejusque *substantia*, an sit corpus durum, lapis, lignum, ferrum, glans plumbea; an molle, pyrum vel pomum immaturum; *quantitas*, an longum, breve, *moles*, an leve, ponderonsum; *figura*, an asperum, læve, an rotundum,

dum, angulatum, an acutum, obtusum. (2) Eodem & *auditu* adhibito percipienda, *lædens* an sit vel fuerit juvenis, senex, an robustus, debilis, an ira cummutus, animo tranquillus (3) *locus*, ex quo læsio processit, an ex altiori, depressiori; an fuerit distans, propinquus. (4) *Impetus*, an fortior, vel remissior; (5) *via impactus* an directa, vel obliqua. Ferro enim longo, ponderoso, angulato, quando robustus & juvenis, cominus fortiter & directe caput petiit, quis ibi non gravem læsionem augurabitur?

Atque, cum cætera sint notiora, tum de ultimo & via impulsus, quod directus magis lædat obliquo, elegans est ratio mechanica, impulsus obliqui, corporis A fig. 1. in corpus obvium D C magnitudinem esse ad illam ejusdem corporis impulsus recti, uti sinus A D anguli incidentiæ A C D ad radium A C.

(6) *Corpus delicti* vocandum, vulnerati nimirum ætas, robur vel debilitas, ac conformatio, tum totius, tum capitis. Unde *loci læsi* lustrationem instituturus chirurgus, caput, num pileo vel mitra; num densa vel rara cæsarie obtectum, vel prorsus depile, prius consideret.

Dein, *Hippocratis* gravissimo ex præcepto, videndum, num sit in osse calvariæ robusto, an debili, densa vel tenui, cute obtecto. Num capilli a percussione dissecti, num vulneri immersi, redeundesque erecti. Illud enim ossis denudati, hoc læsi signum.

Partes porro cranio *superpositas*, cutem ac carnem, imo pericranium, in loco, quem color mutatus, vel tumor, vel divulsio ostendet, lustret, factaque incisione, pro situ plagarum, diversa modo sub forma X vel T, modo N aut V (de quibus evolvendus *Dionis* tractatus Gallicus, *Cours d'operations de Chirurgie*, inscriptus, hocque demum anno editus *p.* 344.) singulas, lege artis, removeat. Illarum læsionem minora, hujus autem graviora simptomata concomitantur, inferius statim nominanda.

*Visu* ulterius & *tactu*, oculis & manibus exploret, num vulnus cum contusione insigni conjunctum. Intueatur ipsum cranium, ejusque ex lævitate aut asperitate, nisi a futuris hæc ipsa proveniat, de calvariæ vel continuitate, vel fractura judicet, adhibito præprimis specillo convenienti, non nimis tenui, nec acuto, nec nimis pleno. Fissura si oculo haud pateat, tum partem, leniter derasam, medicamento nigro *Hippocratis*, seu atramento scriptorio chirurgorum illiniat, ubi, si vel capillaris adsit, eadem in conspectum veniet, insinuata localiter tinctura.

Deprehensa sic fissura, num per omnes cranii laminas penetret, vel deradendo, vel ita explorabit, jubens, uti vulneratus spiritum cohibitum, qua poterit contentione, sursum adigat. Humiditas vel sanies cruenta si per riman egrediatur, de eo nullum amplius dubium. Locum vero idem potius habebit apud vulneratos, & mentis compotes, & dolorum cruciatibus haud adeo afflictos.

Invenieris apud chirurgos plures adhuc operas, verbi causa, dum vel per funiculum, sub dentibus vulnerati, manibusque chirurgi, fortiter eundem

dem extenſum pulſantis; vel per dentium, baculo vel ferro, ſeu ſpatula, adminiſtratam pulſationem; vel per teſtarum, nucum avellanarum aut juglandium, dentibus tentatam comminutionem, cranium, num, & quo loco, fractum ſit, dijudicare conantur. *Hippocrates* ipſe jam dudum hæc tetigit in *Coacis*, *c.* 3. *t.* 374. ubi, an ſit os fiſſum, nec ne, ſic judicare oportet, *inquit*, adhibendo mandendum utraque bucca caulem aſphodeli, vel ferulam; & reliqua Vid. *Duret. comment. in h. l. p.* 412. ubi plura, & egregia, habentur. Verum, infidis forte his, eventibuſque contrariis ſuo de valore dejectis operationibus, agenda ſua committere, recte cum *Berenq. Carpenſi* & *Paræo* inconſultum judicat B. MEIBOMIUS, rebus humanis ac Academiæ Juliæ cum aliis celeberrimis viris intempeſtive ereptus, in eruditiſſima *de læſionibus cranii a cauſa externa violenta* diſſertatione.

Fiſſura inventa, præcipue patentiori, partes etiam cranii *internæ* inſpectandæ, conſiderateque obſervandum, num ſanguis extra vaſa emiſſus ibidem, vel extra, vel intra meninges hæreat; num hæ integræ, vel diſruptæ, verbo, quouſque læſio pertenderit, cunctaque ſedulo, atque ita tractanda, ne chirurgum vel medicum quidquam fugiat, quod & læſionem ipſam magis manifeſtet, atque inſimul e ſalute vulnerati eſſe queat.

Unde porro, luſtrato plagæ loco, (hæc enim opera reliquas ea propter antecedere debet, uti, quale ſit læſionum genus, conſtet,) omnem moveat lapidem, quo *ſigna* contrafiſſuram *ſpecialius notantia* eruat. *Celſi* itaque *lib.* 8. *c.* 4. de hoc monitum obſervet, inquientis: *Si graviter aliquis percuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſequuta ſint, neque ex parte, qua cutis diſciſſa eſt, rima reperitur, non incommodum eſt*, parte altera *conſiderare, num quis locus* mollior *ſit*, & tumeat *eumque aperire.*

Jungat eidem *Hieron. Fabr. ab Aquapendente*, qui, præter hæc, *Oper. chirurgic. part. I. l.* 2. *c.* 15. *p. m.* 100. obſervationes, ex praxi deductas, nominavit ſequentes, quibus contrafiſſuram in parte contuſioni vicina factam concludit: (1) vulnus ea parte, qua reſpicit os fractum haud ſanari, in aliis vero cicatrice obduci. (2) Ex eadem parte, tenuem quendam ichorem exire. (3) Saniem hanc copioſiorem, quam pro ratione magnitudinis vulneris, adeſſe. (4) Carnem mollem, laxam, hebetem, & flaccidam ex ea parte ſubſcreſcere, (5) per intervalla febriculam accedere. (6) Stylo immiſſo, cutem a cranio ſeparatam reperiri.

Nec inutile erit, ex præcepto *Guidonis de Cauliaco* & B. *Chr. Ioh. Langii*, *Operum*, hujus, *chirurg. c.* 5. capiti, ex toto prius raſo, circumjicere maſſam quandam, farinaceam, vel unguentum ex albumine ovorum & maſtiche factum, applicatiſque linteaminibus calidis (quod ipſum non præcipit *Guido*, ſed per diem dimittit, contra ea vero tunc *ſiccum* conſiderat locum) obſervare accurate, ex *humida linea* relicta, in reliqua maſſa perfecte exſiccata, ubi, & qualis ſit illa fractura. Quem indagandi modum B. Vir certiorem judicat, ipſa ſola ſymptomatum, ſcotomiæ, vertiginis, vomitus bilioſi &c. conſideratione.

Et,

Et, quemadmodum hic humida linea attenditur; ita *Franc. Arcæus de recta curandorum vulnerum* ratione *lib.* 1. *c.* 5. pileolum ad *Bertapaliæ* mentem, ex ceræ citrin. thur. ſand. ana ℥ij. tereb. acet. fortiſſim. & farin. fabar. a. ʒj. invicem ſubactis formare, & capiti, abraſis capillis, extendere jubet, hocque per aliquot dies relicto inſpicere, & ex *parte* ejus *exſiccata* fracturam deliteſcentem credere. Huic tantum tribuit chirurgus, uſu & exercitio multo alias præſtans, ut *certam experimenti rationem* vocet *p.* 41.

Alii cum eodem *Bertapalia* idem tale ex thuris, ceræ, laudani a. ℥iij. mixtis componunt, eademque ratione applicant, ſicque cum *Paræo l.* 9. *c.* 8. contrafiſſuræ dignotionem, de qua deſperat *Hippocrates*, exquiri poſſe exiſtimant. Tentari hoc poterit minimum, quando ſanies nondum eſt generata, vel hæc potius anteverti, & præſumptive pejora quævis argui debent.

Inprimis vero non tantum ex ægro præter ea, quæ viſu deprehenderis, jubente *Hippocrate cit. libro*, ſciſcitantum, *qualiter* & *quo pacto vulneratus*; id eſt, num in ipſo percuſſionis momento ſtridorem quaſi oſſis fracti perceperit, unde & experimento illo in *Coacis l. c.* inquirit, num ipſi os aliquod ſtrepere inde videatur &c.; verum & probe obſervandum, quemnam capitis locum ſubinde, & conſtanter magis, contrectet. Quando enim, ſive delirans, ſive mente haud captus, manum uni eidemque loco ſemper admovet; tum vel ibi calvariæ fracturam, vel vaſorum ſubtus latentium rupturam ſubeſſe, minimum ſuſpicandam, quis dubitet, penſitatis præſertim pluribus, eandem læſionem coindicantibus circumſtantiis?

Unde ab *Ebuſinæ* temporibus, ejuſque autoritate, idem inter ſigna hæc admodum invaluit, adeo, ut de eodem non incongrue ſcribat *Jo. Bereng. Carpenſis de fract. cran. part.* 2. *c.* 1. *p. m.* 13. *Hoc apparet in quocunque, quod, ubi eſt aliquis dolor, patiens ipſe ſtatim ſuccurrit, ſaltem cum manu. Et hoc omnibus eſt notum: non mirum ergo eſt, ſi* Avicenna *poſuit tactum cum manu pro ſigno læſionis loci, cui applicatur manus, ſive æger ſit in bono intellectu, ſive non, & non ſaltim ſuccurrit manu, etiam caput hinc inde movet, quærens lenimen.*

Neque vero ſoli ſenſuum indagini ac judicio hæc ipſa committat chirurgus & medicus, verum & *ratiociniis*, ingenioſis ſtatim luſtret actiones læſas, *ſymptomataque* tum *præſentia*, v. gr. vertiginem, caliginem, collapſum, obmuteſcentiam, vomitum adſumtorum ac bilis ſanguinis ex naribus, ore, vel auribus effluxum; tum poſthæc *ſupervenientia*, febrim, deliria, convulſiones, epilepſiam, paralyſin, apoplexiam, torporem ac carum. Verbo, ſingula conjungat, ex ſignis ſeligat pathognomica a communibus, omnibuſque inter ſe collatis agenda, & ad medelam ſpectantia, determinet, nullo non tempore grave illud medicorum monitum: OMNIA SUSPICARI, & NUSQUAM TUTA FIDES animo revolvens.

Quid ſi καθ' ἅρσιν procedendo contrafiſſuram, ejuſque locum inquirat, atque, haud ſeſe oſtendentibus *Hippocratis* læſionem capitis ſummis generibus, *fiſſura*, *contuſione*, *depreſſione* ac *ſede teli*, præſentibus nihilominus ac-

tionibus læsis *contrafissuram*, seu vasorum tamen ruptiones sub cranio concludat?

Haud equidem nos latent dubia, tum contra communium, tum propriorum signorum valorem, ab autoribus hinc inde in medium prolata. Unde, ut, crescente præter opinionem schediasmate, de primis saltim contrafissuræ notis ex *Celso* depromtis nunc dicamus, haud procul invenies, cum *Pavio* objicere & interrogare paratos: Quid si nihil tumoris aut mollitiei alter quidam locus ostendat? ex *Celsi* cerebro, haud læsionum inspectione, hæc enata, cum *Cortesio*, cogitantes.

Verum contrarium patebit ex observationibus binis egregiis anni 1690. *Dionis* chirurgi Gallorum primarii, quas *cit. libr. p.* 339. *seqq.* insertas exhibet. Ex ictus nimirum loco in coronæ regione, trepani ope, eduxerat sanguinem, usus tamen rationis viro ex lapsu vulnerato haud redierat. Tertio proinde, post hæc, die in occipite *tumore* observato, trepano locum etiam subjecerat, sanguinem ibidem inventum exemerat, atque, sic deliriis statim profligatis, eundem successive sanitati restituerat. Perinde ac contrafissuram ex *tumore* loci recte judicatam addit, in infante novem annorum, globo, sub trunculorum lusu, percusso, regionibus hujus & ictus admodum vicinis.

Singulis ergo recensitis signis pathognomicis memoriæ mandatis chirurgus accedat, & quænam se ex iisdem offerant, probe observet. Ita vero rectissime, uti credimus, sibi consulet, neque, justo longius expensis hujusmodi difficultatibus magis conturbatus, timidus ac agendorum ignarus reddetur. DEUM enimvero devote invocanti, methodi medendi gnaro, ac solerti indagatori, sæpius in arena proficua sese offerent signorum argumenta; auxilium contra vel paucas in horas dilatum percussum in perniciem vitæ potius deducet.

## SECT. I. MEMBRUM III.

## *De Contrafissuræ Causa.*

QUemadmodum pro contrafissurarum existentia diversa contulerunt symbola autores, sic & in earundem causa alleganda iidem variant. Quidam cum *Hieron. Febr. ab Aquapendente Oper. Chirurg. part. prior. l.* 2. *c.* 14. ad aërem cranio inclusum confugiunt, existimantes, ipsum ex ictu commotum totam cranii substantiam pervagare, in parte opposita allidi, renitensque os illud findere.

*Jo. Andr. a Cruce* quamvis *Chirurg. universal. tract.* 2. *de vulnerib. l.* 1. *c.* 3. remotas & procatarcticas, de instrumentis nimirum lædentibus differens, nonnisi explicet, capite tamen præcedente modo motum vehementem reflexivum, modo pressius, tum agitationem aëris, tum substantiæ spiritu abundantis, in calvæ cavitate contentorum, nominat.

Perinde ac *Gabr. Fallopius* in *expos. Hipporatis de vulnerib. cap. c.* 14. &, qui

qui ejus ſententiam laudat B. *Ammannus cit. loc. l.* 1. §. 5. & *cap.* 2. §. 1. agitationem ſpiritibus, intra corpus contentis, ab ictu communicatam, inque parte oppoſita duplicatam accuſat. Nec diſplicet *Fallopio* huic conjungere ipſius calvæ conſtitutionem, quando *eodem cap.* verbis ſuperius allegatis inquit: *Poteſt eſſe, ut contrahatur rima in parte alia, quam ubi contunditur os, hac ratione*, quia ſuperficies in medio robuſtior eſt, quam in extremis.

Inclytus mathematicus ac medicus quondam Cæſareus *Jo. Marcus Marci*, in ſuo de *Proportione motus figurarum rectilinearum & circuli quadratura ex motu tractatu, part.* 4. *de percuſſionibus cap. de contrafiſſura*, duo allegare, inque his ſuum, hac de cauſa, aſſenſum firmare videtur, (1) figuram cranii ſphæroidem, (2) impulſus, ad majus intervallum deſtinati, violentiam.

Verba ejus ſunt ſequentia: *An ergo dicendum, in figura cranii ſphæroide ſitam eſſe cauſam? quod partes ab extra preſſæ magis ſtipentur, magiſque reſiſtant diviſioni; a centro autem facto motu, a ſe invicem diducantur? Ita enim fornices onera videmus ſuſtinere & contra niti; quod ſi a parte interna ſeu cava urgeantur, fatiſcere ac diſſolvi. Cum ergo cranium in modum fornicis ſit reductum, non facile a plaga ab extra incidente diſſolvi poteſt; parte vero oppoſita, quia impetus extra fertur, eſt que a centro perpendicularis, nihil mirum, diſſolvi illam continuitatem. Accedit, quod impulſus, facto principio motus a plaga, non conquieſcit in parte oppoſita; cujus violentia ad majus intervallum deſtinatur. Cum itaque reflecti ſit neceſſe: & pars ſiniſtra dextrorſum, hæc ſiniſtrorſum abeat; in illa motuum contrarietate, partibus a ſe divulſis, accidit fiſſura.*

Ut vero de cauſis allatis breviter noſtram dicamus ſententiam: prima, de commoto intra cranium exiſtente, ac concluſo, inque partem oppoſitam fortiter allidente, eamque frangente aëre, nulla eſt; cum nulla fiat ejus compreſſio, & quantum pars cranii percuſſa introcedit, tantum inter locum ictus & oppoſitum ſita intermedia extravertitur. Exempla phialæ percuſſæ, & in oppoſita fractæ, non probant quod eſt probandum, cum aëris circulatio ibi haud ſit impedita. Unde nulla compreſſio, nullaque inde fractura poterit oboriri.

Dicta hæc optime confirmat experimentum, a Doctore ac Profeſſore medico ERNESTO HENRICO WEDELIO, filio D. Præſidis natu maximo, hiſce diebus, hanc in rem, inſtitutum, obtenta campanula ænea, cui fundus, ex tornatoris incuria, prorſus erat exciſus. Suſpenſa hæc ex filo, prout *Fig.* 2. monſtrat, itu redituque aëris ſic liberrimo, malleolo percutiebatur aliquoties in *a*. Hoc facto in loco ictui oppoſito *b*. ſtatim aderat contrafiſſura. Unde ictu uno adhuc, uti pateret, quorſum ſe fiſſura eſſet extenſura, abſoluto, etiam in loco ictus, prorſuſque diametraliter duas in partes campanula diffindebatur.

Experientia a montibus vel turribus per aërem ſciſſis huc quoque minus facit, quandoquidem is ibidem coarctatus, per ſpiritus autem ſubterraneos valde elaſticos, uti naturam ars in cuniculis [1] *dénen Minen* eſt imitata, valide expanſus, non poteſt non, carceris impatiens, obſtantia quæque

disjicere. Agitatio vero ſpirituum, intra corpus contentorum, quæ *Fallopii* erat ſententia, ſymptomatum potius, contrafiſſuræ comitum, quam ipſius contrafiſſuræ cauſa exiſtet.

*Joh. M. Marci* tandem rationes, quamvis propius ſcopum feriant, dum in figura cranii & impulſu illato cauſam quærunt, aliqua tamen egent & explicatione, & ad cauſam contrafiſſuræ proximam deductione, tum ex ejus *Othoſophia* ſeu *impulſus philoſophia* petendis, tum noſtris ex placitis facile ſupplendis.

Qua de re CAUSAM contrafiſſuræ primi generis IMMEDIATAM ac *proximam* in *flexione*, *compagem particularum cranii ſuperante* collocamus. Enimvero cranium, ut *Membr. II.* dictum, ex particulis conſtat, inter molles ac duras medium quaſi locum obtinentibus, quæ alias ab autoribus *ſolidæ* vocantur, fluidis, quæ nullam habent conſiſtentiam, oppoſitæ.

Dictæ hæ particulæ cohærentes ac conjunctæ, cum non undiquaque ſe contingant, ſed innumeras cavitates, quas, cum omnia ſint in mundo hoc plena, maſſa quædam ſubtilis ac agitatiſſima perluit, interſperſas habeant, poſſunt, expulſa tantiſper illa, comprimi, atque ad ſe propius accedere. Quoniam vero materia illa, recepto nunc in ſcholis nomine *ætherea* appellata, iſtis cavitatibus, tanquam totidem carceribus incluſa, reluctatur, fit, ut particulæ cranii, ſub hac compreſſione, inſtar machinæ, reſiliant, renitantur, ac reagant, indeque corpus conſtituant, quod compreſſibilibus, ſeu *elaſticis*, accenſetur.

Inde porro illud efficitur, uti, quotieſcunque cranium, accepto ictu ita *inflectitur*, ut particulæ ejus ſolidæ aliquem quidem motum ac tranſpoſitionem patiantur, ex ſuis tamen locis haud prorſus expellantur, ſed ad priora redeant; caput, communi cum ſolidis ac duris corporibus ratione, dum ætheris, per ictum ſuis e porulis ejecti, alterni reditus illud vibrant, *tremere* ac concuti incipiat.

Redibit tamen priſtinam ad figuram ac ſtatum cranium, nulla oborta fiſſura, quando præciſe potentiæ comprimenti *æqualis* erit reſiſtentia compagis partium ejus ſolidarum. Ictu autem priori vel ſtatim aliquoties, ceſſante nondum priſtino capitis tremore, repetito, vel fortiori, *flexionem*, partium cohæſionem *ſuperantem*, efficiente, inflicto, præſto erit *fiſſura*, particulis ſuis ex locis longinquius, ac ultra earum elaterem, quaſi ſpecialem, dimotis.

Sufficit enim nobis in præſenti, illam particularum cohæſionem ac compagem, ſenſibus obviam, nominaſſe. Nec attinebit ſummorum virorum diſceptationes, an a vi magnetica *Archimedis* ac *Borelli*; glutine quodam vel hamulis *Gaſſendi*; funiculo *Lini*; gravitate ac preſſione ætheris *Bernoullii*, ſeu undecunque veniat illa, facere noſtras; quamvis, ut verum fateamur, ultima, peculiari de *gravitate ætheris* tractatu a B. Viro ingenioſe admodum oſtenſa, reliquis palmam reddere dubiam videatur.

Ita namque in via regia artis cultorem deducunt, nec in compitis, jamtum ſatis frequentibus, eundem errare permittunt verba *patholog. dogmat. Wedelianæ*

*Wedelianæ Sect.* 2. *c.* 13. *p.* 407. de hac ſolidorum divulſionis cauſa ſolide, atque ex legibus mechanicis prorſus concludentia: *Quæcunque partes ſolidas, naturaliter* indivulſas, *quoquo modo præternaturaliter* divellere, & a ſe invicem ſeparare *poſſunt*, *illa in genere cauſæ ſunt ſolutæ unitatis. Nihil enim aliud ſunt morbi hi, quam ſpecies divulſionis, ut fiat διάστασις τῶν συμφύτων μερῶν, connatarum partium diviſio.* Jam vero *flexio* in locis contrafiſſuræ contingens *fortior*, quam uti compages particularum illud ferat hoc efficit: Ergo erit cauſa immediata ac proxima contrafiſſuræ.

Quidquid autem *flexionem* illam producere valebit, hoc ipſum CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS nomen merebitur. Eſt igitur illud extra omne dubium *ictus*, ſeu *impulſus*, alio quam contrafiſſuræ in loco, capiti impreſſus. Dicit hic ac denotat validam non minus, imo validiorem particularum cranii ſolidarum compreſſionem, ita tamen *limitatam*, ut nulla ibidem fiat actualis earundem ab invicem divulſio. Dum enim nonniſi de contrafiſſura agimus, facile patet, ad nos non ſpectare illos caſus, ex placitis noſtris æque, ac haud difficulter, exponendos, ubi a vehementiori ictu locus uterque validius inflectitur, indeque finditur, oborta ſic fiſſura cum contrafiſſura.

Oritur nominatus *ictus* in illa actione, quæ *percuſſio* vocatur, a corpore quodam *extrinſeco*, ac *impellente*, violenter contra caput adacto. Cauſa igitur mediata hæc denuo aliam, *aliunde* venientem PROCATARCTICAM Græcis dictam, ſupponit. Viſo proinde corpore *impulſo*, patiente, agentique reſiſtente, luſtrandum porro *impellens*, agens, reſiſtens illud vincens, atque in motum abripiens.

Corporum nempe *impellentium* nomine veniunt omnia illa, quæ unitatem vel continuitatem cranii reddere poſſunt quovis modo ſolutam, qualia ſunt non tantum omnia ſolida ac dura, verum quandoque & mollia. Notatu enim dignum Magnif. D. SLEVOGTIUS in egregia ſua de *cranii carie* diſſertatione recenſet exemplum, ubi pirum immaturum ex alto, in dextrum ſinciput, pueri octennis, projectum, hujus & inſecutæ mortis cauſa extitit. Longum nimis foret, totidem ex recenſionibus ſiſtere læſionum hæc inſtrumenta, lignea, lapidea, plumbea, ferrea, aliaque, in miniſterium iræ ac vindictæ, imo hinc cædium ſæpius, uti furor arma miniſtrat, adhibita, quorum variantes rationes jamtum ſub ſignorum, in quantum ad illa faciebant, recenſione, fuere penſitatæ.

Viſis hinc cauſis ſingulis, conjectura haud difficili erit aſſequenda ratio, qua excitata ac in motum deducta procatarctica, tandem contrafiſſura oboritur. Siquidem exempli loco conſiderato fuſte, communi admodum armorum genere, talibus in diſſidiis arrepto, certum eſt ex rationibus mechanicis, in unaquaque ejus particula contineri impetum, adeo, ut ſi in motu avellatur, ipſa mobile impellat. Jam vero, quoniam partes fuſtis percutientis ſunt cohærentes, ea propter totus impetus cogitur in illud extremum fuſtis, quod mobile impellit. Quo longior ergo fuſtis, eò plures ejus partes impetum, in ſe, continentes: Ergo eo fortior impetus, in ejus apicem a plu-

ribus collectus. Unde, fuste longiori exceptas pilas lusorias, ad majorem distantiam excuti notissimum est.

Fustis proinde talis in caput obvium violenter impulsus, eidem suum erat communicaturus motum. Ante vero quam totum hoc cedat, prius cedit pars, cum, ex corporum constitutione, & quoniam nullum datur solidum infinitæ duritiei, constet, nunquam impelli posse ac cedere totum, nisi prius cedat ejus pars.

Jam multo gravior foret læsio, si fustis talis immediate in solidam calvariæ substantiam adigeretur. Provida ergo utilitatum natura cranium cute, crassitie insigni, & eo voluit fine investitum, ut vim fortuitorum facilius eluderet, dum non firmum & rigidum, sed molle & cedens obstaculum offendentibus iisdem vis ictus non parum frustratur, ac postea continenter, ab illa mollitie & partium flexibilitate imminuitur, præprimis si in caput immittatur fœcunda ac frequenti cæsarie, pileoque vel mitra densioribus munitum.

Ictu ergo, seu plaga inflicta, partes capitis, seu cranii potius, de quo nobis est sermo, hanc sustinentes, utpote propiores, non modo *prius* moventur reliquis tanquam remotioribus, verum & *fortius*, plusque virium impenditur hunc in locum, quam reliquas partes; cum in circumjacentes distributus, magisque dispersus impetus, non possit non fieri magis remissus. Id quod minus observarunt, neque cum legibus motus concilianda posuerunt *Fallopius* & alii quidam, locis, superius allegatis, affirmantes ictum reflexum recto longe esse validiorem.

A loco igitur plagæ ad sequentes & oppositas partes, uniformiter difformiter, uti loquuntur autores mechanici, fit impetus propagatio, & quidem propemodum momentanea. Dico vero *propemodum momentanea*, cum impossibile sit, ut eodem instanti, in quo extremitas capitis, tanquam corporis cujusdam concreti, percutitur, simul agitentur omnes ejus partes.

Quamvis itaque cranii particulæ solidæ in loco ictus majorem patiantur compressionem, majoremque inde motum ac transpositionem, verbo, figuræ mutationem; nihilominus non ibidem, sed alio in loco contingit fissura, idque non modo ratione *figuræ*, verum etiam, & quidem magis, ratione *texturæ*.

Atque, cum regularia sint mensura irregularium, ponamus primo figuram cranii perfecte circularem, *a c b d*, *figur.* 3. dein. texturam ejus uniformem, & tertio, æqualem quoque, accepto in *d.* ictu, in singulis circumferentiæ partibus vim impendi. Hoc posito, majorem effectum exhibebit impetus illis in locis, ubi majorem producere poterit *figuræ mutationem*, id est, in quatuor verticibus *a b c* & *d.* Unde, ictu in *d* inflicto, ex figura circulari, fiet *elliptica* reddeturque eadem in *e* & *f* acuta, in *g* & *h* obtusa, ibi extra circumferentiam promotis, hic intra eandem reductis terminis. Hac ratione mutata figura, facilis erit tum in verticibus axis majoris *e* & *f* tum in minoris *g* & *h* fractura, ultra compagem & elaterem earum, uti supra dictum, dimotis ejus particulis solidis.

Atque

Atque hæc, ex percuſſione ſolidorum, figuræ mutatio tam certa eſt, ut experimentis hodie facile conſtet, vel a minimo eam produci poſſe ictu. Sonus enim, quem ſtatim reddunt, idem ſatis confirmat, qui produci non poſſet, niſi repetitis ex vibrationibus ætheris corpus tremere, id eſt, figuram priſtinam ſæpius mutare inciperet. Adeas inſuper *Borellum*, qui libro eleganti *de vi percuſſionis p. m.* 205. experimentis in ſtatera factis, dedit demonſtratum, ab ictu perexigui corporis, pondus nihilominus vaſtum fuiſſe aliquantiſper concuſſum ac ſublevatum.

Quocirca, ne ullum, de hac figuræ, in ſolidis, ex percuſſione, mutatione reſtet dubium, en aliud ab Illuſtri, ac ſupra omnem laudem poſito Dn. LEIBNITIO, gratioſe nobiſcum communicatum, ac *fig.* 4. delineatum: Annulum majorem ferreum diametri quatuor pedum (quo major, eo melius res ſuccedit,) tribus funiculis in *a b c* alligatum, ex unco *m* ita ſuſpenſum curavimus, uti ſitum teneret horizontalem. Deinde globulum æneum *e* ex alio unco *f* filo ſic demiſſum dedimus, uti interiorem annuli oram in *e* ſtricte contingeret.

Singulis ita quieſcentibus, in *g*, diametraliter huic oppoſito, exterius annulum percuſſimus. Hoc impulſu ſtatim annulus ellipticus factus globulum æneum *e* verſus nos excuſſit, eadem prorſus ratione, ac ſi ex oppoſita parte in loco *e* extrinſecus fuiſſet ictu exceptus annulus. Fieri illud haud potuiſſet, niſi partes annuli *g* & *e* introrſum, *h* & *i* vero extrorſum fuiſſent adactæ.

Pro eodem confirmando, uti inventis facile eſt addere, duos adhuc globulos ex ejuſdem conclavis laquearibus uncis *k* & *l* ita filis ſuſpenſos demiſimus, uti annulum in verticibus *i* & *h* extrinſecus ſtricte attingerent. Cunctis iterum quieti datis, annulum in loco *g* denuo percuſſimus, & ſtatim globus *e* verſus nos, globus autem in *i* dextrorſum, alter in *h* ſiniſtrorſum excutiebantur, indicio manifeſto ex ictu axem *h i* elongari, alterum vero *e g* abbreviari, & ſic annulum figuram ellipticam induere. Notabilis quoque erat tremor diu durans, & globulos per aliquod temporis ſpatium pulſans. Quod ſi annulus non ictu, ſed manu leviter ſuo ex loco verſus *e* dimovebatur, figura adeo ſalva, globuli ſinguli quieti remanebant, amotis ita locis annuli ſingulis a globulis ſuſpenſis in *e h* & *i*.

Judicabimus nunc ex hiſce, quid contingat in cranio *figur.* 5. non rotundo, ſed oviformi, primo, ſolius reſpectu figuræ. Hoc ipſum in occipite *a* figura ſphæroide ampliori, in fronte ſphæroide arctiori; in temporibus autem *c* & *d* depreſſa magis, eſt circumſcriptum. Ex quo patet, cranii fornicem anteriorem conſtrictum injuriis hoſtilibus, quas adverſa facie excipiunt fortiores, magis expoſitum validius reſiſtere, præ poſtico ampliore. Valde debiliter autem depreſſæ temporum regiones idem agunt. Unde non mirum, ictuum etiam, vel ab antica, vel a poſtica parte exceptorum vehementiam, in has facile exonerari partes, obſervataſque in iiſdem frequentiores contrafiſſuras. Quorſum & multum confert *textura* oſſium cranii, in illis temporum, & in bregmatis locis tenuis & fragilis magis, uti jam ſuperius

rius fuit annotatum; in fronte ac occipite fortior, & præter hæc appositis processibus, tanquam anteridibus, fulcita.

Si proinde figura texturaque craniorum non tantum, per transversum & horizontaliter, *fig.* 5. verum & per longitudinem seu perpendiculariter *fig.* 6. imo & oblique sectorum inspiciatur, singula probe conjungantur, & expendantur, patebit ratio, quare fronte icta integra, fissum sit occiput, allis in casibus non hoc, sed vel bregma, vel os aliquod temporum; icto bregmatis osse sinistro, qua lambdoidi jungitur, fissum sincipitis os dextrum prope bregma, quales & variæ aliæ contrafissurarum historiæ occurrunt apud superius nominatos, tum observationum scriptores, tum medicos, ibidem evolvendæ, & adductis ex principiis nostris facile explicandæ.

Siquidem, exempli causa, accepto in occipitis latere dextro *e* ictu, illa pars introrsum flexa equidem, non vero ob robur fissa, idem cranium in locis *f* & *g* ob singulorum ossium contiguitatem, validamque in futuris implicationem, extravertit, nec ibi tamen, ob laminarum robur, fractum deprehensum fuit. Ast in opposito magis ictui loco, ac tenuiori, solidoque temporum esse e contrafissura aparuit, introflexo eodem facile oborta.

Contra vero accepta, frontis in parte dextra *h*, plaga, nec hæc, nec opposita occipitis in *i* introactæ equidem, ob firmitudinem tamen haud fissæ fuere, sicuti nec locus *g* extraversus, eandem ob causam. Verum os idem temporis *c.* debilius, quamvis haud oppositum, sed quarta circiter parte distans extra actum, fissuram fuit passum. Perinde ac percusso *fig.* 6. vel osse frontis *a* vel occipitis *b* nullum horum, vel ictum excipiens, vel oppositum fuit fractum, sed fissum deprehensum modo os bregmatis sinistrum in *c*, modo dextrum, extra coacta, & ob eorum, in his locis, extremitatem, fortius concussa atque inflexa.

Idem hoc nobis in testarum fragmentis majoribus pluribus accidit, in museo superius laudati Doctoris ac Professoris Medici, *Wedelii*, eodemque præsente, malleo percussis, quorum unum, quoniam dicta, de bregmatis ossis contrafissura, egregie illustrat; *figur.* 7. exhibet. Malleo nimirum leviter percussa testa in *a* tremorem ejus undique tactu explorabamus, fortissimum in apice *c.* Unde, validiore sub ictu, ibidem potius, quam aliis in locis, oborturam fracturam, edicebamus. Respondebat eventus, siquidem facto eodem, in *b* diffringebatur. In alia tali testa idem contingebat, cum repetitis statim, nondumque a priori pulsu cessante tremore, ictibus, quamvis minus fortibus. eandem exciperemus.

Progredimur ad contrafissurarum DIFFERENTIAS, quas ad octonarium numerum adscendentes recenset *B. Ammanus Disp. de resonitu alleg. cap.* 2. §. 5. facile tamen contrahendas. Nimirum, ut statim ab exordio hujus argumenti allatam præsentibus denuo accenseam, contrafissura alia erit in capitis partibus *continentibus*, cranio nimirum, alia in *contentis*, vasis nempe, tum meningum, tum cerebri ipsius. Illa vel est in *propinquo* plagæ inflictæ, dum v. gr. os idem frontis in sinistra parte percutitur, finditur in

dextra,

dextra, aut osse bregmatis sinistro icto, finditur sincipitis os dextrum prope bregma; vel in *remotiore* aut *opposito* loco, dum osse occipitis percusso finditur vel bregma, vel frontis illud.

Utraque denuo vel fissuram exhibet, unam tantum laminam, sive internam, sive externam, vel utramque penetrantem. Imo & casus dantur, ubi salvis prioribus, intermedia medullaris læsionem est sortita, sanieque inde orta ac febri, longo demum post tempore vitam vulnerati cum morte commutarunt.

Tandem & contrafissuræ cum fissuris occurrunt, id est, non tantum locus alius, sed & locus plagæ fissi fuere deprehensi, quoniam fortior ictus non modo locum ictus, verum & alium, præsertim debiliorem, validius inflexos indeque fractos dedit. Illam vero contrafissuram, ubi in loco ictus, lamina calvariæ externa integra, interna fuit fissa, imo quandoque testas & fragmenta, meninges, vel cerebrum ipsum, pungentia emisit, ad nos non spectare, superius jamtum est dictum.

## SECT. I. MEMBRUM IV.

## *De secunda Specie Contrafissuræ.*

QUandoquidem plura, in superioribus jam recensita, considerationem hujus læsionis adjuvant, tum singula hujus cognitionem concernentia membro præsenti dabimus breviter expedita, visoque ejus *definito*, de *genere* ejusdem *remoto* dispiciemus. Hoc denotat *rupturæ* vox, secundus nempe *solutæ unitatis* morbus, atque *divulsionis* species, in qua parietibus, tum membranarum, tum vasorum, his intertextorum, in sua unitate solutis, actuque ipso divisis, divulsis, ab invicem sejunctis, quod vehunt, fluidum extravasatur.

Utut enim ruptura, herniarum exemplo, quandoque in sensu latiori pro laxatione, eamque consequente dilatatione, accipiatur; stricte tamen disruptionem, actu factam, indigitat. Unde hac ex causa, & quoniam hæc denominatio (quod denuo D. *Præses patholog. dogm. Sect. I. c. 6.* gravissime innuit) partibus magis mollibus, continentibus; hisque interum potissimum internis, salvis & illæsis externis, est conveniens, *rupturæ* nomen usurpavimus.

*Proximum* autem *genus* a *subjecto* non minus est petitum, *vasis* nimirum vel *meningum*, vel ipsius *cerebri*. Vasorum appellatione intelligimus quoscunque tubulos, *fluidum* quoddam vehentes, sive id sanguinis, sive lymphæ, sive his adhuc subtilioris cujusdam in censu veniat, quosque tum meningibus, tum cerebro ipsi artificiosissime videmus interspersos.

Nec etenim sola *fibrarum*, ex quibus meninges sunt contextæ, divisio gravem hanc pareret noxam, utpote sæpius a chirurgis, pro eximendo san-

guine ſubtus jacente, data opera inciſarum, verum eadem horum vaſorum dilacerationi, indeque effuſo eorum liquido, venit adſcribenda.

*Differentia* porro eadem eſt cum priori, *alius* nimirum *locus*, *quam is*, *qui ictum excepit*, ex genere facile limitandus, intelligenduſque non partium *continentium*, & cranii, ſed *contentorum*, & ſubtus latentium, vel meningum, vel ipſius cerebri.

Locus autem hic ex ſignis ſuperioribus, jamtum memoratis, mutatis mutandis, erit inveſtigandus, atque inprimis, cum is ad interiora magis ſeceſſerit, ſymptomatum ratio habenda. Unde, verbi cauſa, ex vertigine, caligine, obmuteſcentia, vomitu adſumtorum, ac bilis, labes nervoſo generi illata; ex ſanguinis per nares, aut aures eruptione ruptum in interioribus vas quoddam ſanguiferum; ex inflammationum ſignis, vigiliis contumacibus, febribus, deliriis, convulſionibus &c. invicem ſe conſequentibus, fluidorum in putrilaginem vergens ſtatus, concludenda.

Perinde ac dolorem, v. g. pungitivum, ac fixum indicante ægro, atque oculorum rubedinem, ſingultus, vomitus, paſſiones colicas; & ſimilia, oſtendente eodem, de meningum læſionibus erit cogitandum. Locus etiam hic conſiderate notandus, ſi cui frequentius manum admoveat.

Sic & remotive denuo hæc magis patefient, quando nec æger oſſis, tamquam fracti, ſtridorem, ſub percuſſione, perceptum indicabit, nec cranium, ex monitis ſuperioribus, denudatum fiſſuram ullam monſtrabit. Quemadmodum de hiſce, læſiones internas manifeſtantibus ſignis fuſius, & diſtinctis capitibus agit *Berengarius lib. cit. part. II. c.* 3. 4. 5.

*Cauſæ immediatæ* nomen *alliſus* tuetur, facile concipiendus, & exemplis, vel mollium in ſolidis continentibus, vel undarum adverſus littora agitatarum illuſtrandus. Duo ergo ad alliſum hunc producendum concurrunt: (1) Corpus *ſolidum*, & quadantenus durum, *ad quod fit aliſio*, oſſeum nimirum calvariæ tegmen, in quo cerebrum, pellibus ſuis inveſtitum, tanquam in vaſe; ſeu, ut pretioſiſſimæ merces in ſuo involucro, eſt reconditum. (2) Corpus *allidens molle*, ex particulis, aliquam tamen conſiſtentiam habentibus, indeque reſiſtentibus, coagmentatum, meningum nimirum, cum cerebri haud exigua mole, multiſque vaſorum tubulis intercepta, incluſa.

Duo hæc corpora, cum ſint diverſæ admodum texturæ, tum facile eſt judicatu, facta *percuſſione*, quæ denuo, ex dictis *Membr. III. cauſæ mediatæ* fungitur vicibus, indeque in motum abrepto vaſe calvariæ continente, quid contingat.

Sua enim in figura, ex demonſtratis noſtris, mutatum, atque intus, & ſic retroflexum cranium particulas ſuas ſolidas, tanquam totidem cuneos, in fibroſam, ac mollem meningum & vaſorum ejus ſubſtantiam adigit, vim quoque illatam, per hanc, ulterius ad cerebri vaſa propagat, illorumque unitatem ea ratione ſolvit, uti fluidum, quod vehunt, cujuſque partes jamtum in continuo verſantur motu, ſuis terminis ac alveis evolvatur, aliaſque

cavita-

cavitates occupans, ϛάσιν concipiat, ſtagnet, ichoreſcat, graviſſimorumque malorum cauſa exiſtat. Ideo namque requirebatur continuitas, ut fluida, alienis terminis contineri ſolita, proprio neſcia, alveis ſuis contenta, legitimo ordine & motu poſſent contineri, æque ac moveri.

Hujus tandem contrafiſſuræ non alia eſt *differentia*; quam, quod, pro ratione plagæ inflictæ, alia *levioribus*, medicamentiſque accommodis citius amovendis, alia *gravioribus*, pericula graviora, imo vitæ ipſius diſcrimen, minitantibus, ſit ſtipata ſymptomatibus.

---

## SECTIO SECUNDA.

## *DE CONTRAFISSURÆ CURATIONE.*

### MEMBRUM I.

### *De ejuſdem Prognoſi.*

QUoniam graviſſimo *Celſi l.* 5, *c.* 26. ex monito, *prudentis eſt hominis, primum eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit; Deinde* autem, *ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur:* ea propter commodum erit, ipſi curationi præmittere conſiderationem de ejuſdem *difficultate*, ſeu expendere, quomodo contrafiſſuræ *prognoſis* ſit formanda.

Hoc ergo in negotio denuo ad rem pertinebit, divinum audire *ſenem* loco illuſtri *L. de Loc. in Hom. c.* 43. ubi ſub titulo fracturis capitis præmiſſo: *ſiquidem* ſcribit, *os fractum fuerit & contritum, periculo vacat, & curare oportet hinc humectantibus medicamentis. Sin rumpatur & fiſſura fiat, periculoſum eſt.*

Singula quaſi accurate obſervanda monet, in *prædictione* & *curatione*, ſuo tunc tempore in uſum vocata. Vulgaris quippe fractura quæcunque, habito nempe ad alia reſpectu, haud adeo perniciosa, vel lethum inferens eſt, modo non negligatur. Aſt fiſſura, & gradu majori contrafiſſura revera *infortunii* loco habenda, &, tanquam ad ſtygias umbras miſſura, timenda.

Patebit autem hæc prædictio magis, ſi primo læſionum *genus*, *ſubjectum* & *cauſam* graviſſimam luſtremus. *Fiſſura* hæc concuſſionem, conquaſſationem, extravaſationem infert, eamque ut plurimum ſummam. Quot verba igitur, tot momenta periculi longe maximi: inde ſpiritus, humores & pori ipſi ſuos experiuntur ac patiuntur manes, totique machinæ ruina præceps imminet, ipſa baſi velut ſubruta, atque ex ordine dimota.

Variant tamen hæc gradu ac diſcrimine non uno, diverſis in *ſubjectis*, tum ratione totius, tum capitis, tum loci tandem ejuſdem læſi. Juvenis ſiquidem

aut Vir in Germania, ejusque locis Septentrionalioribus, degens, tempore hiemali, sustinendis hisce periculis valentior est sene, Italo, Gallo, Hispano &c. æstate percusso, cujus calva durior ac velut vitrea, fragilis magis, facilisque accessus convulsionum, ipsiusque apoplexiæ.

Perinde ac, uti personarum, ita & *capitum* varietas, in eorundem circumscriptione, sive figura, crassitie & futuris, quod olim in Persarum & Græcorum capitibus a prælio refertur observatum, & cujus alia, notatu digna, nobis exhibet exempla *Pavius cit. l. p.* 14. occurrit non una.

Nec etiam, judice *Hippocrate*, indifferens est, *qua* quis *capitis parte* vulneretur. Unde ob tenuitatem ac vitream quasi duritiem ossium temporum & bregmatis frequentiores & fissuræ & contrafissuræ circa hæc loca, quæ certe periculis haud vacant, diligenter recensitis, tum ab *Hippocrate*, *cit. l.* tum *Pavio p.* 5. 45. 49. 51. 55. &c. Sic & frontis *a* percussiones, ab altiori præcipue loco descendentes, facile in ossibus illis tenuibus, orbitas oculorum cingentibus *d* contrafissuras, hincque humorum extraversiones, ulcera ægræ sanabilia, vitæque adeo perniciem excitant. Vid. *fig.* 6. Suturarum quoque contusiones, ob membranarum, ipsis insertarum, cum interioribus communionem, periculosiores.

Quandocunque ergo ultra sphæram & æquatorem quasi naturæ, ejusque tolerantiam hæc contingunt, eadem morbo succumbere cogitur, damnoque existente irreparabili, remediis generosis non juvantibus, vitæ lucula extinguitur. Horum remediorum bigam *cit. l.* adducit *Cous* (1) *humectantia*, seu lotionem, quorum nomine ipsi veniunt vina sola, eaque optima, fomenta, mox memoranda. Quæ vero intelligat, innuit *l. de ulcer. cap. c.* 1. *t.* 1. nempe, non aquea, nec frigida, sed *vinum.*

(2) *Serram*, per quam trepanum intelligit. Nec enim aliud quidpiam est idem, quam serra orbicularis, in rotam vel circulum acta, ad cranium perterebrandum. Addit enim finem, qui idem confirmat, *ad exitum saniei concedendum, & ingressum præcavendum.*

*Causæ* pariter consideratio læsionis periculum satis innuit. Extra enim controversiam, nostris in scholis, est positum, morborum solutæ unitatis speciem, longe gravissimam, esse *contusionem*, si cum cæteris eadem æstimetur proportione. Orta enim inde divulsio, quasi de industria se abscondens est, atque interiora petens, exterius periculi minoris equidem faciem multoties ostendens, interius vero cuncta ad stragem truculentam edendam disponens, poros alios obstruens, alios divellens, vasa dilacerans, latices eorum excutiens. Quibus si succurri mature haud poterit, obstructum aperiri, divulsum consolidari, extravasatum vel in circulum priorem redigi, vel auferri atque extrahi, conclamatum est.

Hæc ergo, medicis *essentialiter inhærentia*, dicta, quemadmodum in prognosi sedulo, sic & *postessentialia*, seu læsionem factam consequentia, illisque prioribus velificantia, considerate veniunt attendenda. Pessima est, *Hippocratis* elogio, inflammatio, eamque presso consequens pede phrenitis, quam

maniæ

maniæ generali nomine exprimit. Par eſt ratio convulſionum, epilepſiæ ipſius, paralyſeos, hemiplexiæ, quæ ſingula ſi eveniant, mortem inſtantem minantur.

Ex adverſo autem, ſi hæc præcaveri atque anteverti queant, tum a robore naturæ, (cui tamen ſoli minus fidendum) tum artis, eandem adjuvantis, ſalutaribus præſidiis, ſervari poterit homo, vel ſpes minimum affulget, futurum id eſſe, idque omni modo procurandum.

Accenſendum his eſt coma, vel ἀποπλεκτικόν ἢ. Æger ſi ſit excitabilis, ſperanda erunt meliora; ſin minus, contra; nec tamen omnis ſtatim fiducia abjicienda, ſed & hic locum habet ſeu invenit expectatio, modo medelæ opera continuetur provida ac indefeſſa.

Pulſus quoque habenda erit ratio, qui, quamvis ſæpius indifferens, magnus tamen celeri, & longe magis frequenti eſt anteponendus & attendendus. Quo enim magis ad incitas eſt redacta natura, eo magis urget uſus, & contra. Neque tamen ſolo ex pulſu magno ſalus eſt præſagienda, niſi ſit conſtans, & pororum cerebri remeabilis, ac medicamentis accommodis tollenda, obſtructio, cujus interiora & quaſi caſtellum hoſtis jam tenet obſeſſum. Hiſce igitur fundamentis univerſa ſalutis & mortis, ſeu eventus prædictio erit inædificanda. Reliqua enim omnia iiſdem ſunt ſubordinata, & ad hæc referenda.

Neque *Tempus eventus* indictum erit dimittendum. Omnia capitis vulnera acutorum veniunt in cenſu, & contrafiſſura in ſpecie acutorum primi generis. Hinc ſi quatriduum attigerint, ſecundi gradus erunt ex ordine, atque ſic ulterius, ſpei, eventuſque ad ſalutem tendentis creſcit augmentum. Normam ergo cuncta hæc accipiunt ab intrinſeco equidem, a læſionis gravitate; ab extrinſeco autem a regimine decenti adminiſtrato, vel neglecto.

Proſtant nihilominus & longius productarum harum etiam læſionum exempla, quandoquidem, Deo fortunante, priſtinas ſenſim reſumere vires valet natura, haud vero in inſtanti, induciis quaſi, ad idem, cum hoſte pactis. Quin per aliquot menſes, ne annum & ultra dicamus, videas producta ſymptomata. Satis eſt, produci vitæ fabulam, mortis tragædiis dilatis, ſingulis iterum pro dictorum, aliarumque circumſtantiarum menſura ac modulo variantibus.

*Modus eventus* terminabitur, ad *ſalutem* quidem, evenientibus jamtum ſub cauſæ, hac in prognoſi, conſideratione recenſitis, ſenſim ſcilicet ac ſenſim in ordinem redigendo humorum vitalium circulo, reſpondentibuſque naturæ viribus, & diſſipata extravaſatione: robore ſpirituum, actionibus æque ac virtutibus animalibus, principiiſque vitalibus in integrum reſtituendis.

Ad *mortem* autem tendet, indiciis vel ex ipſius vulneris tum in loco plagæ, inflictæ, tum alia in parte exiſtentis adſpectu, colore ipſius pallido, ſubflavo, livido, labris ejuſdem ſimis ac collabentibus; oſſis itidem aſperitate ac livore &c. vel ex rigore, convulſionibus, apoplecticis potiſſimum, ex facie Hippocratica, linguæ puſtulis ac febre, inflammationis comite, deſumen-

dis. Sæpenumero quoque alium in capitis morbum abit ac ſolvitur, vel ſubitaneum, vel paulatinum ac lentum. Medio vero modo ſe habent vertigo, epilepſia, melancholia, dolorumque varietas, in praxi occurrentia, atque ægro non modo, verum & medico ejus, multum moleſtiarum creantia.

## SECT. II. MEMBRUM II.

## *De Methodo Medendi & ipſa contrafiſſuræ curatione.*

CUm tam aliorum teſtimonio, quam frequentioribus conſtet obſervationibus, de gravi hoc contrafiſſuræ malo nec medicos, nec chirurgos certiores fuiſſe factos, niſi poſtquam jam fuit conclamatum: videri primo poſſet intuitu fruſtranea omnis opera, in tentata ejus curatione collocata, mali utpote deſperati, & vulneris, pro lethali, per ſe, habendi. Attamen, quoniam nihilominus conſideratiori ac experto magis præſenti ævo curatarum etiam harum læſionum proſtant exempla; ea propter ſpe ſalutaris eventus haud prorſus decollante, atque in dubio adhuc poſita, magis erit conſultum, omni in id anniti ope, ut vita ſervetur, nullo vero modo deſerere ægrum, vel prognoſtico relinquere.

Ut autem hoc ipſum omni dexteritate, atque ex artis præſcriptis, fiat opus erit ad normam methodi medendi procedere, quæ fili inſtar Ariadnei eſt, quo duce exitus proſper, hoc ex labyrintho, ſperandus, progrediendo ſecundum indicationes, erutas, ex modulo læſionis, natura partis affectæ, & aliis: uti tam morbo, quam cauſis & ſymtomatibus, communibus æque, ac ſpecialibus & urgentibus, conſiderate ac decenter proſpiciatur. Operam autem, in utroque contrafiſſuræ, uſque huc explicato, genere, collocandam uno eodemque hoc membro abſolvemus, facile limitandis, ac eligendis, quæ uni, quæ itidem alteri debentur.

Fractura hæc cranii, etiam occulta, efficacem ſibi expoſcit unitionem, ſive cum, ſive ſine vulnere appareat, atque ſi unquam, hic certe ſolerter & circumſpecte ſingula tractanda, uti pateat, medicum ultra chirurgorum vulgus ſapuiſſe. Comitem habent, ex contuſione oborta, læſiones nominatæ, concuſſionem, imo ſæpius & conquaſſationem cerebri. Removendæ igitur mature cauſæ morbificæ ulteriores, exitiales alioquin futuræ, ſi mora nectatur. Sanguinis & lymphæ quicquid eſt extravaſatum vel priori, ſi fieri poterit circuitui ac circulo reſtituendum, vel extrahendum & amovendum, ne in grumos, ichorem & ſuppurationem abeat, neve obſtruat poros ac cavitates cerebri ipſiuſque ſpinalis medullæ principium. Tentata igitur diſcuſſione motus fluidorum procurandus, reſerandi pori, revocandi fatiſcentes ſpiritus, cerebrum, in ſua œconomia conturbatum, roborandum, atque ab iis, quæ ejus intima petere volunt, injuriis tutandum. Virium debilitati proſpiciendum, ſedandi, vel leniendi minimum, dolores, procuranda quies, reſpicienda

picienda mora functionum ſenſus & motus, arcendi ſopor ac ſtupor, convulſiones, paralyſis, apoplexia, præcavendæ.

Singulis hiſce eo melius uti ſatisfiat; tum & hic fontes, uſu præſtantes ac conſueti, chirurgici, pharmaceutici, & diætetici viſitandi, quorum rivulos conſectabimur ex methodo Dogmatica; Clinica enim erit varians, pro cujuſvis individui conſtitutione.

Quoniam autem ordinarie quaſi, & hiſce in læſionibus, primus advocari ſolet chirurgus, ejus etiam opera reliquas antecedit; ea propter hanc prius luſtrabimus. Primum ergo ejus ſtudium in vulneris, ſeu partis læſæ, examine erit ponendum, diſpiciendo, ubi, quomodo, quo gradu, idem ſit factum, atque obſervando, præter τρόπους ſeu modos curatiſſimos divi *Senis*, ea, quæ de hujus dignotione ſuperiori *Sect. Membr. II.* jamtum fuere tradita, atque, ex reliquorum capitis vulnerum ſummorum generum abſentia, læſionis gravitate, aliiſque jam dictis, de contrafiſſura arguendo.

Facit huc *abraſio* capillorum, uti & viſu uſurpari, & tactu explorari locus læſus poſſit. Quo facto illitio concedi poteſt, etiam ſolo ex oleo rutaceo, calide applicato, cum leni blandaque frictione. Apparanda hinc reliqua intus & extus adminiſtranda, cumprimis vero *fotus*, omnium laudatiſſimi & probatiſſimi, cum ſacculis, uno vel pluribus, vel toti quoque capiti, qua parte capillis obſitum eſt, applicandis.

Viſa ſunt non una vice perquam abſurde a rerum ignaris, præcipue balneatoribus ac tonſoribus, in uſum vocata, modo epithemata frigida, modo emplaſtrum ſticticum, & ſimilis farinæ alia, quæ certe negligentia haud toleranda, hinc, quaſi re bene geſta, diſcedendo. Sacculi igitur, quorum facta eſt mentio, noſtri ſeculi inventum, uſus ſunt longe præſtantiſſimi, omnibus, quæ occurrunt, indicationibus debiti, omneque punctum, modo mature applicentur, abſoluturi, diſcutientes & roborantes, v. c. ex rad. pæon. herb. verben. rut. ſalu. roſmarin. betonicæ inprimis; flor. ſtoech. arab. paralyſ. anthos, ſambuc. roſar. rubr. chamom. lil. conuall. thure, maſtiche, myrrha ipſa, cubebis, & ſimilibus.

Hiſce fotibus de die & nocte ſedulo continuatis viſi ſunt evaſiſſe, deſperatorum cenſui jamtum adſcripti; contra ea vero quocunque modo tractati, mortui, qui ſervari potuiſſent. Succurritque ex inſtitutionibus chirurgicis *Meibomianis* ſummum, de iiſdem, elogium, quo, indefeſſa hac opera, quamplurimos ſe dediſſe reſtitutos, trepano jamtum deſtinatos, B. *Vir* ſancte affirmabat. Huic enim remedio locus eſt, ubi trepano minus, v. c. in ſuturis, quarum quando occurrit læſio, tum aurem tibi ſemper vellicet veriſſimum illud *Coi*, nullum capitis vulnus eſſe negligendum, & maxime circa ſuturas, tanquam commiſſuras ſpeciales.

Neque tamen hiſce ſolis omnem committimus agendorum provinciam, ſed & adhibenda *emplaſtra*, uti inſtar omnium illud de betonica, & ſimilia; balſama quoque vulneraria, ſi vulnus inſimul occurrat apertum, balſ. de Peru, mel roſatum, & reliqua. Stare tamen potius hæc debent poſt principia,

loco

loco principi relicto laudatis fotibus & facculis interpaffatis, cum vino coctis, adhibitis, atque, aliquam poft moram, quam fas erit concedere, repetitis. Vidit inde D. *Præfes* capite læfum, poft annum demum ex integro, & ut priftinas obire poffet functiones, reftitutum, per plures dehinc annos fuperftitem ac faniffimum.

Nec omittenda *venæ fectio*, fi indicetur a plethora, vel vires eandem concedant, depletio utpote neceffaria, ad inhibendum fanguinis affluxum, fublevandum archeum, & reftituendum liquoribus vitalibus circulum, etiam minor & parcior, ad excitandum ægrum, inftituendam revulfionem, v. c. in pedibus adminiftrata, vel etiam fub lingua, fi apoplecticum quid timeatur, & nihil obftet. Non enim promifcue hæc in ufum vocanda & fuadenda, fed tum vires, tum aliæ, diverfum jubentes, circumftantiæ follicite æftimandæ.

*Scarificatione* vero in bregmate, vel cucurbitula, rarius utimur, cum vices horum reddant, ac efficacius juvent fotus nominati, ob vini, contentis roborantibus juncta, effluvia, calore fuo altius penetrantia. Hifce, eventu certiori idem confirmante, motus humorum aptius promovetur, ex adverfo autem vitium capiunt, ni moveantur aquæ, imo & fpiritus ipfi animales, hac ratione excitati & roborati, qui alias, agilitate amiffa, uti aftronomorum voce utamur, ftationarii redderentur.

Quorfum & multum facient acclamationes, & excitationes, per frictiones plantarum pedum, odoramenta fortiora, refocillationes, inprimis in fopore detentis, cum vel fine pavoribus, etiam pulfu tardo & integro obfervato. Morbo enim adfcribendus fomnus ifte, etiam quandoque ad triduum vifus productus, qui omni modo arcendus.

Poftulat porro inftituti ratio, ut de *trepanatione* dicamus, remedio, cui vulgo primæ deferuntur partes, tanquam fummo, unico, & ultimo, Italis, Gallis, Hifpanis atque Belgis, adeo frequenti, uti *Stalp. van der Wiel, obferv. rarior. Tom. I. cent. I. obf.* 8. teftimonium *Philippi Naffavii*, chirurgo, qui contrafiffuram inquifiverat, datum referat fequens: *Ego infrafcriptus atteftor, me ab Henr. Chadborn, chirurgo Neomagenfi, poftquam vigefies fepties* (mirum dictu) *mihi caput perforaffet, recte fuiffe fanatum.* Non negamus, & huic fuas deberi laudes, nec rite inftitutam exitialem infequi fortem, etiam apud ætate provectos, cujus operationis exemplum, Hanoveræ, juffu Experientiffimi Aulæ Electoralis medici B. D. KOTZEBUE, pro eo, quo nos complectebatur favore, videre licuit in fene, plus quam feptuagenario, felici eventu, adminiftratum.

Nec vero etiam diffitemur, cum foli huic ac potiffimum debeatur indicationi, educendi humores extravafatos, illi autem magis ament decubitum; tum & hanc, & alias nonnumquam difficultates huic operationi obftare quamplurimas, quas, ex more fuo, id eft doctiffime expofuit CL. *Bohnius* de *renunciat. vulner. p.* 205. *feqq.* Unde fatius fuerit, uti B. *Meibomius cit. l.* præcipit, non nimis temerarium effe in cranio perforando, fed fotibus memoratis,

moratis, ſanguinis & lymphæ, extra ſuos alveos latorum, diſcuſſionem tentare, laticeſque dictos priorem in motum evocare. Multijuga enim conſtat experientia, natura ſibi quærente, & inveniente, vias, vel reſorberi ſenſim particulas in orbem eundem ac priſtinum abreptas, vel per os, nares ac aures effundi, quicquid erat extra vaſa emiſſum. Quouſque itaque medicamentis quidpiam effici poterit, per conceſſa, eouſque nec ferrum, nec ignem in partes, judicamus, vocanda, nec, ad oſtendendam, uti quandoque contingit, artem, afflictis addita afflictione, de alienis ac vulneratorum oſſibus temere ludendum.

Quando igitur, nec per fotus & ſacculos exterius, nec interius, per reſolventia & diſcutientia, utrobique adhibita, quidquam obtinendum; tum in ancipiti, & gravi diſcrimine, urgenteque neceſſitate, uti cuncta artis præſidia, ſic & hæc operatio heroica tentanda. Adminiſtranda autem erit ex legibus artis, petendis, ne longius his occupemur, ex chirurgorum inſtitutionibus, atque edicto periculo, ne, ſi male res cedat, ſtipendii loco medicus ac chirurgus, crudelis notæ, & incaſſum cruciantis, nomen ferant.

Par erit ratio hirudinum, veſicatoriorum, ipſiuſque, in progreſſu, ſetacei, quippe, quæ admotione directa haud equidem pollent, requiſita tamen non minus præſto eſſe debent, atque uſurpanda.

Hiſce præſidiis ſocianda porro *pharmaceutica*, generoſa, remedia, paucis etiam luſtranda. Reſpondere & hæc debent indicationibus præſentibus, indeque memorari merentur *lenientia*, benedicta, ἐκκοπρωτικὰ, ſubducentia, alvo præprimis non reſpondente, quod obvium magis, ob torporem ſpirituum, quietem & decubitum, alia. Præſtant igitur hoc fine, tum aloetica, præſertim fermentata, uti pilulæ aloeticæ, aloephanginæ, Francofurtenſes, tartareæ; tum etiam ſennata, & maxime omnium rhabarbarina, alvum reſerandi, reſolvendi, & roborandi officio gaudentia, ne tamarindos, hiſque affinia alia, iiſdem accenſeamus.

Ex hiſce, quæ minus ingrata, poterunt in ſubſtantia adhiberi; palato contra ea minus accepta, in decocto, in infuſo, potiunculis, ipſiſque etiam clyſteribus. Ita enim natura ad opera conſueta, alvumque expediendam, vocata, iis, quæ ipſi oneri erant futura, commode ſe ſubducit, atque ad promovendum humorum circulum egregie ſollicitatur.

Materia dictorum erunt notiora illa, emollientia, cephalicis accommodis juncta, magis in decoctis, etiam pugillaribus, vel pulveribus mitioribus, quam infuſis, ſine vino potius, parandis. Alvum enim liberam & expeditam eſſe, quemadmodum in morbis capitis in genere; ita magis adhuc in læſionibus noſtris, erit proficuum. De clyſteribus vel verbulo monemus, illos, pro circumſtantiarum ratione & acuendos, & repetendos.

Atque, cum ex dictis ſuperioribus facile conſtet, in acutorum morborum ordine militare læſiones noſtras, ſymtomaticis etiam quandoque vomitibus ſupervenientibus; tum facile patet artis cultori, purgantia non modo, verum & vomitoria conſultius omitti, niſi ſingularis eadem ſibi depoſcat ratio,

nec faciendum in his cum fece empiricorum, μοχλικοῖς talibus ſtrenue, in vita ſæpius etiam Minerva, militante.

Neque etiam recto deerraverit, quicunque reliqua levamenta univerſalia medelæ in ſubſidium vocaverit, quo nomine & *diaphoretica* varii generis merentur ſalutari. Hæc enim humores vitales, interceptos & turbatos, ordini & motui priſtino, ſi quæ alia, reſtituunt, nec ipſa tamen unius generis, ſed provide ſeligenda. Dictorum in fidem nominamus volatilia, quorum in ſtatu ſoporoſo, tanquam excitativorum inſignium, cautelis debitis obſervatis applicatorum, egregius eſt uſus, etiam minori & refracta, uti agendorum ratio idem feret, doſi, nec nimis camphoratorum, capiti quippe debili minus commodorum, alias vero innoxiorum ac minus metuendorum. Tale punctum prorſus ferent media & fixa, mixtura ſimplex, uſu pollens maximo, per ſe, & per deſtillationem rectificata, ac dulcis reddita, etiam refracte & modice camphorata, tinctura item bezoartica eſſentificata, liquor C. C. ſuccinatus, retuſo ſic alcali volatili, & cum his mixta, etiam minima doſi, anodyna. Sylviano enim elogio, & per mechanicam ſulphuris cum ſale volatili combinationem intimam, reſolvunt, placant archeum, ſpiritus diſſipatos & in fugam converſos congregant, atque inſimul ſudorem blande promovent.

Perinde ac antimonium diaphoreticum, ejuſque magiſterium, bezoardicum minerale, martiale, joviale, pulveres bezoardici, major & minor, bezoar ipſe orientalis, theriaca cœleſtis, generoſa exiſtunt remedia, ut diaſcordium Fracaſtorii, hujuſque cenſus alia, uſu ſolenni inſtaurata, latius haud commemoremus. Ita enim & febris inflammatoria arceri poterit, & fermenta putredinoſa averti, ne emicent, ac vires ſumant, negotiumque faceſſnt, æque ac ichoreſcentia, & abhac dependentia plura incommoda, amoveri.

Neque prætereunda ex *diureticis* reſolventia temperata, præcipitantia, & blande invertentia, & his accenſenda quoque alterantia. Quibus officiis non uno modo præeſſe poſſunt nitroſa & alcalina, inter quæ omnium inſtar laudari merebuntur oculi cancrorum, etiam hic, non una ratione, polychreſti. Cum acidis vero caute potius erit mercandum, ſulphurea autem temperata, uti ſemen lycopodii, rob Alkekengi, ipſiuſque etiam ebuli, commodo ſe uſu commendabunt.

Recenſitis hiſce colophonem addent *alterantia* & *confortantia*, tum generalia, tum ſpecifica. Horum in cenſu venient (1) *bezoardica*, quæ miſcelam ſanguinis tutantur, turbatam ſerenant, ac priori nobilitati reſtituunt, fermenta peregrina acceſſura avertunt, præſentia delent, qualia jamtum ſub diaphoreticis nominavimus, & facile iiſdem alia accenſenda, v. c. extractum & decoctum ſcorzoneræ, cum C. C. & hordeo, vel magis, ſi neceſſum fuerit, compoſitum, aqua ſcorzoner. cordial. Herc. Sax. frigida, ceras nigr. cum nucleis deſtillata, ſimplex & compoſita, rubi item idei, & reliqua. (2) *Cephalica*, per ſe, & cum reliquis combinanda, uti, pulv. epilept. Marchion. cinnab. nat. & antimonii, ſpecific. cephalic. corall. perl. ſpec. cordial.

temperat.

temperat. pulv. e chelis cancr. Londin. & ſimilia. (3) *Traumatica*, uti oculi cancrorum, jamtum laudati, eſſentia traumatica, ſummi uſus, & omnibus indicationibus accommoda, pulveres ad caſum, eſſent, mumiæ ipſa, aliaque. (4) Ex recenſitis *mixta* & *compoſita*, varia ſub forma, pulverum, pilularum, potionum, emulſionum, (quorum uſus eſt in praxi frequens & quotidianus,) proſtantia, ut reliqua communia, certiſque ſymptomatibus debita, cordialia, ſtomachica &c. ſuis e loculis petenda fuſius haud delibemus. Prioris generis ſunt gelatina C. C. ſirupus granorum chermes, gemmatus, confectio de hyacintho, & reliqua.

Neque vero obſtat, commemoratorum tam generalium, quam ſpecialium in omnibus vulnerum capitis ſpeciebus eſſe uſum. Indicationes enim, quæ utriſque in multis ſunt communes, communem quoque ſibi medelam expoſcunt; ſpeciales autem, in hac occurrentes, & periculi ex gravitate maxima provenientes, ſedulam magis, cautamque operam, ad ſalvandum hominem. Atque quemadmodum hinc inde in morbis, ſic & in vulneribus capitis multis hinc fiunt monſtra, ſive miracula, inſolita, ac minus conſueta, ſæpius phænomena oſtendentia.

Quamobrem etiam diverſum quid haud ſentiendum de alterantibus & confortantibus *Topicis* ſeu *externis* medicamentis. Commoda enim hic & generalia communia, aquæ, mixturæ, & epithemata ad pulſus, balſama confortantia, non nimis calida, unguentum præcipue alabaſtrinum, temporibus applicandum, multiſque ac maximis encomiis *Langio* in *epiſtolis* ornatum. Tacemus Topica ſpecialia, quæ fiſſuris cranii debentur, earumque accidentibus, cumprimis in majoribus contuſionibus, quales ex bello ſolent reportari, ubi defenſiva balſamica magni, & prorſus eximii, ſunt uſus.

Ita recenſionem pharmaceuticam remediorum, in compendio & ſummis in capitibus datam, finimus, artique ſervandorum horum, in diſcrimine hoc verſantium, addictum, plura deſiderantem ad Practicos, *Berengarium* de *fractura cranii*, *Foreſtum* in *obſervationibus chirurgicis*, *Stalpartum* [1] *van der Wiel in Obſerv. rarior. Sennertum* in *praxi*, *Dolæum* in *encyclopædia*, ut & ſuperius jam laudatos antiquos, & recentioris ævi *chirurgos*, ablegamus.

*Diæta* tandem paucis etiam erit commemoranda, ex regimine ſex rerum non naturalium dependens & ſedulo obſervanda. Aer ergo cordi habendus temperatus, & ſiccus magis, vitato frigido & humido auſtrino, radiis lunæ expoſito, qui arte ſunt corrigendi. Unde & in deligatione vulneris ſartago ferrea, carbonibus plena, chirurgis eſt ad manus. Alimenta, primis præſertim diebus, ſint tenuia, nec valde nutrientia, haud flatulenta, aut caput obnubilantia, vel difficilis concoctionis. Abſtinendum a calidis, aromaticis, & vino, ira, veneris amplexibus & affectibus animi; atque ſolatiis magis levandus, erigenduſque æger, quam inſtantium extremorum, quod tonſorum plebi maxime eſt conſuetum, commemoratione, temere perterrefaciendus. De quiete jamtum dictum, quæ omni modo reſtituenda, abactis vigiliis. Alvus ſui officii, ſi ſit adſtricta, admonenda, atque hinc reliqua excreta &

retenta moderanda, de quibus, ut & diæta universa ordinanda, evolvendus quoque *Berengarius*, & alii. Verbo, singula eo dirigenda, ut etiam hoc opus optatus coronet.

FINIS.

III. DISSERTATIO

Tab. I.

Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 4.




Fig. 2.




Fig. 1.




Fig. 3.




Fig. 7.




Disp. Chirurg. Tom. I. WAGNER DE CONTRAFISSURA pag. 44.

III.

# DISSERTATIO

DE

# TUMORE CAPITIS FUNGOSO

POST CARIEM CRANII EXORTO.

*Quam Præside*

JOHAN. FREDERICO CRELLIO,

Pro Doctoris gradu defendet

JOH. PHILIPPUS KAUFMAN,

*LUNEBURGENSIS.*

Helmstad 6 Decembris 1743.

# DISSERTATIO
## DE
# TUMORE CAPITIS FUNGOSO
## POST CARIEM CRANII EXORTO.

QUanquam ossa partes corporis humani sint fortissimæ ac robustissimæ, reliquisque quibus illud efformatum est pro fundamento ac fulcro inserviant, adeoque injuriis, quibus partes molliores obnoxiæ sunt, facilius resistere integritatemque suam conservare posse videantur, attamen nec ea a variis calamitatibus & afflictionibus immunia permanere teste experientia docemur. Mittimus in præsenti eas ossium ægritudines, quæ ipsis a vi externa, substantiam eorum diffringente & contundente, aut connexionem cum aliis turbante, imminere solent. Graves hæ utique, & molestæ admodum sunt, tamen apta peritæ manus repositione & deligatione facilius sanantur. Nec jam varii generis tumores, qui passim circa ossa observantur, & majorem jam dum in structura illorum interiore corruptionem testantur, prolixe commemorabimus: siquidem de his ex instituto in erudita Dissertatione anno 1741. in hac alma sub præsid. Illustr. HEISTERI nostri habita egit Clar. D. D. GOECKELIUS, ad quam plura de his doceri cupientem ablegamus. Illud tamen morborum genus silentio præterire non possumus, quod caries ossium in scholis medicorum appellari solet; hanc enim omnium læsionum esse maximam ac gravissimam, quæ si latius serpat, omnem sæpius medentium eludit operam, nec nisi tristissima membrorum extirpatione subinde tolli potest, scriptorum fide, & experientiæ suffragio, & rationis autoritate constare arbitramur. Inter has vero ossium afflictiones, quæ unicuique quidem ex eorum familia inimicæ ac perniciosæ sunt, nulla mihi ferocior nulla acerbior, magisque funesta videtur, quam quæ ossa cranii, quæ cerebrum animæ sedem ac domicilium cingunt ac muniunt, contaminare ac exulcerare solet. Et licet non ignota sint exempla eorum qui a carie cranii vindicati & integræ sanitati restituti sunt, ea tamen vel ad mitiores cariei gradus pertinere, vel eorum sanationem sæpius singulari naturæ robori in acceptis ferendam esse censeo, cum graviori quidem valentissima etiam corpora succumbere cogantur. In cujus rei testimonium ad illum casum provocamus, quem circa initium præter lapsæ ætatis hic observavimus, qui multa sane admiratione digna præbuit phœnomena, ut paucos huic similes in practicorum observationibus relatos esse recordemur. Quamobrem, cum studiis in Academiis ad finem fere perductis, mihi lauream doctoralem ambienti specimen qualiscunque doctrinæ medicæ typis exhibendum sit, hujus potissimum explicationem Benevolo Lectori exhibere consultum visum est; cum imprimis Ill. HEISTE-

RUS

RUS cranium illud, quod in inſtructiſſimo ſuo rariorum anatomicorum & chirurgicorum muſæo aſſervat, pro ſingulari ſua in me benevolentia mecum communicaverit, utque illud æri incidi curarem humaniſſime permiſerit. Quod ſi in expoſitione graviſſimi hujus caſus non ubique lectorum expectationi ſatisfecero, ut primos hoſce meos conatus benigna excipiant cenſura enixe rogo.

## CASUS.

Vir procerioris ſtaturæ atque habitus corporis athletici, Potentiſſimi Regis Boruſſiæ militiæ adſcriptus, triginta circiter & quatuor annos habens, non minus ſtrenuus in caſtris Veneris miles, inde etiam conſueta hujus militiæ præmia retulerat, cumque mala inde percepta aliquantum ſopita potius quam penitus e corpore ſublata eſſent, tandem fatalem illum morbum, quo e vivis ſublatus eſt, contraxerat. Siquidem corpore impuris ſuccis ſcatente caſtra ſequi tenebatur, in quibus, præter victus inevitabilem ataxiam variaſque aëris injurias ac viciſſitudines, ſæpius in locis udis ac paludoſis requieſcere, ſomnumque capere coactus fuit, corpore & imprimis capite non ſatis ſemper tecto atque munito. Unde factum, ut tumorem in latere capitis ſiniſtro perciperet, initio vix nucem juglandem magnitudine excedentem, at temporis progreſſu tantam in molem excreſcentem, ut non tantum os bregmatis ſiniſtrum fere totum, ſed & partem oſſis bregmatis dextri, ultra ſuturam ſagittalem occuparet, pugnique magnitudinem æquaret, cujus faciem prout exterius apparebat Fig. I. repræſentare ſtuduimus. Licet æger nullum præter gravativum quendam capitis ſub initium ſentiret dolorem, tamen pejora metuens, medelam creſcentis in dies mali circumſpicere cœpit, cumque Medici & Chirurgi caſtrenſes, poſt varia incaſſum tentata, infauſta quæque ominarentur, & triſtiſſima eum deſererent prognoſi, Helmſtadium noſtrum, ejuſque decus immortale, Ill. D. Conſiliar. Aul. HEISTERUM, Patronum Hoſpitem & Præceptorem meum ad urnam uſque colendum adibat, ejuſque non tantum conſilium ſed & auxilium ſi poſſibile foret implorabat. Hic re uti ſolet curatius explorata atque perpenſa, dum tumor perquam durus ac immobilis fere erat, atque alios fere ſimiles jam alias ſcalpello curaverat, nullam aliam præter operationem manualem ſupereſſe opem pronuntiavit, nec tamen certum ipſi polliceri poſſe auxilium, dum, quam profunde deſcendat, & quomodo forte cranium imo ipſum cerebrum læſerit, perſpici non poſſet, præſertim cum jam ſæpius ſenſus ſibi haud leviter turbari conqueſtus fuerit, ſed caſum hunc eſſe ejuſmodi, de quibus Celſus ſcripſit, melius eſſe experiri remedium anceps, quam nullum. Cum itaque ægrotus recuperandæ valetudinis deſiderio ad ſubeundam eam animum confirmaſſet, præparato convenientibus remediis corpore, horis matutinis fruſtulum lapidis cauſtici, quo Ill. D. HEISTERUS ſæpius ad omnis generis tumores aperiendos utitur, qui ex calce viva & ſale alcalino paratus erat, ad aperiendum & hunc

hunc tumorem imponebatur. Verum enim vero tribus vix elapsis horis largum, ut videbatur ex vasis cutis sanguiferis, insequebatur cruoris profluvium, quod tamen cum linamentis & spiritu vini rectificatissimo superimpositis rursus compesceretur, æger bene se habebat, & vires admodum constabant. Circa vesperam ejusdem diei tumore a fasciis spleniis ac emplastro, quod causticum suis coercebat limitibus, denudato, & quantum circumstantiæ postulabant dilatato, ob hæmorrhagiam iterum mox deligabatur. Vinctura satis iterum firmata nihil equidem incommodi sentiebat, hinc nimis audax in eo haud levem æger admittebat errorem, quod corpus, inscio & invito suo medico, externo frigidiusculo nimium exposuerit aëri, & per binas integras horas in area domus, rudibus tunc temporis ventis undique pervia, steterit atque ambulaverit; unde factum, ut brevi post horrore ac postea membrorum omnium lassitudine, extremarum partium horripilatioue, motuque contremiscente, postque aliquot horas æstu ac pulsu febrili, sudore deinde largo per universum corpus prorumpente corriperetur, quæ febris, ordinatis licet convenientibus remediis, illum per totum morbi decursum non deserebat. Postridie cum Ill. D. HEISTERUS, comitantibus ipsum compluribus Medicinæ studiosis, quibus & ego semper interfui, ægrotum renovandæ deligationis caussa visitaret, novus apparebat tumor inflammatorius, qui totum os frontis lateris sinistri usque ad oculi sinistri palpebram occupabat, cui discutiendo accommodatum epithema imponebatur; antiquo vero tumori, ex quo remotis fasciis ichor cruentus effluebat, unguentum ex terebinthina & melle rosarum applicabatur, interim vires frangebantur, & cum inquieta corporis jactatione etiam delirium, quod, non obstantibus remediis præstantissimis, augebatur, accedebat. Cum sequenti die accederemus, ægrotum oculis clausis & labiis lividis moribundo similem deprehendebamus, ut non nisi difficulter ad novam excitari posset deligationem. Qua peracta, aliquamdiu post, convulsiones utriusque pedis accedebant, tandemque circa meridiem viribus penitus fractis miseram mortalium cum vita feliciori commutabat. Cadaver postea ab Excell. Dom. PRÆSIDE dissectum sequentia obtulit phænomena: Integumentis capitis studiose separatis in conspectum veniebat tumor fungosus, ex rubro nigrescens, ex ipso cavo cranii perforati emergens; eo enim ope cultri anotomici exterius remoto cranii subjecta pars fœda carie exesa ac consumta apparebat. Cujus veram constitutionem figura secunda & tertia a parte cranii exteriore & interiore exhibui. Totum os bregmatis sinistrum usque ad illum locum, ubi musculus temporalis eidem adhæret, asperum, porosum, & in minutas squamulas inordinato tractu reptantes, interjectis foraminulis resolutum, ita ut super coronalem etiam futuram cariosa illa erosio versus ossis frontis dexteriorem partem excurreret, & ad dextrum etiam os parietale trium digitorum latitudine spargeretur, in medio hiatus ingens, cujus diameter tres pollices magnitudine æquabat, conspicuus erat, ut tota illa portio ossis bregmatis consumta, futura sagittalis deleta, & pars aliqua dextri etiam ossis ablata

esset, tota peripheria hujus foraminis inæqualis & prominentiis acutis, aliis longioribus, aliis minoribus, exasperata erat. Digiti circiter transversi, ab hoc majori, distantia, aliud minus foramen immediate supra lambdoideam futuram in sinistro bregmatis osse comparebat, pollicis circiter latitudine, ubi tamen lamina interior nondum penitus consumta erat. Parte cranii superiori ablata in interna lamina latius adhuc proserpsisse cariem cernere licebat, ut non solum hiatus ille magnus interius latiorem peripheriam occuparet, superstite undiquaque in margine ad digiti latitudinem exteriore lamina, sed etiam arrosio illa morbida versus magnam partem ossis frontis, eo loco ubi processus falciformis duræ matris adhæret, excurreret, & ad latera quoque profundius quam in superiori tabula descenderet. Cranio itaque remoto, fungosam illam excrescentiam e dura matre ipsoque cerebro vitiato enatam esse manifestius patebat, cujus parte superiori horizontaliter resecta, ventriculum superiorem lateris sinistri ichore corrupto nigricante repletum, substantiam ejus inflammatam ac sphacelatam, ac inferiorem etiam medullarem partem ad basin fere cranii usque e regione ossis petrosi consumtam, plexum etiam choroideum affectum, sicque ad tertium ventriculum malum propagatum cernebatur. Etsi vero ex his sedes mali mortisque causa satis appareret, tamen in adstantium gratiam thorax etiam & abdomen aperiebantur, in quibus pleraque viscera sana reperiebantur, nisi quod lobus dexter pulmonum pleuræ & inferius diaphragmati, sinister pericardio & diaphragmati valide adhæreret, substantia, hinc inde tuberculis scirrhosis repleta; etsi nunquam de difficili respiratione conquestum esse constaret. In abdomine hepar in molem insignem excreverat, & pluribus quam consueto more locis cohærebat, omentum etiam inferius juxta pelvim cum utroque peritonæi latere & colo adjacente adeo firmiter concreverat, ut in latere dextro arcum coli multum deorsum traxerit, alterique ejus portioni veluti alligaverit: quæ dissertationem Excellentissimi D. PRÆSIDIS, de viscerum nexibus insolitis, iisdem diebus propositam, egregie illustrabant atque confirmabant.

§. I.

Ossa corporis humani, etsi firmiore fibrarum suarum arctissime sibi applicatarum cohæsione omnem fere vasorum accessum arcere, adeoque a læsionibus etiam, quæ a fluidorum corruptione in partibus mollioribus excitari solent, immunia esse primo intuitu videantur, accuratius tamen considerata, pluribus abundare vasibus, vitalem laticem ad nutritionem eorum afferentibus reperiuntur. Periostium enim, sensilissima illa membrana, eadem non solum cingit, sed fibras etiam intra eorum substantiam immittit, quæ nihil aliud, nisi subtilissimæ vasculorum, quibus ipsum abundat, propagines esse videntur, quæ non solum, per omnem eorum substantiam dispersæ, materiam nutritiam apponunt, sed & subtile ibidem oleum lubricandis iisdem necessarium secernunt, & pro diversa eorum fabrica, nunc in ossibus extremitatum cylin-

cylindricis in cavitates interiores ſub nomine medullæ recondunt, nunc in ſpongioſis oſſibus intra cellulas eorum deponunt, in cranii vero oſſibus ad diploen utrique illorum laminæ interjectam convehunt. Quamdiu itaque vitalis humorum circuitus per hæc vaſa viget, integritas ipſorum oſſium conſervatur, eademque colore ſuo ex albo coeruleſcente, ſuperficieque æquali & polita, ſanitatis notam præ ſe ferunt.

§. II.

Quamprimum vero ſanguinis lymphæque ad hæc loca acceſſus intercipitur, vel progreſſus per eadem impeditur, omnia illa mala, quæ in partibus corporis noſtri reliquis ab obſtructione, ſtagnatione, inflammatione, aliaque humorum corruptione excitari ſolent, in oſſibus etiam metuenda ſunt, tanto majori cum periculo, quo magis illa in abſcondito latent, adeoque tam internorum quam externorum remediorum ad partem adfectam adplicationem, indeque ſperandam reſtitutionem, difficiliorem reddunt: unde brevi ipſius oſſis corruptio ſequitur, quod proinde colorem ſuum naturalem amittit, & ſub initio pallide albicantem, mox flavum, denique nigreſcentem adſumit, ſuperficies illius aſpera & inæqualis apparet, denique vero ſubſtantia ejus friabilis redditur, penituſque exeditur, & in fœtidum ichorem colliquatur.

§. III.

Facile patet, hanc oſſium læſionem nunc ab injuriis externis, nunc ab interna humorum diſpoſitione originem ſuam ducere poſſe. Omnia enim vulnera, quæ ad oſſa uſque penetrant, ſimulque perioſtium adficiunt, ejuſque cum oſſe ſubjecto cohæſionem tollunt, in parte hac membrana nudata commercium vaſorum tollunt, debitoque illam nutrimento privant, ſicque partem ad citam necroſin diſponunt, tanto certius ſecuturam, ſi pars iſta oſſis aperti aëris exterioris acceſſui exponatur, indeque vaſcula ejus conſtringantur, vel pinguibus aliiſque unguinoſis obſtruantur. Imo etiam in ejuſmodi læſionibus, quæ clauſis adhuc tegumentis externis ad perioſtium penetrant, materiaque acri purulenta eo depoſita illud corrumpunt, ſimilis effectus vix evitari poteſt. In eo tamen hæc oſſis, a perioſtio ab externa violentia male adfecto, corruptio, ſi corpus ceteroquin ſanum, humoreſque blandi & euchymi fuerint, meliora ſperare jubet, quod læſi ſeparatio, deperditique reſtitutio facilius ſuccedat: ſiquidem etſi vaſa loco læſo immediate ſubſtrata ſoluta fuerint, eadem tamen ſucco laudabili a vicinis ſuppeditato promte ſatis regenerantur. Multiplex enim experientia docuit, ex interioribus ſuccreſcentia vaſa brevi iterum membranam deficientem reſtituiſſe, ſicque os ab ulteriore ejus corruptione præſervaſſe, dummodo aëris externi frigus provide arceatur, utpote qui tenera illa vaſcula, a quorum integritate omnis ſanationis ſpes pendet, conſtringendo, ea ad tranſmittendos ſuccos

inepta reddit atque emortua; quod idem de pinguibus obſervatur, quæ poros ſubtiliſſimos obſtruendo regenerationem impediunt. Quodſi etiam exterior una alterave oſſis lamina jamdum a cauſſis commemoratis corrupta fuerit, ut cum ſanis amplius cohærere nequeat, ſed tanquam pars vita carens ſeparari debeat, hoc ejuſdem naturæ beneficio fieri videmus: ſiquidem vaſa ſubſtrata adhuc integra ſenſim ſuccreſcentia ſuperiorem a nexu cum reliquis diſſolvunt, atque ſeparant, quod *exfoliationem* appellamus, novamque in illius locum reſtituunt, dummodo impedimenta exterius removeantur, & balſamicis congruis vaſa roborentur. Quodſi difficilius etiam tardiuſve hæc corrupti a ſano ſeparatio ſuccedat, ſi ſoli naturæ relinquatur, ars illam promovere multis modis valebit: ut enim acriorum remediorum adplicationem nunc taceamus, vel ſolam terebrationem in pluribus oſſis adfecti punctis inſtitutam vaſorum ſuppoſitorum citiorem proventum, ſicque corrupti ſeceſſum inſigniter promovere compertum eſt, ut ad fortiora illa remedia, quæ omnia oſſa ferre non poſſunt, accedere neceſſe non ſit; ſiquidem alias in profundiori oſſis corruptione nunc lima vel ſcalprum raſorium, quibus pars mortua aufertur, donec ad ſanum perveniſſe color naturalis teſtatur, nunc cauteria eundem effectum præſtitura, commendantur. De quorum adplicatione tanto minus prolixi erimus, quo luculentius hæc a præſtantiſſimis noſtri ævi Chirurgis expoſita ſunt, quos inter Celeberr. HEISTERI Chirurgiam P. I. L. V. C. VIII. plura de his ſcire cupienti commendamus. Illud tamen omnibus his modis obtinetur, ut ſic pars illa, ab injuria externa deſtructa, a commercio cum ſanis, quam primum fieri poteſt, removeatur, atque in locum illius, ope laudabilium ſuccorum a vaſis ſuppoſitis atque vicinis allatorum, nova reſtituatur, ſuoque perioſtio denuo obtecta externi etiam vulneris coalitum permittat. Quamdiu enim oſſis corruptio aliqua adhuc ſupereſt, neque partium incumbentium conſolidatio ſuccedit, neque ſi etiam cicatrix aliqua obducatur, diu illæſa manebit; ſed oſſe latius interea deſtructo, molles etiam partes inflammatione & ulcere mali moris denuo corripientur. Unde etiam potiſſima hæc medentium cura eſſe debet, ut ſi in ejuſmodi læſionibus gravioribus ſigna aliqua oſſis labe infecti compareant, atque acceſſus oculis manibuſque ad ſedem mali non pateat, eam in aprico, dilatato exteriori vulnere, ſiſtant, ne dum illa intacta relinquitur, ulterius progrediendo immedicabile demum malum reddatur; quod notabili inter alia exemplo Celeb. SLEVOGTIUS Diſſ. de *Carie Cranii* Jen. 1695 habita confirmat, dum chirurgus læſionem cranii ab immaturo piro, ex alto in dextrum ſinciput projecto, non obſtantibus gravioribus ſymptomatibus tanquam læſionem ſolorum integumentorum tractaverat, & neque puri exitum procuraverat, neque os læſum detexerat, donec cranio ſecundum tractum totius ſuturæ ſagittalis penitus exeſo, materia ad duram matrem delata eandem ſimul corruperit, miſerumque ad mortem deduxerit.

§. IV.

§. IV.

Ex quo ſatis intelligitur, quanto deterioris conditionis illi cenſendi ſint, quibus ejuſmodi vitia ex prava humorum diſpoſitione interna oboriuntur, ſiquidem illa tacite ſub initium radices agunt, neque ante facile manifeſta ſui indicia edunt, quam magnam jamdum oſſium labem ægre reparandam induxerint, neque etiam, ſi demum, exterioribus in conſenſum tractis, erumpant, promptam admittunt medelam, cum a vitiatis humoribus ſuccus ille blandus, qui ad corruptas partes ſeparandas, atque novas reſtaurandas adeo neceſſarius eſt, ſuppeditari nequeat. Sæpius autem proh dolor contingit, ut in corporibus impuris, fluidorum viſciditate atque acrimonia laborantibus, materia peccans circa oſſa hæreat, atque in ſubtiliſſimis vaſculis, quæ partim intra laminas ſubſtantiam eorum conſtituentes decurrunt, partim ad medullam feruntur, ſtagnando inflammationes peſſimi generis excitet, ſiquidem ichor ex minus laudabili ſuppuratione generatus, cum nullum exitum inveniat, quo diutius ibidem hæret, eo majorem acrimoniam contrahit, vicinas undique partes inficit, & medullæ inprimis oleo junctus peſſimam naturam induit. Unde vel in tumores demum ad exteriora vergentes oſſa elevat, nunc vehementiſſimo dolore ſpinæ ad inſtar infixæ moleſtos, quos *ſpinæ ventoſæ* nomine propterea inſigniverunt, nunc magis indolentes, *exoſtoſeos* nomine venientes, vel latiſſime ſerpente carie omnem oſſis ſubſtantiam depaſcit. Quicquid itaque naturales excretiones, quibus alias excrementitiæ partes e corpore proſcribuntur, ſufflaminat, atque conſtricto inprimis corporis habitu, motum humorum ad interiora auctiorem reddit, periculoſos ejuſmodi in oſſibus morbos metuere jubet: inprimis ſi humores jamdum a naturali temperie declinantes peccantis materiæ exitum in exterioribus partibus quæſiverint, inde vero perverſis artificiis retropulſæ, aut aliis ex cauſis retrocedentes, acquiſita deteriori indole ad penetralia corporis ruant.

§. V.

Inprimis ſi venereo miaſmate inquinati fuerint humores, illius vehementia ſæpius triſtes ejuſmodi eventus in oſſibus producere deprehenſa eſt. Uti vero illud ſæpiſſime impuro cum infectis commercio contrahitur, ſuamque vim ſub initium potiſſimum circa partes, quibus conceptum eſt, exſerit, parteſque genitales varie inflammando atque rodendo primum ſe manifeſtat: ita exulcerata proſtata, indeque per gonorrhœam facta puris excretione, non facile latius ſerpit, quamdiu materiæ corruptæ evacuatio per has vias ſuccedit, aut in proximas forte glandulas inguinales, mediantibus vaſis lymphaticis cum genitalibus communicantes, depoſita excitatis bubonibus exitum quærit. Si vero imprudenti, at nimis frequenter ab imperitis probato, conſilio ſine ſufficienti correctione gonorrhœa præmature ſiſtitur, aut bubo-

nes repellentibus diſſipantur, intra vaſa receptum virus totam humorum maſſam contaminat, vireſque acquirit eundo, & non ſolum partes molliores ac glanduloſas, inprimiſque palati & faucium regiones occupat, peſſimiſque ulceribus depaſcit, ſed demum etiam in ipſis oſſibus figitur. Si enim vegeto ſatis humorum circuitu ſubtilior, at ſimul etiam acrior reddita fuerit, ut per reliquas laxiores partes ſine adhæſione tranſire poſſit, majorem tamen reſiſtentiam in tranſitu ſuo per oſſium vaſa deprehendit, ibidemque ſiſtitur. Uti vero extremitatum oſſa majora ſubinde occupat, ita frequenter admodum cranii oſſa denſiora petit, ibidemque excitatis graviſſimis plerumque doloribus, noctu inprimis ſævientibus, non ſolum vaſa perioſtii deſtruit, ſed intra diploen illorum hærens longe lateque ſerpit, donec exeſa utraque lamina corruptum liquamen partim ad exteriora effundit, & ſic integumenta quoque lædit, partim ad duram matrem deponit, peſſimiſque ſymptomatibus eandem afficit. Quantum in oſſibus cranii erodendis valeat venereum virus ex CHESELDENII ſplendida Oſteographia inter alia diſcere poſſumus; in qua cum morbidorum etiam oſſium varias deformationes exponat, Tab. XLI. XLII. tria crania exhibet, in quibus non ſolum ſubſtantia oſſea late eroſa, & inæqualis reddita ſiſtitur, ſed variis etiam locis utraque tabula conſumta cernitur, ut dura ſub his mater in conſpectum prodierit; inſimulque notat, quod in una ægra, cujus cranium illa tabula exhibetur, nullum fere os ſanum integrumque poſt mortem deprehenſum ſit, unde Tab. XLVIII. os femoris, tibiæ, fibulæ, humerique miſere in eodem ſubjecto carie defoedata delineat.

## §. VI.

Eandem etiam funeſtæ, quæ noſtræ objectum eſt diſſertationis, cariei cauſſam extitiſſe, ipſius ægri, dum viveret, relatio confirmabat, utpote qui nullius læſionis externæ, olim in loco adfecto acceptæ, memor, a qua prima ſtagnationis aut effuſionis humorum indeque ſecutæ cariei origo repeti potuiſſet, lue tamen venerea, quæ gonorrhœa virulenta & bubonibus ſe manifeſtaverat, antea ſe laboraſſe confitebatur, quibus cohibitis & repulſis ſe ab omni ulteriori periculo immunem eſſe credidiſſet. At vero non penitus infractam fuiſſe acrimoniam, ſed effectus duntaxat in exterioribus perceptos ſuppreſſos, ipſamque labem ad interiora delatam eſſe triſtis demum eventus docuit. Ille nihilominus de tam periculoſo, quem intra ſinum fovebat, hoſte nimis ſecurus, caſtra ſecutus adverſus hoſtes alios vadit, ibidemque omnibus injuriis, quæ expeditionem, hybernam inprimis, comitantur, expoſitus, graviora contraxit mala. Siquidem a frigidiore humidoque aëre, in quo dies noctesque degere, ſomnumque ſæpe locis paludoſis humi proſtratus capere coactus fuit, omnem per habitum corporis exſpirationem, qua ceteroquin multæ impuritates e corpore proſcribuntur, cohibitam, ſicque conſtrictis exterioribus, ad nobiliores partes compulſos fuiſſe humores facile colligitur. Ipſis præterea gravioribus, quæ in itinere, vigiliis nocturnis, aliiſque belli-

cis

cis occupationibus militi ſubeundi ſunt laboribus, ut alios forte in diæta commiſſos errores taciti prætereamus, humores vehementius commotos, indeque magis acres redditos, tanto majori impetu in vaſis ſuis deſtruendis egiſſe, non obſcurum eſſe poteſt; cumque per oſſium inprimis compactiorum ſubſtantiam trajiciendos humores maxima invenire obſtacula ſupra jam monitum ſit, in cranii potiſſimum oſſibus ſedem ſuam fixit, ibidemque late diffuſam cariem induxit. Qua occaſione illud mirum videri poterat, quod de vehementioribus doloribus illo tempore perceptis non conqueſtus fuerit, qui alias, acrimonia venerea hæc loca arrodente, noctu inprimis moleſti, & fere intolerabiles eſſe ſolent; attamen cum hos eo potiſſimum tempore, quo calore lecti humores rarefacti ad locum adfectum ruunt, percipi conſtet, extra hunc minus atrociter ſævientes, hinc forte contigit, ut minus inter arma illis adfligeretur: ut taceamus inſignem etiam ſubjectorum in ferendis doloribus diverſitatem, qua alii confirmatiori habitu gaudentes vix ab iis adficiuntur, quæ delicatioribus non ſuſtinenda videntur. Semel vero corrupto pericranio, ſenſu exquiſitiori prædito, inde per ipſam oſſis ſubſtantiam latius proſerpens malum vix adeo inſignem ſævitiæ ſuæ perceptionem excitabit. Sic itaque tacitis progreſſibus increſcens malum, demum ad ipſas meninges perrexit, & prima tumoris fundamenta jecit.

## §. VII.

Optimo ſane conſilio ſibi proſpexiſſet, ſi vel hoc novo phænomeno commotus ſtatim de convenienti medela ſollicitus peritis rem aperuiſſet, neque, quod in his caſibus ſæpiſſime magno ægrorum damno fieri ſolet, parva hæc initia contemſiſſet. Spes enim erat, tunc non ſolum internis remediis humorum intemperiem corrigi, ſicque ulteriorem mali progreſſum impediri potuiſſe; atque, licet his etiam corrupta oſſis pars iterum emendari non potuiſſet, fonte mali integumentis remotis detecto demortuum a ſano ſeparari, & ſic perditam reſtitui potuiſſe ſanitatem non dubitamus. Siquidem plura apud Chirurgiæ Scriptores proſtant exempla, quod inſignes oſſium etiam cranii partes carie corruptæ, ſi tempeſtive ad illa removenda acceſſerint artifices, tam felici ſucceſſu ablatæ fuerint, ut novum deinde tegmen mollius ſub initium, demum calloſum redditum, ſuccreſcens ea ex voto conſolidaverit. Memorabile inter alia exemplum Clariſſ. GOTHOFREDUS SAND Diſſertatione, quam *de fungo cerebri feliciter exſtirpato* conſcripſit, & Regiomonti anno 1700 edidit, latioris cariei, ab inflammatione & pure ſub cranio collecto inductæ, conſignavit. Siquidem poſt cephalalgiam inſignem, indeque ortum integumentorum capitis tumorem inflammatorium, cum abſceſſu, licet aperto, & quantum fieri poſſet mundato, vulnus ad coalitum perduci non poſſet, ſed tenuis ſanies profundius originem ducens ex eo promanaret, & immiſſo in orificium ſtilo, ad interiora malum tendere innoteſceret, ac denudato oſſe, illud in concurſu ſagittalis non minus & coronalis futuræ aſpe-

rum

rum & ſcabrum deprehenderetur, adplicato trepano exemtum oſſiculum tota interiore lamina cariem paſſum, atque ſub illo fungoſa caro latius expanſa cum pure erumpente cernerentur, aliam viam nullam ſupereſſe intelligebant medentes, quam ut tribus diſtinctis locis oſſis ſani partem trepano perforarent, & ſerrulis minoribus interſtitia foraminum modiolo factorum diſcinderent, atque elevatorio poſtea adplicato reliquas oſſis partes eximerent, ſicque omni carioſo remoto, ipſam etiam inchoantem duræ matris in fungoſam carnem mutationem convenientibus remediis tollere ſtuderent; quibus ex voto ſuccedentibus, facta marginum oſſis deſquamatione, poſt aliquod tempus interſtitium illud nova carne ſenſim indurata replebatur, atque a capitis dolore & ab omni labe immunis diu ſuperſtes remanebat. Non minus elegantes, ac notatu dignæ, de magna oſſium carioſorum parte, pluribus trepanis feliciter exciſa, obſervationes in Tomo I. Commentariorum Academiæ Regiæ Pariſienſis Chirurgicæ, qui hoc anno Pariſiis prodiit, Diſſertatione *de cranio pluribus locis per trepanum aperiendo* pag. 262 ſeqq. occurrunt: ſiquidem in alio poſt tumorem in vertice apertum, pus fœtidum admodum plorantem, caries palmæ latitudine, cum foramine amplo in medio conſpicuo inveniebatur, ad quam tollendam, cum alia remedia fruſtra tentata eſſent, ad trepanum confugiendum erat, quod octo diſtinctis locis in peripheria oſſis carioſi, applicari debebat, ut illud totum auferri poſſet: in alio, qui ſimili tumore correptus erat, unde potiſſimum interior tabula latius quam externa exeſa erat, ut ipſa etiam duræ matris & cerebri ſuperficies, duorum digitorum latitudine, male affectæ eſſent, trepano variis in locis applicato, aliorumque inſtrumentorum apparatu, tantum de oſſibus auferendum erat, ut hiatus, quinque pollices longus, quatuor latus, pateret; Nihilominus in utroque, prægreſſa exfoliatione, magnum illud interſtitium nova carne repletum, ægroſque, cicatrice integumentis inducta, perfecte ſanatos dimiſſos eſſe memoratur. Qua occaſione pag. 268 de modo, quo ejuſmodi foramina, ſive ampliora, ſive minora, obturentur, diſquiritur, & carnem illa replentem, poſtea in callum indurandam, nunc e dura matre exſurgere, & ſolam ſufficere, nunc cum alia ex diploe oſſis reſidui emergente jungi, ſicque deperditum reſtitui notatur; Quam diverſitatem CELSUS jamdum annotavit, dum Lib. VIII. c. 4. circa finem de calvæ conſolidatione his verbis concludit: Si bene res cedit, incipit ab ipſa membrana, vel ſi os eo loco duplex eſt, inde quoque caro increſcens, id, quod inter oſſa vacuum eſt, replet. Quem ultimum modum pro maxime naturali atque perfectiſſimo habemus, ſiquidem cum illo, quo alia etiam oſſa, fibris e parte ſana productis, regenerari novimus, quemve etiam in partium mollium vulneribus conſolidandis obtinere quotidie cernimus, maxime convenit: minimum illæ productiones, quæ a ſola meninge enatæ, & cum integumentis externis junctæ ſunt, tantam ſoliditatem vix nanciſcentur, quanta ab oſſeo tegmine exſpectari poterat, etſi ad defendendum aliqua ex parte cerebrum forte ſufficiant.

§. VIII.

## §. VIII.

Verum enim vero, cum æger ne illo quidem tempore de tollendo malo ſollicitus eſſet, in pejus quotidie ruere, difficilioremque reddere medelam cœpit. Siquidem cum ichor ille, ex deſtructis diploes vaſis generatus, nullum inveniret exitum, internam cranii tabulam, quam ob teneritatem, qua externam multum ſuperat, vitream appellant, demum perrumpebat; hanc enim, ut in pleriſque hujus generis obſervationibus notatur, in noſtro etiam caſu citius latiuſque exeſam fuiſſe, autopſia dempto cranio evincebat, uti figura noſtra tertia illud exprimere ſtuduimus, & in recenſione caſus fuſius deſcripſimus. Supra duram vero meningem depoſita ſanies, fibras ejus arrodens, primam fungoſæ protuberantiæ occaſionem dedit, ſiquidem continuante in ſuppoſitis vaſis adhuc integris vitalium humorum adpulſu, læſæ quidem fibræ denuo ſuccreſcunt, at ſuperficie non debite mundata in carnem ejuſmodi luxuriantem attolluntur. Cum vero demum externa etiam oſſis lamina exederetur, atque totum os latius in dies conſumeretur, ſicque tegmen illud oſſeum, quod ſubſtratas partes coercet, removeretur, intra ipſum oſſis hiatum meninx aſcendebat, atque ab inæquali foraminis margine, protuberantibus hinc inde acutis feſtucis, perpetuo irritabatur, majorque ſic humorum affluxus concitatus largius etiam tumoris incrementum promovebat. Cum vero laxata ſic tunica minus valide ſubjectum cerebrum conſtringeret, ipſius etiam ſubſtantia humorum, valida ſatis vi cordis eo adpellentium, impetui cedebat, & ſenſim in tumorem pariter fungoſum aſſurgebat.

## §. IX.

Duplicis eſſe generis fungos poſt læſionem cranii emergentes, alios, qui duræ ſolum matri adhæreant, alios, qui ex ipſa cerebri ſubſtantia emergant, jamdum Wilhelm. Fabric. HILDANUS Obſervat. Chirurg. Cent. II. Obſ. 36. notavit. Priores integra dura matre enaſcentes rarius, niſi affluxus humorum ſupra modum magnus ſit, adeo magnos fieri cenſet, ut extra vulnus promineant, faciliuſque medelam admittere; poſteriores vero, rupta dura meninge, promptius multo, elevata pia matre, in altum aſſurgere, atque extra oras vulneris protuberare, omniumque eſſe periculoſiſſimos, atque ut plurimum lethales, monet. Ad priorum ſenſum pertinuiſſe crediderim, fungum illum, de quo Cl. SANDTIUS in Diſſertatione ſuperius commemorata egit, utpote quem duræ matris ſolum exteriori parti ſub oſſe corrupto adhæſiſſe, neque adeo inſignia incrementa cœpiſſe, cerebrum vero ſub illa integrum manſiſſe, accuratius inſpicienti patet; unde etiam detecta mali ſede facilem ſatis medelam admiſit, minus vero accurate fungus cerebri in rubro appellatus eſſe videtur. Neque vero ſolius etiam duræ matris fungos adeo arctis ſemper limitibus contineri, exemplum a Cel. IO. SALTZMANNO

adnotatum docere poterit, quod magnam cum noſtro analogiam præ ſe fert; niſi quod ab ictu externo prima ejus origo deducatur: illud non ſolum in Commentariis Acad. Scient. Petropolitanæ Tom. III. pag. 275. ex ejus litteris excerptum breviter commemoratur, ſed fuſius etiam in Actis Acad. Cæſar. Nat. Cur. Vol. II. Obſervat. C. ab eodem deſcriptum legitur. Tumor ille, os frontis & bregmatis lateris ſiniſtri occupans, ad ovi gallinacei magnitudinem ſub integumentis excreverat, qui, ob concitatos vehementes dolores inciſus, parum materiæ purulentæ fuderat, cumque, portione ejus reſecta, reliquias ſuppuratione, ſub initium ex voto ſuccedente, tollere ſtuderent, undecimo tamen die, vomitu bilioſo & deliriis correptus æger obierat, ſpemque medentium fruſtraverat. Impetrata ſectione, in ipſo cranio hiatus inſignis magnitudine ovi gallinacei patebat, interna tabula magis quam externa carie exeſa erat, dura mater eo in loco in plicas corrugata & veluti calloſa reperiebatur, e qua caro fungoſa enata, eique firmiſſime adnata eſſe videbatur: inter duram matrem & cranium latius expanſa atque multum compreſſa, foramini firmiter impacta, & undique adhærens, ejus inæqualitates profunde ſubiit, ut cranium vi avellendum eſſet, tumorque ſitum mutare non poſſet; de læſa vero ſubſtantia cerebri nihil additur, quod profecto ab accuratiſſimo anatomico, ſi quid in eo notatu dignum occurriſſet, non fuiſſe omiſſum certo confidimus. Ut adeo injuria CELSUM qui tale duræ matris incrementum præternaturale Lib. VIII. c. 4. commemorat, a Cl. GERARDO VAN SWIETEN accuſari crediderim, ac ſi cerebri ipſius fungum pro duræ matris tumore perperam habuerit. Siquidem ordo propoſitorum ſatis evidenter oſtendit, eum accurate de duræ matris vitiis a ſe obſervatis agere. Primo enim de inflammatione duræ matris his verbis tradit: *Si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit roſa tepida.* Poſt ſubjicit: *Si uſque eo tumebit, ut ſuper oſſa quoque emineat, coercebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita, & cum recenti vel butyro vel adipe anſerino mixta*; Atque his ſtatim annectit: *At, ſi parum pura membrana videbitur, par modus ejus emplaſtri & mellis miſcendus erit.* Tales vero tumores neutiquam inter mera figmenta referendos, ſed duræ matris fungos potius accurate ab iis, qui cerebri ſubſtantiam occupant, diſtinguendos eſſe, vel ea exempla quæ, hoc paragrapho adduximus, evincere poſſunt; unde potius ab aliis autoribus ſubinde minus accurate indagatos falſo nomine pro cerebri fungis deſcriptos, ſicque rariorem priorum mentionem factam eſſe cenſeo.

## § X.

De ipſius cerebri fungis recte quidem modo laudatus Cl. VAN SWIETEN T. I. *Commentarii in* BOERHAAVII *Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis* p. 439. & 484. monet, quamdiu dura mater adhuc integra ſit, raro ipſius cerebri fungos enaſci, ſiquidem firma hæc membrana ſat arcte

conf-

conſtringat ſuppoſitam cerebri ſubſtantiam, hac vero demum ſoluta vaſa cerebri, hic tunicis elaſticis deſtituta, fluidis, valida cordis contractione eo propulſis, minus reſiſtere poſſe, adeoque quam maxime dilatari, & in miros illos tumores elevari. Interim nec hoc in univerſum obtinere inſigne inter alia exemplum, in ſupra citatis Commentariis Acad. Chirurg. Pariſ. p. 227. relatum, confirmat. Cum enim ægra acerbis per plures annos capitis doloribus vexata, adhibito fruſtra trepano, ubi nulli ſub cranio effuſi humores, nulla meningis corruptio, præter majorem ejus tenſionem comparebat, hujus etiam inciſio nullum levamen afferebat, tandem obiret, poſt ſectionem cranio ablato tres cerebri fungi in conſpectum venerunt, e ſubſtantia ejus corticali enati, duræque matri adhærentes, quæ illo loco admodum craſſa inveniebatur, os vero ſuperimpoſitum ita attenuatum erat, ut vix folium chartæ, qua ad ſcribendum utimur, craſſitie æquaret. Ex quo ſatis apparet, tantum interdum eſſe humorum impetum, ut non mollis ſolum cerebri ſubſtantia, ſed ſuperincumbens etiam membrana, imo os ipſum cedere, etſi non ſine inſigni dolorum exacerbatione, cogatur. Multo igitur facilius continget, ſi parte calvariæ carioſa corruptione ablata, meninx, eo loco a preſſione libera, relaxata, atque intra hiatum propulſa fuerit, ut aliqua naturali major expanſio, ob imminutam duræ matris conſtrictionem, in ipſo etiam cerebro inſequatur; etſi illam multo celerius diffundi facile largiamur, ſi, prorſus aperta meninge, nullum plane obſtaculum humores vaſa debilia dilatantes inveniunt. A ſubito enim incremento, una cum texturæ laxæ & ſpongioſæ ſimilitudine, fungorum nomen his tumoribus adhæſiſſe facile conjicimus. Mira ſatis ejuſmodi tumorum celerrime increſcentium exempla HILDANUS in ſuis obſervationibus nobis exhibet: non ſolum enim Cent. I. Obſerv. 15. pueri quatuordecim annorum meminit, in quo, poſt cranii fracturam & meningis dilacerationem, exortus ſit e vulnere fungus, qui intra viginti quatuor horas ita excreverit, ut magnitudine ovi gallinacei extra cranium emineret, qui tamen ab ipſo fomentis & pulveribus nervinis atque exſiccantibus percuratus fuerit, ut intra quatuordecim dies ſubſederit. Sed longe magis admiranda, imo ſtupenda prorſus videtur hiſtoria Centur IV. Obſer. III. ex litteris JOANNIS DE BURGO deprompta, qua puer memoratur, ex cujus cranio poſt trepanationem ob pus intus latens, quod ſub ipſa operatione cum impetu proruperat, inſtitutam, membrana fungi inſtar eminuerit; quæ cum cohiberi, quo minus latius expanderetur, non poſſet, filo circumligato conſtricta atque reſecta fuerit, ubi tamen brevi nova portio ad trium digitorum altitudinem ſuccreverit, denuo reſecanda, quod aliquoties iteratum fuerit, ut cerebri portio ad pugni magnitudinem exciſa fuerit, ægro nihilominus, etſi negligentius tractaretur, præter ſpem convaleſcente, poſtquam reliqua cerebri portio paulatim ſubſediſſet, calluſque foramini innatus eſſet. Felices merito prædicandi, qui tam atroci malo correpti, tandem tamen medentis dexteritate, naturæ robore, ne dicam fato, adjuta, ex eodem eluctantur; ſæpius enim vel providiſſimam curam ob indicatio-

num hic obſervandarum gravitatem irritam fore facile perſpicimus; partim enim luxurians illa portio, quæ ad priores anguſtias reduci nequit, removenda eſt, partim vero ſubito nimis renaſcentia hæc, hydræ inſtar lerneæ, ſtamina coercenda ſunt. Uti compreſſionem validam, ita pariter ligaturam, quæ tamen potiſſimum hic requirerentur, vix ferre poterunt tam tenera cerebri vaſcula, ut ſubjectæ partes putridæ corruptionis periculo non exponantur, ad quam illo tempore jamdum proclives eſſe ſolent hæ partes, ut vel ſibi relictæ in eamdem ruant. Hoc enim fato ſæpius ejuſmodi ægros interiiſſe binis tantum obſervationibus, ex pluribus, quæ hinc inde proſtant, confirmaſſe ſufficiat. Priorem Cl. KOENIG in Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. Ann. I. Obſerv. 167. conſignavit; dum poſt cranium carcinomate exeſum, denudatamque & diſruptam duram matrem, ſenſim e foramine ampliore reddito cortex cerebri, tenui meninge adhuc ex parte obductus, prorupit, in dieſque auctus pomi magnitudine extra cranium in conſpectum venit, unde tandem ægra poſt deliria ſopore fatali correpta obierat: poſt ſectionem, cerebrum in parte affecta corruptum & quaſi ſphacelatum apparuit, multoque pure virideſcente repletum, cujus non parva copia etiam circa principium medullæ ſpinalis & cerebellum hæſit. Alterum a Cl. ANHORNIO copioſe relatum in eorumdem Ephemer. Dec. II. Anno IX. Obſ. 174. notamus, ubi poſt lapſum pueri ex equo, indeque læſum dextrum bregmatis os, fungus ex cranio pertuſo emerſit, primo digitum craſſus, pollicem longus, qui per aliquod tempus exſiccantibus tractatus, parumve mutatus, tandem largius ſuccreſcere cœpit, unde pulvere ex Euphorbio & alumine uſto inſperſo ſublatus fuit; intra viginti quatuor horas vero alius ovi gallinacei magnitudine excrevit, in quo valida vaſorum pulſatio percepta fuit, quem cum rodentibus fruſtra tentari cernerent, filo circa anguſtiorem radicem conſtrinxere, donec maxima pars cum inſigni fœtore tandem decideret, reliquiæve corruptæ ſepararentur, quas tamen ſtatim alius cinericei coloris, nucis juglandis magnitudine excepit, qui itidem poſt paucos dies ſponte quidem ſubſedit, relicto inſigni hiatu in ſubſtantiam cerebri penetrante, qui tamen unius noctis ſpatio totus novo fungo oppletus fuit: donec tandem ſub graviſſimis ſymptomatibus quarto poſt acceptum vulnus menſe interiit; quorum mentione prætermiſſa, interiorem ſolum cerebri, prout poſt ſectionem deprehenſa fuit, faciem adhuc commemorabimus; ſiquidem inſignis pars de ſubſtantia cerebri ad baſim ejuſdem uſque abſumpta cernebatur, ventriculi cum omnibus encephali internis meatibus pure inſigniter fœtente inundati, plexus choroidæi putridi, nigricantes & corrupti erant, inferiora cerebelli etiam imprimis dextro in latere ſanie fœtida conſumpta reperiebantur, quin imo cum medulla ſpinali intra vertebrarum ſpecum pus deſcenderat.

## §. XI.

Eadem fere noſtri ægri fata fuiſſe ex hiſtoria ſub initium enarrata patet; ſiqui-

ſiquidem hic pariter pus copioſum ad ventriculos cerebri depoſitum, non eos ſolum cum plexibus choroidæis infecerat, ſed medullarem ſubſtantiam ad baſim fere uſque cranii in ichorem putridum converterat. Neque enim bonæ notæ pus in molli hac & friabili fabrica, tot tamen vaſis irrigata, & humorum copioſiori affluxui obnoxia, expectandum erit, imprimis ſi humores jamdum acriores, aliave labe infecti fuerunt, ſed potius inflammatione in ejuſmodi ægris excitata loco legitimæ ſuppurationis funeſta gangræna metuenda erit. Forte quidam læſos, in quibus magna etiam ſubſtantiæ cerebri pars ablata fuerit, melioribus fatis reſtitutos fuiſſe objicient, atque ad HILDANI experientiam, pluribus exemplis in Centur. I. obſerv. 13. confirmatam provocabunt, cui etiam recentiores Chirurgi Galli in ſuis Commentariis p. 310. ſeq. adſtipulentur, qui prolixa de vulneribus cerebri diſſertatione, illud ſine certo mortis periculo varias ſectiones admittere poſſe crebriorum caſuum eventu docere, atque chirurgos ad tentanda in extremis periculis extrema etiam remedia, præter ſpem ſæpe feliciter ceſſura, excitare ſtuduerint. At vero uti hæc felicis eventus exempla inter rariora potius & ſingularia referenda eſſe, quam ut ſimilem ſucceſſum ubique ſperare liceat, ipſi fateri coguntur; ita non negligendum videtur diſcrimen, quod inter læſiones a cauſa externa inflictas, & puris generationem a cauſa interna intercedit. Si enim homines ceteroquin valentes, boniſque ſuccis gaudentes, forte fortuna ita vulnerentur, ut diſſecto cranio pars ſimul cerebri tollatur, lætiora omnino ſperare licet, quoniam patente plaga remediis congruis acceſſus, puri vero liberior exitus, patet, atque blandis humoribus deperditum prompte reſtituitur: longe tamen deteriora ſecutura eſſe intelligimus, ſi malum a cauſa interna obortum fuit, aut ubi externæ etiam injuriæ præceſſerint, ab hac tamen ſuſtentatur, integumentis vero integris, vel exigua rima patentibus, aut exitu a fungo obturato, pus ibidem generatum intus occluſum detinetur, ſicque temporis tractu acrius redditum profundius medullarem ſubſtantiam exedit. Quale exemplum in Ephemer. N. C. Cent. VIII. obſ. 21. de carie oſſis bregmatis & temporum dextri cum cerebri putrefactione, in fœmina, quæ antea ulceribus venereis laboraverat, refertur: atque non minoris momenti in eorumdem Actis phyſico-medicis Vol. IV. obſervat. 100. exhibetur; dum fœmina a contuſione exiguum ſub initium tumorem acceperat, qui vero poſt menſium ceſſationem in dies adauctus, & cum carie cranii conjunctus, demum ob peſſimam inflammationem, quæ magnam utriuſque cerebri ſubſtantiæ partem corruperat, & pus fœditiſſimum intus cumulatum funeſtus extitit: ut alia nunc his ſimilia taceamus. Quod ſi enim ſub initium, quamdiu intra corticalem ſubſtantiam hæret, aut exiguum cerebri ambitum occupat, ſua etiam functionibus cerebri integritas conſtet, latius tamen intra medullarem ſubſtantiam propagata, atque ad corpus uſque calloſum, imo ipſam medullam oblongatam penetrans corruptio, triſtiſſima profecto ſymptomata generabit. Oppreſſis enim aut arroſis ſtaminibus, a quibus tubuli nervoſi originem ducunt, ſenſuum pariter ac motuum turbas excitari

neceſſe eſt; indeque vertigines, ſcotomias, deliria, ſoporoſos atque paralyticos affectus, aut motus convulſivos nunc particulares, nunc univerſales, intus latentis mali gravitatem indicare, brevique interitum accelerare cognoſcimus.

§ XII.

Non dubito fore, qui illud timidorum, ſuæque magis exiſtimationi quam miſerorum ſaluti proſpicientium, conſilium, *deſperatos non eſſe attingendos*, probantes, noſtrum etiam ægrum, tam gravibus malis correptum, ſuo potius fato relinquendum, quam ancipiti medelæ ſubjiciendum fuiſſe, judicio ex eventu deprompto, arbitrentur. Verum enim vero, quamdiu tumor hic ſub tegumentis externis, quæ in parte capitis capillata præ ceteris partibus craſſiora ſunt, latebat, a quibus citum nimis ejus incrementum aliquantum coercebatur, phænomena in eodem obvia non omnem ſpem felicis ſucceſſus tollebant. Siquidem tactu exploratus, durus atque immobilis deprehendebatur, & tumoris cyſtici, vel peculiaris abſceſſus, qui haud raro & in capite obſervantur, faciem præ ſe ferebat, quales ſæpius optato cum ſucceſſu illuſtris HEISTERUS extirpaverat. Hos vero ſibi relictos non ſolum mole in dies augeri, ſicque pondere moleſtos fieri, ſed non raro materia intus contenta acriori reddita, folliculo demum deſtructo, partes vicinas quoque corrumpere conſtat; & in noſtro etiam pericranium parteſque ſubſtratas nobiliores affici, ſenſus ille vertiginis non raro perceptus indicabat, hinc tanto magis ad promptam medelam, quæ ulteriorem ejus progreſſum ſiſteret, ferendam excitabat. Cum vero de cætero ſenſus ſatis ſibi conſtarent, atque in motibus animalibus exercendis adhuc vegetus eſſet, & in ipſius tumoris exploratione graviores moleſtias non perciperet, tam profundas malum radices egiſſe, atque ipſum cerebrum ſimul occupaſſe, & tam graviter læſiſſe, nullo certo indicio conſtabat. Imo licet aliqua ſuſpicio cranii forte ex parte corrupti oriretur, multiplex tamen experientia, quod hujus etiam caries, licet & calvariam omnino perforaverit, meningibus præſertim adhuc integris, feliciter correcta atque ſublata fuerit, in propoſito confirmabat; et, ſi deterior etiam, quam indicia ſpondebant, interiorum ſtatus reperiretur, illud tamen ſimul intelligebatur, fonte mali non detecto illud emendari non poſſe, ſed ſibi etiam relictum in pejus certo ruiturum, cum tempeſtive adhuc adhibita medela forte funeſtus exitus averti poſſet. Quare merito graviſſimis expertiſſimorum Medicorum atque Chirurgorum monitis obtemperandum erat, qui felicium præter ſpem etiam eventuum exemplis nos, in gravibus & interitum minitantibus caſibus ad cuncta, quæ in artis proteſtate ſunt, potius experienda, excitari volunt, quam ut omni auxilio deſtitutos deſeramus ægros. Quod ſi maturius ab iis, qui curam noſtri antea ſuſceperant, initum fuiſſet conſilium, feliciorem curationis ſucceſſum expectandum fuiſſe nulli dubitamus.

DISSER-

Tab. II.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Disp. Chirurg. Tom. I. CREL DE TUMORE FUNG. pag. 62.

IV.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

*INAUGURALIS*

DE

EXOSTOSI CRANII RARIORE;

*Quam pro Doctoratu obtinendo tuebitur,*

JOAN. CASPART,

*CANTSTAD. WIRTEMB. SUEVUS.*

Argentorati, mense Decembris 1730.

# IN NOMINE JESU.

## PROOEMIUM.

Postquam in materia Dissertationis Inauguralis seligenda diu hæsitavi, inque evolutione variorum Scriptorum ad Medicinam spectantium selectum meum incertum imo nullum animadverti, eo quod tantam rerum copiam, qua forum Medicum jam est refertum, invenerim, ita, ut non solum meæ tenuitati se statim sisterent plures objectiones, me dehortantes, ne aliquem locum a majori jam occupatum turbarem, sed etiam ne ex crambe bis aut pluries recocta tandem insipidi quid atque ingrati proferrem, quo ipso Benevoli Lectoris calculo omnino me indignum redderem; Tandem insignis observationum & casuum tum Medicorum tum etiam Chirurgicorum ad rem Medicam amplificandam utilitas ex occasione præfationis Cl. Baglivi Praxi suæ Medicæ præmissæ viam menti meæ aperuit, cogitandi de Excrescentiis Osseis, Exostosibus alias dictis. Ast cum neque ingenii mei vires neque tempus de dictis Excrescentiis in genere atque prolixiori modo scribere mihi permiserint, in specie tantum inque rarioris explicatione Casus de Exostosi Cranii sive hujus Excrescentia Ossea pro hac vice subsistere mecum constitui; id quod eo lubentius in me suscepi, quo magis Exc. Dn. Salzmannus Anatomiæ & Chirurgiæ Professor Publicus Celeberrimus, Fautor ac Præceptor omni tempore pie atque æterne Colendus, eumdem Casum, quem ante aliquod temporis spatium anno superiore Ephemeridibus Naturæ Curiosorum jam insinuavit, ulterius explicandi veniam mihi concessit. Quare operæ pretium esse duxi, illustrationis gratia Figuras Dissertationis meæ calci annectere. Quo rarior vero est hic affectus, quoque majore attentione dignus, eo minus B. L. sinistram in partem interpretaturum spero, si rem acu non tetigero, enixe rogitans, velit ille qualescumque meos conatus æqui bonique consulere, quippe quem non latet, me ob virium mearum imbecillitatem in affectus hujus resolutione non ex omnibus officio meo satisfecisse. Attamen quoniam mihi incubuit, qualescumque meos in Arte Medica profectus in medium producere, me excusatum fore duxi, si qualicumque mea tractatione evitarem, ne in errorem supra notatum incurrerem. Deus T. O. M. meo huic conamini clementer assistat, atque hunc laborem ita dirigat, ut in Ejus Gloriam, Proximi emolumentum, meumque commodum cedere jubeat.

## HISTORIA.

*Faber ferrarius XLIII. circiter annorum, temperamenti sanguineo-melancholici & habitus macilenti Bacchoq. non modice litans, hic Argentorati anno MDCCXXIII. mens. Jun. dolore pectoris gravativo & vomendi conatibus subito corripiebatur, gravativo capitis dolore & horrore totius corporis paulo post superveniente; quæ symptomata ab assumpto vomitorio & V. S. in pede administrata evanuere, ita ut laboribus suis satis bene defungi denuo valuerit; donec anni insequentis mense Julio rixis cum uxore obortis iraq. gravi percitus simili cephalalgia & vomitu bilioso repetito affligeretur, quæ a remediorum usu rursus cessarunt. Postea victu ex necessitate inordinato uti coactus, & de fide uxoris cum aliis commercium habentis non injustam suspicionem fovens, & ipse vitam improbam agere cœpit, atq. non solum Baccho, uti antea jam solitus erat, strenue litavit, sed & illicitæ clandestinæq. Veneri se dedit; a qua gonorrhœam & penis exulcerationem cum inflammatione conjunctam sibi contraxit, quod malum ex intempestivo pudore, quem antea quidem exuerat, Medico celavit, illudq. a variis indiscriminatim adhibitis auxit. Tandem Chirurgi ope, quam implorare coactus fuerat, pristinæ sanitati utcumq. restitutus est. Et ita per trimestre temporis spatium satis bene se habuit, opificio suo vacans remq. domesticam gerens, nisi quod consuetum alias vigorem in actionibus suis haud monstraverit. Quo præterlapso aliquoties cephalalgia gravissima ex improviso correptus est, & tertia vice ab incude recedens subito vertiginosus in terram procidit nomen JESU ingemiscens. Domestici accurrentes & totum quantum rigidum frigidumq. deprehendentes, Dn. D. a LINDERN Fautoris ac Patroni mei omni observantia cölendi forte fortuna prætereuntis auxilium implorarunt, qui ægrum sensibus privatum cum frigore extremorum absq. tamen stertore videns venam illico secari, spiritum excitantem naribus admoveri & clysterem acriorem applicari jussit, a quibus adhibitis intra VI. horarum spatium excitatus ad se rediit atq. voce liberiore edita, quis eum expergefecerit, quæsivit: Diebus insequentibus melius se habuit, præter quod de deglutiendi difficultate & virgæ circa glandem ardore conquestus fuerit, è quibus uti & aliis symptomatibus haud obscure suspicatus est supra laudatus Medicus ægrum lue venerea infectum esse, huicq. cephalalgiam aliquoties recurrentem deberi. Quare medicamentis mercurialibus in auxilium vocatis ipsum curæ salivatoriæ cum euphoria subjecit, a qua pristinæ, uti quidem videbatur, sanitati restitutus a dictis symptomatibus immunis vixit usq. ad medium mens. Mart. MDCCXXVII. quo tempore a porrecto in alienis ædibus poculo & epoto mox tormina in abdomine gravia sensit & paucis horis interjectis convulsionibus correptus fatis cessit.*

*Quia vero assumpti veneni suspicio non levis aderat, Incliti hujus Urbis Magistratus jussu cadaver cultro anatomico subjectum est, eum in finem ut viscerum inter-*

*interiorum ſtatus examinaretur. Et quia in ſiniſtra capitis ſede tumor non levis facile apparebat, ejus integumenta ſimul remota ſunt, quo facto Exoſtoſis ſeu excreſcentia oſſea & quidem ſpongioſa ab oſſe bregmatis ſiniſtro duobus digitis transverſis a latere ſuturæ ſagittalis enata oculis ſe ſiſtebat, anterius ſuper coronalem ſuturam ad os frontis ſeſe extendens, inferius vero verſus mendoſam ſeu ſpuriam, quæ dictum os ſincipitis cum illo temporum committit, exporrecta, os temporale vix attigit, & ſuperiore ſui ſede magis, quam inferna protuberans, quæ Exoſtoſis pericranii lamellas & ſimul muſculum crotaphitem non parum elevavit, inſuper pluribus hinc inde eminentiis exaſperata & ſinubus excavata erat, præprimis ſulcum fere ſemilunarem a parte anteriore ad poſticam transverſim excurrentem in medio ſui habebat. Cranio ſerra diſſecto & remoto in interna ejus facie ſimilis Exoſtoſis raro ſpectaculo conſpiciebatur. Hæc interior ab externa pluribus diſcrepabat, erat quippe (1) major & longius latiuſq. ſe extendens (2) magis rotunda & hemiſphærium exactius figura referens quam externa, cujus circumferentia pariter ac pars elevata magis inæqualis extiterat. (3) ſubſtantia ejus oſſeo ſpongioſa paulo mollior erat, e fibris oſſeis tenerioribus conſtans, & plura eaq. majora interſtitia intus in ſinu ſuo fovens, laminaq. tenuiſſima extus munita. (4) inferius magis quam ſuperna facie protuberabat, cum e contrario exterior ſupra magis quam infra elevata erat; (5) circumferentia tumoris oſſei interna ſatis æqualis erat & magis rotunda quam externi, in qua plura hinc inde tubercula ad latus excurrere viſa ſunt, (6) craſſa meninx illæſa huic tumori interno adhærebat.*

*Conjectu igitur facile eſt, qua vi dura mater cerebrumq. ipſum ab hoc tumore oſſeo compreſſum fuerit, unde illius vaſa valde turgeſcentia eadem veſtigia, quæ oſſi bregmatis coſtas folii ficus alias repreſentantia imprimunt, in dicto tumore reliquerunt, a qua compreſſione ultima, quæ in hoc ſubjecto obſervata fuere, ſymptomata potiſſimum derivanda ſunt.*

## RESOLUTIO.

Quoniam in admiranda machinæ humanæ ſtructura oſſa duriore ſua textura naturali, debita figura, ſitu, atque firma conſiſtentia tum reliquis partibus ſolidis pro fulcro & motu, tum fluidis ipſis pro naturali æquilibrio, conamine hinc inde ſeſe movendi & debitum atque ordinatum fluxum obſervandi &c. ſicque harmonice inſervire debent, corruptis vero, deformatis ac deſtructis iiſdem non longe abeſt, quin reliquæ corporis partes illis ſuperſtructæ & miro modo connexæ varia inde damna accipiant, & pro cauſarum circumſtantiis inſigne detrimentum imo plenariam corruptionem patiantur. Quid igitur mirum eſt? Si hic affectus, qui argumentum præſentis diſſertationis conſtituit, nempe cranii, quod nobiliſſimam Microcoſmi partem in ſinu ſuo continet, Exoſtoſis ſive excreſcentia tam multiplicia ſymptomatum ſchemata produxerit, tandemque hoc ſubjectum inter acutiſſimos dolores vitam cum morte commutare coegerit. Sed jam difficultates non leves occurrunt circa hujus Exoſtoſeos originem, variorum item phænomenorum in & ante gonorrhæam & luem venerea m explicationem, ut & ipſam Exoſtoſeos curationem. Quæritur enim 1. utrum hic affectus rariſſimus ortus fuerit ante gonorrhæam & ſymptomata illam ſubſecuta, ipſamque luem venerea m nec ne? 2. An illa phænomena in Hiſtoria ante gonorrhæam recenſita ab hac Exoſtoſi tanquam cauſa efficiente deducenda ſint? Ad hæc reſpondeo, quod hæc Exoſtoſis, poſt inquinamentum venereum in totam maſſam ſanguineam diffuſum radices potiſſimum egerit, nempe prædiſpoſita partium capitis atonia (§. VI.) (uti triſtis ejuſmodi diſpoſitionis effectum haud raro obſervamus v. g. in renum, hepatis & pulmonum affectibus, &c.) Bacchum, victum inordinatum & animi affectus inſecuta virus venereum ſanguinis ſerum coagulavit, quod lentore ſuo cranii tubulos exiliſſimos ægre permeans tandem ipſam hujus ſubſtantiam oſſeam affecit; Præterea ſi hæc Exoſtoſis ante gonorrhæam & luem venerea m jam adfuiſſet, vomitorium propinatum ſymptomata ab initio caſus memorata non ſuſtuliſſet, ſed potius illa exacerbaſſet. 3. An certa hujus Exoſtoſeos ſigna ars nobis ſubminiſtraſſet. 4. Num cura ſalivatoria dicta malo huic curando ſufficiens fuerit, &c. Sed de his quæſtionibus plura in ſequentibus Paragraphis.

§. I. Affectus, de quo agimus, in Medicorum Scholis dicitur Græce Ἐξόςωσις, ab ἐξ, ex, & ὀςέον, os. Lat. Exoſſatio, oſſis Eminentia & Excreſcentia, Tumor oſſeus, Gall. Exoſtoſe, ou une Tumeur de l'os, Germ. *Eine Herrorragung oder Auſſwachs eines Beins*; & eſt generaliter accepta tumor oſſis in ejus ſuperficie generatus & magis minuſve protuberans cum dolore nunc majore nunc minore conjunctus, qui tumor, ubi creſcit & augetur, fibras oſſeas diſtendit, adeo, ut illæ rumpantur. Inde continui ſolutio & in oſſe & in perioſteo ſequitur, & velut nova vegetatio contingit, dum ſuccus nutritius extravaſatus in interſtitium oſſis ſubſtantiæ & perioſteo inter

terjectum effluit, ab humoribus acribus ibidem ſtagnantibus proveniens. Interdum nova hæc progenies cum oſſe in unam ſubſtantiam coaleſcit [a], interdum ejus ſuperficiei ſolum quaſi adnata eſt. Specialiter autem Exoſtoſis cranii in noſtro ſubjecto fuit tumor ſive excreſcentia oſſea lamella oſſea tenuiſſima obducta ultra naturalem modum, ſitum, figuram & dimenſionem in ejus tam interna quam externa ſuperficie facta ab humore nutritio per virus potiſſimum venereum corrupto & intra utramque cranii tabulam in diploë collecto, tractuque temporis ob hujus vaſculorum atque tubulorum eroſionem extravaſato doloremque non levem excitantem originem ducens. E quibus aliquo modo patet, hanc Exoſtoſim non inepte cariem ocultam (§. IX.) ſive Cariem oſſis abſque fiſtula aut ulcere ſordido appellari quoque poſſe, quam copioſi humores ſeroſo-lymphatici ac nutritii perpetuo affluentes atque acrimoniam acido-corroſivam diluentes ab ulteriore labe præſervarunt. Et quo minus in perfectam Cariem ille degeneraverit, vel carnis & pinguedinis præprimis in cavitate cranii abſentia vel cura ſalivatoria maſſæ ſanguineæ acrimoniam non parum corrigens, vel etiam cranii textura hoc potiſſimum in loco non adeo cavernoſa, uti illa aliorum oſſium facilius materiam viſcidam acrem in ſe recipientium & foventium &c. impedierunt [b]. Subjectum principale fuerunt vaſcula & tubuli oſſei minores in diploë cranii & quidem ſpeciatim oſſis bregmatis partim etiam oſſis frontis ſiniſtri lateris in quibus humor nutritius per humores vitioſos & potiſſimum per virus venereum corruptus ſuccedanea eroſione Exoſtoſim generans, colligebatur. (conf. §. VI. VII. VIII. IX.)

§. II. Oſſe igitur bregmatis ſiniſtro & frontis ejuſdem lateris pro ſubjecto Exoſtoſeos noſtræ denominatis par eſſet, ut jam de Oſſium ſtructura, figura, ſitu, differentia, generatione, nutritione atque generali uſu quædam præmitterem, quia vero Rerum Medicarum Scriptores Clariſſimi [c] hoc labore egregie defuncti ſunt, ego in vaſtum huncce campum excurrere non audeo, quin potius, ne Diſſertationis limites tranſgrediar, de horum oſſium ſpeciali differentia & uſu, in quibus Exoſtoſeos fomes latebat, quædam breviter enarrabo. In fibris oſſium major durities, firmior cohæſio, minor flexibilitas deprehenditur quam in illis reliquarum partium ſolidarum, unde oſſis textura ſolidior, magis compacta & vi externæ reſiſtendi aptior exiſtit, quæ diſpoſitio a diverſo particularum componentium principio, ſitu, combinatione,

[a] uti in monſtroſa illa exoſtoſi condylorum oſſis femoris in quodam milite obſervata, de qua vid. *Act. Acad. Reg. Scient. ann.* 1706. *p.* 318.

[b] conf. HERM. BOERHAV. *Aphor. de cognoſc. & curand. morb. cap. de Morb. Oſſ.*

[c] Præ aliis GAGLIARDI, *Anat. Oſſ.* nec non GEORG. BAGLIVUS *Specim.* L. I. *de Fibr. motr.* JO. CHRIST. HEYNE. *Tentam. Chirurg. Med. de præcip. Oſſ. Morb.* Exc. JO. SALZMANNI. *Diſſert. de Oſſificatione* P. N. *Argent.* 1720. & CHRIST. MICH. ADOLPHI. *de Spina Ventoſa*, §. VII. *Hal. Magdeb.* 1705. COURTIAL. *Obſerv. des Os.* aliique.

ne, qualitate, quantitate & nutritione dependet, quam in ipsis etiam ossibus differre, eaque distinguere, nemini non notum est. Uti enim ossa in genere partes corporis nostri durissimæ, & fulciendis, defendendisque mollioribus destinatæ sunt; Ita supra dicta ossa, scilicet bregmatis & frontis illis trunci extremitatibus supra memoratis proprietatibus antecellunt, quia una cum reliquis cranium componentibus adeo nobilem & a providentia divina in prima creatione mirifice fabrefactam visceris partem scil ἐγκέφαλον in se continent atque defendunt, ita ut his destructis omnium nobilissimæ machinæ nostræ actiones in illo perficiendæ sufflaminentur & dissolvantur; Quapropter etiam Sapientissimus universi Conditor illis, quæ cranio propria sunt, sphæroideam externe convexam, interne vero concavam figuram, suturas, & strictiorem fibrarum ossearum absque notabili cavitate interna connexionem largitus est, ne per allisionem a vi externa factam, aut humorum affluxum cerebrum interius dilatantem, visceri huic nulla pinguedine munito noxa facile inferretur. Dum autem hæc stabilio, non ignoro objici mihi posse, (1.) os bregmatis eo in loco, cui Exostosis nostra insederat, tenuius esse, quam reliquis in locis, aut etiam quam alia cranii ossa, unde ut e Chirurgicis hoc repetamus, ictus huic sedi inflictos præter alias rationes ob ossis tenuitatem graviores quam alibi esse. (2.) utramque tabulam fere contiguam nulla vel pauca satis diploë interjacente deprehendi, in qua tamen tumorem nostrum osseum primas egisse radices supra diximus; Sed respondeo, utrumque verum esse de parte ossis inferiore, quæ ad temporale pertinet, non æque de osse bregmatis, e quo tumor noster enatus fuerat, utut non negem, multis aliis in locis cranii ossa crassiora quam hoc ipsum reperiri, sed silentio prætereundum quoque non est. (1.) hanc diploë crassitiem pro subjectorum varietate differre. (2.) plura in dicto osse maxime in interiori ejus tabula foraminula conspici, per quæ arteriolæ intrantes non parum humoris deponunt. E quibus horum ossium differentia aliquatenus apparet.

§. III. Quod vero Exostosium species attinet, multi Auctorum inveniuntur, qui plures numero observationes earum partim a succis nutritiis mucoso-serosis, partim venereis, scorbuticis tubulorum osseorum dispositionem mutantibus genitarum recensent [d]. Quibus adhuc alii adjungi possent, nisi verba procemii & ratio (§. II.) dicta obstitissent.

§. IV.

[d] *Act. Acad. Reg. Scient.* (§. 1.) *alleg.* Exc. RUDOLPH. JACOB. CAMERARIUS, Professor Tubingensis Celeberrimus *in Eph. Germ. Dec. II. ann.* VI. Obs. XCIX. *de Ossium Excrescentia in puero tumore frontis cum augmento laborante.* Exc. JO. BURCKH. MOEGLING. Consiliarius & Archiater Ducalis Wirtembergicus Celeberrimus, *in Eph. Germ. Cent.* V. & VI. Obs. XXI. *de Exostosi cranii interiore, cum polypo auris sinistræ & ossiculis duobus duræ matris prope falcem incumbentibus.* MARC. AUREL. SEVERINUS. *in Pyrotechn. Chirurg.* L. II. Part. I. Cap. CX. *de Gummi & Exostosi Calvariæ præsertim a venerea lue profectis, & ustione tractatis.* Idem SEVERINUS. *Chir. efficac.* Part. II. *Enarrat.* Cap. XXIX.

§. IV. His igitur præmissis nostra Exostoseos species consideranda venit, circa cujus situm, figuram, longitudinem, latitudinem, crassitiem, duritiem, & denique partem ipsam affectam cum suis partibus tam internis quam externis ac & incumbentibus prolixus non ero, quia hæc ipsa tum ex historia perlecta tum ex inspectis figuris abunde, uti opinor, patent; liceat tamen hic repetere istam sinistro capitis ossi, quod syncipitis seu bregmatis vocatur, duobus digitis transversis a latere futuræ sagittalis insedisse, & anterius coronalem transgressam ad os frontis pollicis crassitie ultra hanc se extendisse, inferius vero ad futuram mendosam & os temporum exterius desiisse, interius iisdem limitibus circumscriptam fuisse, nisi quod ad inferiora magis exporrigeretur. Figuram internæ magis semiglobosam & in medio maxime elevatam fuisse, externæ vero superius magis protuberasse, quam inferius, adeoque hujus longitudinem ab osse frontis versus illud occipitis latitudinem superasse. Crassitiem utriusque una cum cranio unius digiti & 8. linearum & internam crassitie cranii majorem quam externam extitisse. Duritiem item exterioris superasse illam interioris, quæ e substantia ossea spongiosa rariore constabat lamella ossea tenuissima extus munita, illa paulo firmiore existente, hujus superficiem inæqualem, illius vero satis æqualem fuisse, nisi quod varii sulci, qui interna syncipitis facie alias conspiciuntur, huic pariter impressi fuerint. De reliquis, quæ huc pertinent, inferius agetur.

§. V. Aliqua etiam nunc de specifica nostræ Exostoseos differentia præter varias Exostoses (§. III.) recensitas proferri possent, nempe uti a reliquis ossium tumoribus magis vel minus duris, v. g. a tumoribus gummatosis [e], Gan-

XXIX. *de sectione festina cutis, cui subest Exostosis aut Gummi ossis & quidem frontis.* Item Cap. XII. *de Exostosi quapiam deradenda.* GODEFR. BIDLOO. *Exerc. Anat. Chir.* 9. *Decad. II. de Exostosi minimi digiti in dextra manu cujusdam juvenis* XXV. *annorum, sic & in osse femoris viri* LII. *annorum.* PETIT. *l'Art de guerir les maladies des os.* L. 3. &c. chap. 1. *de l'Exostose.* THEOPH. BONETUS. *in Sepulchr. sive Anat. Pract.* L. IV. Sect. IX. *de Lue vener.* Obs. I. §. 10. inter alia de Exostosi sequentia habet verba ex RIOLANI *Enchirid. Anat.* L. 6. cap. 5. *Consid. Med.* p. 426. 445. & ROLFINC. *Diss. Anat.* L. 2. cap. 11. desumpta: *Nonnunquam inter duas cranii tabulas transcolatione quadam humor colligitur, qui tractu temporis vitiatus, acerbissimos cruciatus ὀστεοκόπους inducit, quod sæpius accidit in lue venerea, inveterata & tum Exostosi quadam cranium protuberat.*

[e] Hujus exemplum in osse frontis in virgine quadam reperti & feliciter curati nobis exhibet. NIC. GUIL. BECKERS. *in Eph. Germ. Dec.* 1. *An.* II. *Obs.* XXXIII.

Ganglio, lupia, fungo, nodo [f], tophis [g], ſpina ventoſa [h], & denique a carie & rachitide ſeſe diſtinguat [i]. Sed quoniam in antecedentibus Paragraphis (§. II. & III.) jam mentem meam expoſui, nemo mihi vitio vertet, ſi prolixiorem hujus differentiæ explicationem hic prætermitto, eo minus, quo magis Auctores (§. I. II. III. V.) allegati hunc defectum ſupplent.

§. VI. Nunc ordo poſtulat ſymptomata in noſtra Hiſtoria recenſita eorumque cauſas, quantum poſſibile erit, breviter enarrare. Prius vero quam Exoſtoſeos cauſas in medium proferam, ad illa, quæ gonorrhœam prægreſſa ſunt, explicanda me accingo; ubi & in noſtro ſubjecto Temperamenti Sanguineo-melancholici potatio Scythica ſive Bacchus, tanquam fons plurimorum malorum illis ad triſtia ſanitatis detrimenta viam paravit; v. g. Dolori pectoris & capitis gravativo, ſubitaneis vomendi conatibus, & horrori totius corporis paulo poſt ſupervenienti ab aſſumpto vomitorio & V. S. in pede rurſus profligatis. Quis eſt, qui non videat? hæc ſymptomata profluxiſſe a plenitudine [k] humorum vaſa nimis diſtendentium, cerebri meninges & nervos comprimentium, a colluvie [l] ſeroſa inde deducta & acrimonia bilioſa organa cerebri obſtruentibus & vellicantibus, & ebrietate [m] orgaſmum humorum æſtuoſum & indigeſtiones producente; Dum enim plerumque nimia meri copia ventriculus obruitur, & nimis diſtenditur, a qua diſtenſione paſſiva non ſolum diaphragma in ſuo motu elaſtico præſertim vero renitente impeditur, unde turbatus ſanguinis in pulmonibus circulus & gravativus pectoris dolor oriuntur, ſed etiam reliquæ partes ac & ſuccumbentes v. g. pancreas, hepar & inteſtina comprimuntur, & debita menſtruorum ad chylificationem deſtinata ſecretio retardatur, unde fit, ut aſſumptorum indigeſtio & loco chyli laudabilis pravorum humorum generatio contingat, qui, dum M. S. ſubeunt, inque magna quantitate cerebrum intrant, vaſa &

[f] Jo. Musitanus. T. II. *de Tumor.* cap. XXVII. ubi de Exoſtoſibus in genere tractat.

[g] Jo. Dolæi *Encyclop. Chir. Ration.* L. VI. cap. VII.

[h] Herm. Boerhav. (§. I.) Petit. (§. III.) cit. Jo. Christ. Heine. vid. (§. II.) Chr. Mich. Adolphi. *Diſſert.* (ibid.)

[i] conf. h.)

[k] Galenus *de Loc. affect.* L. III. cap. XIII. *de Cephalæa, Hemicrania & reliquis capitis doloribus aſſerit: Dolores a plenitudine genitos gravitatis ſenſum afferre.*

[l] Piso. *Obs. II. de Morb. capit. intern.*

[m] Galenus. l. c. *Nonnullis*, inquit; *caput aſſidue dolere contingit, ubi vel paulo liberalius vinum biberint, vel meracius; idque eo magis, ſi natura calidum fuerit.* Dan. Sennert. T. II. L. I. Part. III. Sect. I. cap. III. *de dolore capitis* ſequentia habet: *Dolor capitis ab ebrietate, & ſi præſidia medica mereri non videatur, tamen quia ebriis graviſſima ſymptomata accidunt, qualia ſunt delirium, vertigo, tremor, convulſio, apoplexia, & denique mors ipſa, plane negligi non debet. Perficitur autem materiæ evacuatione & a capite repulſione, & intemperiei ſi quæ inducta eſt, alterationè.* (quæ a noſtro ſubjecto fuit neglecta) *Itaque ſi crudum vinum in ventriculo fluctuat, æger mox evomat.* &c.

& meninges ſuo elatere & renitentia privant, ibique ob illarum particularum firmam cohæſionem acrimoniam acido-ſulphuream in ſinu ſuo foventium atque difficulter tubulos ſive vaſcula cerebri permeantium dolorem capitis gravativum, obtuſum & quaſi prementem efficiunt; menſtrua vero modo dicta a longiore mora acrimoniam acquirunt, quæ ſi vel in ſanguinem tandem iterum recipiuntur, circulum humorum turbant, vel ſi etiam uſque ad novam chyli præparationem ibi ſubſiſtunt, nil aliud, quam chylum minus laudabilem generant, qui, quo avidius tale ſubjectum Baccho litat, magis vel minus corruptus in M. S. tranſit. Sic & quando vinum magno hauſtu ingurgitatum etiamnum ventriculo inhæret, plurima corpori mala infert; deſtruit enim liquorem gaſtricum & humores ſalivales affluentes, quibus præter quod ſaburra humorum in ventriculo oriatur, hujus tunicam nerveam afficit, ventriculi debilitatem, indeque ortum dolorem capitis ſympathicum plerumque gravativum, ingenii ſtupiditatem, ſomnolentiam, nervorum debilitatem, alioſque circa vaſa minima in C. H. affectus procreat. Nam qualis conſpirationis ſenſus inter ventriculum & caput ſit, experientia in curatione morborum ex vitio primarum viarum genitorum quotidie docet. Sæpius enim ab ejuſmodi bibonibus audimus, quod plerumque de ventriculi debilitate & capitis dolore querantur. Anno inſequente rixis cum uxore obortis iraque gravi percitus noſter defunctus ſimilem cephalalgiam & repetitum vomitum bilioſum expertus eſt. Quid talis cauſa immaterialis, ſi fortis eſt, & cauſæ prædiſponentes adſunt, in C. H. efficere queat, obſervationes practicæ ſatis teſtantur; tendendo enim, vellicando atque irritando nervos cerebri in motus ſpaſmodicos & inordinatos cogit, vaſa cerebri & duræ matris ſanguinem advehentia & revehentia turgida reddit, quæ, dum in actione æquali nutritia & ſecretoria impediuntur, non ſolum atonia tentantur, ſed & ipſum ſyſtema nervoſum in motum extraordinarium rapitur, quo ſupradicta capitis cum ventriculo harmonia cumque reliquis abdominis viſceribus perturbatur, bilis in ventriculum impellitur, quibus accedit irritatio in cerebri meningibus, fiunt motus ſpaſmodici fibrarum muſculoſo-nervearum œſophagi & ventriculi, motus inteſtinorum periſtaltici inverſio, ſimulque validæ convulſivæ muſculorum abdominalium & diaphragmatis conſtrictiones, tenſiones, &c. inde cephalalgia, inde vomitus bilioſus. Porro præter memorata mala (§. VI.) de fide uxoris ſuſpicione juncta Baccho magis, quam antea, indulgens etiam victu inordinato ſanitatem ſuam peſſumdedit; replevit enim non ſolum ventriculum quantitate aſſumptorum, quibus variæ cruditates in primis viis induci ſolent, tam vigorem & vim menſtruorum cibos digerentium obtundentes, quam etiam flatuum copiam producentes, dum enim cibus juſto copioſior ſufficienter ſubjugari nequit, viſcidus manet, & tandem cachexiæ & obſtructionum cauſa evadit; Sed etiam in qualitate ciborum peccavit, qui, ſi vel ſolidiores & viſcidiores vel alterius incongruæ naturæ ſunt, plane a ventriculo ejuſque calore & menſtruis digeri nequeunt, unde neceſſario crudus, viſcidus & corruptus fit chylus, & talis quoque

producitur ſanguis; Sic etiam victu utendi modus erat inordinatus, novimus quippe, diverſi generis cibum & potum abſque temporis diſcrimine ingurgitatos C. H. valde nocere, præſertim non bene diſpoſito, imo & laudabilem alias victum noxam inferre conſtat, ſi quando juſto tempore non aſſumitur, & prioribus ingeſtis nondum vero digeſtis nec in inteſtina promotis nova ſtatim ſuggeruntur. Eumdem quoque effectum edunt potulenta in primis ſpirituoſa, quæ inconcinno tempore nempe ſomni juſto copioſius ingurgitamus, tunc ventriculi coctio turbatur, excretiones naturales impediuntur; & pro diſpoſitione ſubjecti & dictorum abuſu cachexiæ, paralyſes, hydropes, tremores cephalalgiæ &c. oriuntur; materia enim potulenta in ventriculo reſtitans irritat hujus tunicam nerveam, & ſi copioſa eſt, ſupra dicto modo agit, ſi denique M. S. intravit, ſubſiſtit circa vaſa capitis & genus nervoſum, & quia ab hac etiam particulæ acriores in ſanguine cumulantur, quas ſæpius puſtulæ in facie ſatis demonſtrant, iſtæ fibras nerveas vellicant, vel nimis quoque vaſa diſtendunt, unde tremores, cephalalgiæ variæque ægritudines humorum [n] deducuntur, quæ, prout a reliquis rebus naturalibus, n. n. & p. n. (§. VI. VII.) diverſam indolem acquirunt, citius vel tardius aut magis minuſve graviter ipſa ſolida in corpore infeſtant.

§. VII. Tandem modo deſcriptam vitam Epicuream egiſſe non contentus Bacchum cum Venere infelici connubio maritavit, a qua mercedis loco gonorrhœam & penis exulcerationem cum inflammatione conjunctam reportavit, atque malum a variis abſque diſcrimine adhibitis remediis adauxit; & quamvis Chirurgi ope utcumque priſtinæ ſanitati reſtitutus eſſe videretur, uti Hiſtoria docet, tamen conſuetum alias vigorem in actionibus ſuis haud monſtravit, & de laſſitudine conqueſtus eſt, id quod inde proveniebat, uti ex reliquis Hiſtoriæ ſymptomatibus concludere licet, quod fermenti venerei virus non radicitus [o] evulſum univerſum corpus inquinaverit; Iſtud enim, niſi plenarie ſupprimitur, ſolet hic morbus lentæ ac diuturnæ indolis altas figere radices, & quamquam mitior apparet, intus tamen alit venas, & ita incrementum capit: Quia vero Bacchus etiam hoc malum non parum auxit,

[n] HIERON. MERCURIALIS. *Conſult. Med.* T. III. *aſſerit: Ægritudines, quæ ab humoribus originem ſuſcipiunt, non alio modo magis augeri, quam a cibis & potibus, quibus ipſi non ſolum generationem ſed & incrementum acceptum habent (nam ſanguinis luxuriem gignunt) ut ob hoc magnopere invigilare debeamus, ne vinis generoſis & copioſis utamur neq. cibis craſſioribus & viſcidioribus, v. g. Oſtracea, vetuſtorum animalium carnes, bulbacea, item aromatica, ſalita, acria cuncta effugiamus, tandemque a jugibus indigeſtionibus nos abſtineamus, quas non immerito defluxionum matres appellabat* AVICENNAS.

[o] IDEM T. II. *Conſult. Med.* XXIX. inquit. *Ubi hæc penitus radix gallici tabi evelli non poteſt, qualibet vel minima illius portio alicui parti infixa non modo diu citra apparentem læſionem remanet, verum etiam paulatim & latenter ſuccreſcens, tandem erumpit, ſuaq. ſymptomata non abſq. laborantium moleſtia manifeſte & abundanter oſtendit, &c.*

auxit, materia intus contenta congeſtiones in capite (§. VI.) produxit, & notum eſt, partes genitales & caput magno conſenſu inter ſe gaudere, uti id videmus in ſubjectis caſtra venerea ſtrenue ſecutis, quod tandem ſtupida reddantur, imo & in iis, quibus voluptatem ſuam explendi occaſio denegatur, mania quandoque ſuperveniat; Ab impetuoſa enim tali congeſtione oritur diſtenſio partium in capite, quæ relaxatæ elaſticitatem & renitentiam in fluida a partium inferiorum conſtrictione appulſa amittunt, ſicque humorum propulſioni non ſufficiunt; Unde in dictis partibus tanquam debilioribus inflammationes, ſtagnationes, ſtaſes, variæque corruptiones pro circumſtantiarum varietate generantur; Et cum præterea fermentum venereum quantitatem humorum vitioſorum mediante impuro phlegmate ſuo acri rodente procreet, quo ſerum in ſanguine corrumpitur, fit inde, ut calor humorum naturalis perturbetur, &c. Quid ergo mirum eſt, ſi craſſa meninx hujuſque vaſa antea (§. VI.) male diſpoſita [p] oſtiolis oſſeis lenta propagatione oſſi bregmatis & frontis (§. I. II.) ſanguinem quantitate & qualitate peccantem tranſmiſerint, adeoque ſerum potiſſimum a ſordibus venereis ſubſtantiæ oſſeæ maxime infenſis conſpurcatum ibidem reſtagnaverit, & interne minima vaſcula cum tubulis oſſeis horumque veſiculis (§. VIII.) arroſerit, ſicque tumorem horum oſſium (§. I. II.) progeneraverit, de quo ſub cauſis (§. VIII.) noſtræ Exoſtoſeos cranii dicetur. Antea autem, quam in reliquorum ſymp-

[p] IDEM. *Tr. de Morb. Gallic.* L. III. *ipſe morbus*, &c. GEORG. BAGLIV. cap. II. *de cauſis morb. gallic.* ita ratiocinatur; *Quare hic morbus modo pilos modo nervos, modo alias partes infeſtet*, nempe: *Præter errorem in omnibus rebus n. n. aliqui uno coitu luem veneream contrahunt, alii ex vix innumeris, a varia & diverſa corporum diſpoſitione, unde fit, ut qui magis diſpoſiti ſunt, ad morbum hunc capiendum, citius illum contrahant, qui vero minus, tardius inquinentur, Quæ ratio eſt, quod, quibus aliqua corporis pars laborat, ſemper morbum in ea parte concipiant citius. v. g. ſi quis podagra laborat, & capitur gallico ſcil. morbo, videtur hæc peſtis magis graſſari in pedes: Ita quoq. ſi quis oculos læſos habet, & gallico ſcil. morbo tentatur, magis oculi infeſtantur*, &c & paulo poſt: *Variæ partes a lue gallica inficiuntur, vel quia magis diſpoſitæ ſunt & præparatæ ad eam recipiendam, vel quia minus repellunt: unde quando carnes magis diſpoſitæ & minus reſiſtentes, tum ipſæ potius tentantur; rurſus quando oſſa ſunt magis diſpoſita, in ipſis magis ponitur & habitat Specim.* L. I. *de Fibr. motr. Quod ſi pars ante morbum debilis ſit, laxioriſq. fibrarum toni, fluida ibidem ſuum focum ſive ſedem figent; Eſt enim natura ſic comparata teſte Dureto coac.* 100. *Ut ſi pars aliqua in vitio ſit ante morbum, in ea ſe morbi acuti primario & ſecundario foco obfirmant.* BOERHAV. *Inſtit. Med. Ætiolog. Patholog.* §. 794. *Materia morbi in parte ægra hærens, pro cauſa agnoſcit inertiam partis ſolidæ non ſubigentis, nec expellentis id, quod formari incipit, aut præſentis jam alibi materiæ peccantis in partem, quæ nunc obſidetur, derivationem. Vid. Exc.* DAN. HOFFMANNI. *Diſſert. de Hiſtoria rariſſima ſanationis Cerebri quaſſati cum deperditione ſubſtantiæ notabili. Tubing. Ann.* 1719. p. ii. ubi *in eodem hujus caſus ſubjecto ulcera antiqua ante aliquot annos jam conſolidata, ſaniem quamdam ratione coloris cum illa vulneris capitis convenientem rurſus ſtillare inceperunt*, quibus ab eodem VIRO Celeberrimo alia exempla annexa ſunt.

ſymptomatum explicatione pergam, ad cauſas memoratæ Exoſtoſeos pedem promoveo.

§. VIII. His itaque (§. VI. VII.) breviter examinatis ad cauſas noſtræ Exoſtoſeos Cranii propius accedo, exinde concludens, quod hujus affectus cauſa proxima fuerit humoris nutritii depravati (§. cit.) in vaſculis oſſium (§. I. II.) ſtagnatio, horumque minimorum tubulorum oſſeorum prægreſſo p, n. calore, dolore, inflammatione [q.] &c. veſicularum oleo ſubtili medulloſo refertarum & perioſtei interni lenta (§. I.) eroſio. Hæc ſtagnatio (§. VII. VIII.) etiam a mala duræ matris perioſtei vices in concava cranii parte ſuſtinentis diſpoſitione pullulabat, quippe, quæ membrana eſt quam maxime elaſtica & ſenſibilis, (unde cautelæ in trepanatione & vulneribus cerebri obſervandæ) quæque vaſa inter illam & dictorum oſſium (§. I. II.) ſuperficiem reptantia mediante ſua elaſticitate comprimit, ſicque circulationem humorum ibidem multum promovet; quare elater ejus a cauſis (§. VI. VII.) allegatis deſtructus ſtagnationi, obſtructioni, & ob cauſas mox dicendas Exoſtoſi anſam præbuit. Eroſio autem originem ſuam ab acrimonia acido-corroſiva in §phis modo dictis deſcripta trahebat, quæ rodendo veſiculas & tubulos minimos diſſolvebat, & quaſi emolliebat, humorem vero nutritium craſſum oſſibus infenſum advehendo aliqualem exulcerationem producebat; in quo caſu igitur aliquatenus cum partium molliorum tumoribus ad abſceſſum vel ulcus tendentibus convenit, qualem Arteriæ Aortæ adnatum & ultra ℔ijß. ponderantem Stutgardiæ Ann. 1728. in ſummæ ſyphilidis ſubjecto maſculino poſt nimios motus convulſivos exſtincto obſervavi, quem, ut brevibus dicam, cum ventriculi parte ſuperiore, rene ſiniſtro, ac duobus lumborum vertebris a carie ultra dimidiam partem excavatis nempe prima & ſecunda quoad ſuum tumorem carnoſum & excretum atque propria membrana firma non parum vaſculoſa circumdatum in ſectione inveni, eumque adhuc conſervo; defunctus in vita ſua per 4. annos dictum tumorem circa cartilaginem xiphoideam cum dolore lancinante & motu pulſorio &c. geſtavit. Ex his (§. VII. VIII.) ergo ruptura in oſſium (§. I. II.) meditullio facta ſuccus nutritius extravaſatus eſt, quem *natura nunquam otioſa* [r.] (quam diu calor & motus propulſivus & continuus in ſanguine a motu cordis & reſpiratione ſuſtentati perdurant) *acſi humores affluentes ob eorum ineptitudinem vel etiam partis debilitatem in illorum alimentum vertere non poſſit, in eam, quam poteſt, naturam convertit*; Et quoniam a rupto tubulo æqualis affluxus humorum nutrientium turbatur, a continua vero fibrarum appoſitione ſecundum Clar. BOERHAVIUM alioſque novi tubuli gignuntur, ad quorum proventum acrimonia ſuccorum continuo irritans in noſtro ſubjecto non parum contribuit, illaque luxuries tubulorum tam diu continuat, (teſte excreſcentia

[q] HERM. BOERHAV. *Aphor. de cognoſc. & curand. morb. cap. de Inflammat. & Morb. oſſ.* JOAN. CHRIST. HEYNE. *Tentam. Chir. Med. de præcip. oſſ. morb.*
[r] DAN. SENNERT. T. II. L. I. Part. I. Cap. XXV. de *Fungis Cerebri.*

centia carnosa & fungosa) quam diu a partibus adjacentibus vel remediis topicis nulla resistentia, in humoribus nulla correctio, nullaque vitiatæ partis ablatio fit, hinc (§. I. a VI. ad VIII.) ratio datur, ob quam nostra Exostosis formata, ut & cur interne major, mollior, externe minor & durior fuerit. Causæ hujus Exostoseos proximæ causas magis remotas nunc adjungere par esset, sed quia in antecedentibus (§. VI. VII. VIII.), quantum credo, sufficienter de istis dictum fuit, B. L. eo remitto.

§. IX. Ne autem reliqua in casu commemorata Symptomata intacta relinquam, pauca quædam de illis, quantum instituti ratio (§. III.) permittet, in medium proferam; Nam felix qui potuit cognoscere causas & morborum & symptomatum, scilicet defunctus noster post aliquod temporis spatium cephalalgia gravissima subinde ex improviso correptus fuit, & tertia vice ab incude recedens subito vertiginosus in terram procidit &c. Si jam hæc symptomata in animum revocando (§. I. VI. VII. VIII.) rationis incudi subjiciuntur, exinde forsan haud obscure judicare licet, illa originem suam humoribus [s.] venerea labe infectis & tumori increscenti debuisse; illi acrimonia sua meninges atque nervos non parum vellicabant, hic vero scil. tumor vasa cerebri ejusque substantiam comprimendo, & ictus fortiores malleo in incudem continuati motuque tremulo caput & universum genus nervosum concutientes sanguinem affluentem & refluentem ex parte retardantes ejus circulum turbabant, (quibus etiam ramus ille arteriæ carotidis internæ secundum par nervorum nempe opticum prætergrediens & justo magis dilatatus motu suo pulsatorio aucto in dictos nervos impetum fecit,) unde functiones animales impeditæ fuerunt, & cephalalgia gravissima [t] vertigo tenebricosa [v] rigor [x] frigus [y] ortum traxerunt, Hinc etiam ex (§. VIII. IX.) ratio patet, cur V. S., spiritus excitantes naribus admoti & clys-

[s] Conf. THEOPH. BONET. (§. III.) cit. Obs. C. II. *de dolore capitis ab humore virulento inter cranii laminas contento.*

[t] M. A. SEVERINUS. *Pyrotechn. Chir.* l. 2. p. 1. c. 110. qui ex simili Exostosi derivat Gummata gallica cum cephalæa conjuncta. THEOPH. BONET. l. c.

[v] Celeberr. BOERHAV. *Symptomatol. Pathalog.* §. 863. *de Vertigine.* GALENUS *de Loc. affect.* L. III. cap. XII. *de Vertig. tenebr.* T. VII. cum Archigene contendit: *Ubi ex primaria cerebri affectione obtenebratio dependet, aurium sonos & capitis dolores, gravitatesque præcedere &c.*

[x] GALENUS. T. VII. *de Plenitud.* Cap. VIII. *Pruritum inter eos movent, qui modice vellicant, his mordaciores ulcerosum sensum faciunt; his adhuc vehementius mordentes horrorem; mordacissimi rigorem.* Videmus enim, quod a puncto vel irritato nervo superveniant rigores, contractiones partium, convulsiones, tensiones ingentes, idemque pariter facere solet acrimonia humorum in nervis atque cerebri meningibus, de quibus GEORG. BAGLIV. *de Fibr. motr.* Cap. V. *de Comparat. mot. Cord. & dur. matr. &c.* p. 272. plura exempla profert. Et quid non videmus a festucis osseis post fracturam cranii meninges pungentibus vel prementibus aliisque capitis læsionibus JUNCKER. Consp. Chir. Tab. LIII. *de Vulner. Capit.*

[y] Quod si pars quædam nobilior in C. H. a materia peccante graviter afficiatur, novimus experientia, quod in extremitatibus tanquam partibus ignobilioribus constrictio oriatur, quæ in causa est, ut sanguis

clyster acrior tantummodo remedia palliativa fuerint, item cur mercurialia sola & cura salivatoria hoc syphilidis subjectum non integre [ z ] restituerint, dumque M. S. cum suo sero innatante & humores seroso-salivales obtundendo, dissolvendo & evacuando acrimoniam veneream in istis existentem edulcarunt, cur hic tumor cranii ( §. I. ) in cariem non abierit? Quoniam autem in corpore nostro naturaliter constituto inter fluida ac solida debita proportio, qualitas, quantitas, elater & renisus &c. adesse debent, & jam ( §. VIII. ) dictum fuit, quod a rupto tubulo æqualis affluxus humorum nutrientium turbetur &c. & nisi causa partis affectæ removeatur, progerminatio tubulorum continuet; Hinc præter memorata ( §. VIII. IX. ) nostræ Exostoseos incrementum atque magnitudo, quam figuræ, præsertim Tab. II. demonstrant, facile concipiuntur; Neque mirum, a porrecto poculo & epoto tanquam causa procatarctica ( conf. §. VI. ) tormina in abdomine mox gravia secuta & tumorem ( §. I. ) tanquam violentam causam vasa cerebri & meningum turgida reddentem, medullamque encephali & nervos in functione vitali atque animali fortiter comprimendo [ a ] impedientem convulsionum [ b ] & denique ipsius apoplexiæ [ c ] lethalis causam extitisse. Itaque hæc ( §. VIII. IX. ) nos monent de illis, quæ THEOPHL. BONET. modo citatus in Schol. p. 2. habet. *Singularem solertiam requirit affectus idiopathici ab eo, qui per consensum est, dignotio, ne pars innocens plectatur, rea vero absolvatur; Recte enim monet Rondeletius Galenum secutus, dicens: Non raro accidere, ut dolor, qui a consensu partium initium accepit, in affectum proprium desinat. adeo ut partis primario laborantis affectu sublato posterior per se subsistat quod in cephalalgicis frequentissimum esse ait: Imbecillitas enim tandem & non delebilis διάθεσις parti inducitur, a qua congestionis supervacaneorum occasio &c.* Id pariter in nostro casu contigit, in quo nullus mortalium caput internum immediate & idiopathice affectum esse credebat, hoc tanquam insons pronuntiatum fuit, culpa unice aliis partibus adscripta; Quod enim cephalalgia ( §. IX. ) in nostro subjecto sympathici doloris fidem facere videbatur,

guis minori in copia ipsis affluat, in majori autem parti affectæ immitatur, & motu nervorum tremulo illiusque calore naturali atque arteriarum pulsu materiæ parti infensæ dissolutio & expulsio a natura intendantur, hinc frigus in extremis, hinc calor in internis partibus est.

[ z ] Quod confirmat Cl. JUNCK. *in Consp. Med.* Tab. XCV. *de Lue vener.* sub Caut. & Obs. Pract. §. 28. *Quando malum, inquiens, quibuscumque methodis non cedit, tum justa suspicio subest, quod in illo loco, ubi profundiores ardores sentiuntur, ossis arrosi corruptio hæreat, & chirurgicam manum exspectet, v. g. cranium arrosum dolores capitis continuos per aliquot sæpe annos excitat, & omnem medicationem internam adspernit.* Et hæc pariter huic Celeberr. Viro assentitur. M. A. SEVERINUS. ( §. *III.* ) cit.

[ a ] Celeberr. BOERHAV. *Physiolog.* §. 284. *de Nervis.*

[ b ] IDEM. *Symptomatolog. Pathalog.* §. 864. *de Convulsione.*

[ c ] IDEM. l. c. §. 860. de *Apoplexia.* THEOPH. BONET. sæpius jam cit. L. I. Sect. I. Obs. I. *de Capitis dolore diuturno, in apoplexiam definente, a sanguine vasa duræ meningis, parte præsertim sinistra, distendente, &c.*

batur, id exinde proveniebat, quoniam illius vehementia ſubinde remittente tumoreque externo jam tum temporis præſente nemo exiſtentiam internæ Exoſtoſeos ominabatur. Quod vero cephalalgia nunc remiſerit, nunc vero iterum exacerbata fuerit, æſtui & orgaſmo ſanguinis a cauſis (§. VI. VII. VIII. IX.) internis vel extrinſecus advenientibus inducto, ſive uberiori humorum peccantium & ſucci nutritii modo majori modo minori acredine gaudentis affluxui caputque diverſimode afficienti merito adſcribo. Quibus accedit, quod medicamenta evacuantia, corrigentia & reſolventia variaque topica adhibita illas cauſas (§. VIII. IX.) aliquo modo mitigarint; Tumor (Tab. II.) autem nihilominus continuo incrementum (§. IX.) ſumens ipſam cerebri ſubſtantiam cum ſuis vaſculis & nervis magis magiſque comprimebat, ſicque humorum circulatio, quæ in principio tantum impediebatur, ob notabilem, uti (§. cit.) dictum fuit, magnitudinem tandem omnino ſublata fuit.

§. X. Quibus pro virili expoſitis ad ſigna tumoris (Tab. I. II.) noſtri & quidem diagnoſtica progrediendum nobis eſt, circa quorum enarrationem prolixi non erimus, quia externus tactui atque viſui facile patere potuit, interni vero vix certa indicia dabantur. Ille quippe cutim hujus loci & reliqua integumenta in tumorem ſatis manifeſtum ſuperiore (Tab. I. lit. l.) potiſſimum ſede elevavit, qui partem affectam intuentibus ſatis ſuperque conſpiciendum ſe præbuit, & quia tactu exploratus duritiem & manui ſeu digitis renitentiam præ ſe tulit, facile inde conjicere licuit, illum non tam partem molliorem quam potius duram atque ſolidam occupare. Me quidem non latet tumores in partibus mollioribus hærentes inſignem quandoque duritiem acquirere, ſi quando vel in glandulis ſedem habent, vel ſub cute aut alia membrana firmiore & multum extenſa latent, vel etiam juxta oſſa enati ſunt, vel denique e materia magis compacta ex. gr. carne conſtant; Nunquam tamen tantam duritiem nanciſcuntur, ut digito prementi prorſus non cedant, adeoque hoc nomine ab oſſeis diſtinguuntur; quibus accedit, quod ab ejuſmodi tumoris oſſei attactu etiam rudiore nullus ab ægro dolor percipiatur, aut ſi quis ſentitur, ille non ab oſſe, ſed potius a perioſteo illud cingente oriatur, quod dum aſſero, in partibus etiam mollioribus indolentes reperiri tumores non inficior. Quod jam illum, qui interiorem cranii tabulam obſedit, attinet, ejus diagnoſis valde difficilis erat; Neque enim cephalalgia ægrum ſæpius affligens, neque actiones (§. VI. VII. VIII. IX.) in illo labefactatæ, neque tumor externus manifeſta ejus indicia præbuerunt; Quis enim Medicorum vel peritiſſimorum hariolari potuit, alium internum externo ſimilem e cranio enatum eſſe; hoc unico, quantum intelligo, interior hæc excreſcentia detegi potuiſſet, ſi exterior, uti artis eſt, ablata fuiſſet, quo facto interior in conſpectum facile veniſſet. Cum ergo omnis exoſtoſeos affectus ſit in ſe curatu admodum difficilis [d], noſter (§. I. IV.) præ aliis diffi-

[d] Car. Musitanus. T. II. c. 27. *Exoſtoſis difficulter curatur, inveterata*

difficilior censeri meretur. (I.) ob notabilem ejus extensionem (Tab. I. II.) (2.) propter locum & ossa præstantissimum usum (§. II.) habentia. (3.) ob destructionem non modo externæ sed & internæ illorum tabulæ. (4.) ob insignem cerebri, meningum vasorumque compressionem (§. VII. VIII. IX.). (5.) ob nostræ Exostoseos originem atque moram (§. cit.)

§. XI. Hæc omnia (§. I. ad IX.) dicta in ejusmodi casu admodum difficilem & ancipitem curationem nobis promittunt; Nam *omnis accessio gravis mali ad grave malum facile lethalis* [e] *est*. Nihilominus autem talis ægrotus, quia necessitas caret legibus, & suo jam tempore HIPPOCRATES noster *Aphor. 6. Sect. I.* pronuntiavit: *Ad extremos morbos, extrema remedia exquisite optima esse*, ab omni ope & auxilio non est destituendus; Præterea, si stupendos casus ab Auctoribus hinc inde annotatos perlegimus, non solum vulnera cranii sed & ipsius cerebri cum substantiæ deperditione gravissima, sanata [f] deprehendimus. Videamus ergo præsupposita labis venereæ a convenientibus remediis correctione [g], ut & patientis consensu, quid auxilii hac in re ab Arte Chirurgica sit expectandum. Equidem variæ methodi ab Auctoribus (§. III.) citatis nobis exhibentur, quibus urendo, corrodendo, dissolvendo, exscindendo atque radendo, ope instrumentorum chirurgicorum malo obviam ire tentarunt; Aggrediamur autem ultimam, quæ præ reliquis tutius peragi videtur. I. Priusquam id fiat, corpus debite est præparandum V. S. in pede, medicamento purgante propinato v. g. infuso ex Fol. Senn. f. f. Tamarind. Passul. min. Rhab. ver. Tart. solub. aliove sale digestivo, Cinam. opt. Mann. Calabr. Syr. de Cichor. cum Rhab. vel de Pom. Laxat. Item Temperantibus, Absorbentibus, lenibusque Diapnoicis, v. g. C. C. phil. ppt. Oc. canor, ppt. Nitr. depur. Antim. diaph. Cinnab. Ant. ppt., ne ab irritatione in & post operationem metuenda copiosior sanguinis quantitas ad caput ab operatione debilitatum ruat, nimiumque orgasmum inducat, aut humores vitiati in corpore adhuc hærentes curationem difficiliorem reddant. II. Aliqui aures vel etiam nares lana gossipii aliquatenus obturant, eum in finem, ne strepitum æger inter radendum multum percipiat,

*& indurata nunquam*; de qua vero paulo mitius sentit M. AUREL. SEVERINUS. (§. III.) alleg. *de Generatione tumoris ossei a lue venerea potissimum producti*, ita differens: *Hic si caput supremum occuparit, omnium difficillimus deterrimusque est, propterea, quod principem imbecillam osseam cavam & immedicabilem ferme subiit partem* &c. & conf. (§. III. XI.)

[e] GEORG. BAGLIV. *de Morb. success.* &c.

[f] JOAN. BOHNIUS. *de Renunc. Vuln. Sect. I.* Cap. II. *de Lethal. Vuln. in genere.* EXC. JOAN. SALZMANNI Diss. *de Mira cranii Fract. in homine per XL. annos superstite.* Arg. 1718. DAN. HOFFMANNI *Dissert.* (§. VIII.) annot. JOAN. JUNCK. *Conspect. Chir Med.* Tab. LXXXVI. *de Trepanat.* aliique plures.

[g] GEORG. BAGLIV. l. c. inquit: *Sicuti fluidorum morbi vitio solidorum facti non curantur, nisi solidis ante curatis; Ita contra morbi solidorum a fluidis vitiosis producti sanari nequeunt, nisi sanato prius fluido.*

piat, quod tamen ſupervacaneum eſſe credimus. III. Tunc abraſis prius capillis æger in ſitum operatori commodum collocetur, & Chirurgus ſub directione divina ſinceraque animi religione operationem incipiat, & ſupra tumorem inciſionem cruciatam ad os uſque cum ſcalpello inciſorio, Gall. *Biſtouri* dicto, rite faciat, & quidem ſuſpenſa manu, uti in Trepanatione fieri ſolet, ſcil. a parte integra ad primam inciſionem tranſverſim inſtitutam tendendo, & inferiorem prius faciendo, ne ſanguis e ſuperiore profluens ipſam operationem turbet; Labia a fibroſa adhæſione mediante inſtrumento ſeparatorio modeſte removeat, eaque miniſtro adſtanti tenenda præbeat, probe obſervans, ut una cum cute pericranium uno ictu incidat, atque exacte deradat, ne, ſi portio quædam ejus remaneat, & ab inſtrumento raſpatorio dilaceretur, gravia ſymptomata ſequantur. IV. Quibus probe peractis tumorem ſenſim ſenſimque inſtrumento, ſcalpro raſorio dicto, radat, aut illo ſerrulam rectam æmulante, cujus iconem JOAN. SCULTET. *Armament. Chir.* Tab. VI. fig. I. II. exhibet, tumoris circumferentiam ſerrando exſtirpet, idque eo facilius, quo mollior & ſpongioſior ejus textura interior fuerat. V. Factis hiſce pars affecta, ne aër externus ſubintret, cito ſequentem in modum deliganda eſt: Margines cavitatis oſſeæ in circumferentia cultello lenticulari lævigentur, hiatui ſindones melle roſato & Aq. Regin. Hung. parum vel Spir. vin. cum ol. roſac. humectatæ ope Meningophylacis indantur, lamina etiam plumbea foraminulis prædita & a BELLOSTE depicta modo dictis ſuper applicetur, ſuper impoſitis ſpleniis, & plumaceolis ſiccis in circumferentia Pulv. Rad. Irid. Florent. & Ariſtoloch. rot. Thur. Myrrh. inſperſis, ad oſſa a corruptione ulceroſa præcavenda, ut & alia ſplenia pro implenda cavitate applicentur, tunc labia cutis in ſitum naturalem reponantur, ne criſpatura, Gall. *Bourrelet*, dicta, oriatur; omnibus denique imponatur ſacculus calidus e diſcutientibus, nervinis, aromaticis atque roborantibus paratus, ex. gr. Rad. Imperat. Angelic. Caryophyllat. Irid. Florent. Sigill. Salom. Bryon. Ariſtoloch. rot. Herb. Betonic. Salv. Marrub. Hyſſop. Fl. Lavend. Roſ. rubr. Chamomill. Til. Lil. convall. Sem. Anis. Nigell. Lign. Saſſafr. Junip. &c. qui in vino rubro coquatur, & uti moris eſt, humiditas probe exprimatur. VI. Tandem totus hic apparatus Faſcia, Capitium magnum vel Tegumentum Capitis magnum, Gall. *Grand couvre chef*, dictum, firmetur.

§. XII. Quibus omnibus juxta artis præſcripta peractis (§. XI.) ſequentes cautelæ ſunt obſervandæ (1.) Poſt operationem alvus libera ſervetur Laxantibus, Clyſteribus emollientibus, carminativis & abſtergentibus. (2.) V. S. in altero pede ob ſupra (§. XI. I.) allegatas rationes reiteretur. (3.) Æger remediis internis cephalicis, nervinis & analepticis temperatis refocilletur, v. gr. Aq. fl. Til. Lil. convall. Anhalt. Schroed. Cephalic. & Antepilept. Auguſt. Epilept. Lang. Spirit. C. C. ſuccinat. Conf. Alkerm. incompl. Specif. cephal. Mich. Pulv. epilept. March. Syr. Poeon. Julep. Violar. De his æger mane ſumat; Veſperi autem abſorbens, temperans & humorum

acrimoniam corrigens, e. gr. Lap. cancr. ppt. Nitr. Depur. Antimoniat. Antim. diaph. Rhabarb. ver. Cinnab. Antim. vel nat. ppt. Eleosacch. Succin. (4.) Quia in assumptione ciborum diætam exactam observare debet, nutritionis gratia quandoque in jusculo carnium juniorum animalium Gelat. C. C. & Ebor. sumat. (5.) Ejus potus ordinarius constet ex Speciebus temperantibus, demulcentibus & expectorantibus, v. g. Rad. Gram. Liquirit. Passul. min. Ras. Ebor. C. C. ust. Sem. Anis. &c. Sed absit nimia dulcedo, ne ructus & flatus inde oriantur, atque caput labefactatum per consensum patiatur. (6.) In deligatione vulneris Chirurgus foculum cum carbonibus ardentibus vel lignis juniperi accensis, imo etiam in ipsa operatione, temperiei aëris gratia proxime appositum habeat. Hisce (1. 2. 3. 4. 5.) est continuandum, prout ægri status hæc vel illa magis minusve requirit; iisque potus theiformes calidi ex appropriatis interponi possunt, ut: Herb. Thee. Orient. Veron. Beton. Capill. Vener. Fl. Papav. rhoead. Ras. Lign. Sanct. Rad. Salsæparill. Liquirit. &c. (7.) Instrumentum rasorium sæpius tollendum est, ne per nimiam incalescentiam illud hebescat, ossique detrimento [h] sit, uti & eam ob causam, ut scobes ei adhærentes detergantur, insuper status ossis & profunditas explorentur. (8.) Vulnus contra aërem externum vel nimis frigidum vel nimis calidum muniatur, ille partes constringendo, hic autem rarefaciendo nocet; Uti enim in omnibus capitis vulneribus æger in temperato calore est servandus, ita in hoc casu ob magnam substantiæ osseæ (Tab. I. II.) deperditionem ille eo magis est necessarius. (9.) Sit bene tranquillus laterique vulneris opposito ad cerebri relapsum impediendum, aliaque symptomata inde metuenda incumbat, neque sit in loco nimis obscuro neque nimis sereno, donec pro circumstantiarum varietate mutatio concedi queat. (10.) Quoad cibum & potum acida, salsa, acria spirituosa, pinguia nimis, oleracea &c. (non neglectis aliis rebus n. & n. n.) ut & fermocinatio multa sunt evitanda. (11.) Usus mere spirituosorum in vulnere hic exulet; irritant quippe meninges, sanguinis motus orgasticos & convulsivos, inflammationes cerebri & meningum producunt, inque his sanguinem stagnare faciunt, unde pro subjecti conditione apoplexia, gangræna, sphacelus imo & ipsa mors sequuntur. (12.) Hæc operationis methodus & deligationis apparatus (§. XI.) illud commodi habent, quod in ista Operator magis in potestate sua habeat instrumentum (§. XI. IV.), eoque tam diu agere valeat, quousque pars corrupta a sana sit separata; Ab hoc vero impeditur, quod cerebrum & meninges hactenus a tumore compressa non tam cito resiliant, indeque major sanguinis affluxus variaque symptomata (10.) excitentur. (13.) Denique omnia illa sunt fugienda, quæ vulneri nocent ac corruptionem inducunt, v. g. oleosa obstipantia, humida putrescentia, emplastica, unctuosa obstruentia, acria suppurantia. Sic natura, impedimentis omnibus remotis succo glutinoso membranam vel cartilaginem formando jacturam ossis

[h] J. Junck. (§. XI.) cit. p. 619.

ſis reſarcit. Sub calcem hujus tractationis non diffiteor, plura curationi noſtræ Exoſtoſeos addi potuiſſe, ſed quia talia ſub Titulis de Trepanatione, Vulneribus Capitis, Lethalitate Vulnerum apud Auctores Chirurgico-Medicos ſatis inveniuntur, ideo illa omittere non diu hæſitavi. Et hæc ſunt, quæ ob exiguas ingenii vires de hac obſervatione conſcribere mihi licuit, & quia quandoque bonus dormitat Homerus, ſpes me alit, fore, ut ſi in multis erravero, B. L. hocce meum levidenſe de illa redditum judicium tamen æquo animo excipiat, meoſque conatus, ſi vires defecerunt, non male interpretetur. Ceterum DEO T. O. M., cui, quicquid ſum, debeo, ſit Laus, Honos & Gloria in ſecula ſeculorum. Amen!

## TAB. I.

a a a a. Circumferentia Exoſtoſeos, quæ a tabula cranii externa excrevit.

b b. Ejus longitudo ab oſſe occipitis ad os frontis ſe extendens, quæ pedis Regii Pariſienſis 3. digitorum 5. linearum eſt.

c c. Latitudo 2. digitos 10. lineas æquans.

d. Os frontis.

e e. Os ſincipitis ſiniſtri lateris.

f f. Sutura ſagittalis.

g g. Sutura coronalis.

h h. Pars ſuturæ lambdoideæ.

i i i. Subſtantia oſſeo-ſpongioſa denudata, quia lamella oſſea cum pericranio ſeceſſit.

k k. Sulcus fere ſemilunaris per medium tumoris a parte antica verſus poſticam tranſverſim excurrens.

l. Pars tumoris ſuperior magis protuberans.

## TAB. II.

a a a a. Tumor oſſeo-ſpongioſus e tabula cranii interna enatus.

b b. Longitudo ejus 3. digitorum & 6. linearum.

c c. Latitudo 3. digit. 1 ½ lineæ.

d d d. Sulci, quos arteria duræ matris tumori impreſſit.

e e e e. Subſtantia oſſeo-ſpongioſa denudata, quia lamella illam cooperiens cum dura matre ablata fuit. Craſſities ſeu protuberantia utriuſque tumoris una cum cranio erat 1. digiti 8. linearum.

f f. Sutura ſagittalis.

g g. Sutura lambdoidea.

FINIS.

Tab. III.

Tab. I.

Tab. II.

Disp. chirurg. Tom. I. CASPART DE EXOST. CRANIIRAR. pag. 84.

V.

# DISSERTATIO MEDICA

*EXHIBENS CASUM MEMORABILEM,*

DE

# CARIE CRANII,

*Quam pro Aggregatione obtinenda defendet*

JO. HADRIANUS SLEVOGTIUS,

*M. D. P. P. O.*

Jenæ, 27. Maii 1695.

Q. D. B. V.

# HISTORIA.

*PUer octo annorum, temperamenti laudabilis, & floridi corporis habitus; die 15. Sept. anni 1689, in vicina urbe mane scholam petens, ab immaturo piro, ex alto in dextrum sinciput projecto, caligine oculorum & vertigine correptus concidebat, & aphonus domum deportabatur; ubi sine sensu, usque ad meridiem, jacens, tandem post repetitam evomitionem jentaculi, & multæ bilis, vocalis iterum redditus, manu locum læsum monstrabat, & de insigni dolore capitis conquerebatur: Cumque dextrum sinciput & vertex admodum intumescerent, nec vinum calidum, cum butyro & duplicato linteo adhibitum, sufficere videretur, chirurgo cura ægroti demandabatur. Hic, quod cutem integram cerneret, super imposito emplastro, plagam nullius momenti esse pronunciabat, nec diætæ curiosus, de aeris aut victus decente usurpatione quicquam præcipiebat. Imo cum, mense dimidio elapso, per lanceolam puri, sub cute latenti, exitum pararet, istudque satis coctum effloreret, præsentibus signis læsi cranii, dolore continuo pulsante, stupore, masticandi difficultate, appetitu debili, somno turbulento; spem tamen parentibus facere audebat, intra octiduum curationi finem impositum iri. Sed irrito successu: quippe, utut quotidie tam per modo memoratum, arte factum, vulnus, quam per aliud novum, non longe ab isto, sponte natum foramen, haud parum crudi liquaminis excerneretur, non tamen tumor inde subsidebat, sed ultra principium quinti mensis perdurabat, & tandem ne levissimum contactum quidem, sine magno dolore admittebat. Cujus moræ parentes & agnati impatientes, postquam reliquorum chirurgorum istius loci, perversæ curationis tristem exitum subolentium, majoremque existimationis suæ, quam charitatis erga proximum, rationem habentium, fores frustra pulsassent; die 21. Januarii, anni 90, puerum huc ad avunculum suum, Danielem Mannum, optimæ notæ chirurgum, deducebant, a quo ego in consilium accitus in dextro sincipite, juxta suturam sagittalem, duo ulcuscula lentiformia, & dimidium pollicem a se invicem distantia deprehendebam. Hæc ichore plena erant quem ad singulos cordis pulsus modice subsultantem cernebam; cumque totus ambitus ultra suturam coronalem, atque λαμβδοειδὴν, elatior esset, & tangenti fungosus intusque cavus videretur, ac insuper leniter pressus, cum ejulatu ægri, prædictum ichorem ex ambobus ostiolis emitteret; non sine ratione cranium subtus corruptum esse, & sine mora detegendum statuebam. Præmisso igitur leni evacuante, d. 23. explorata per specillum ulceris profunditate, & demptis forfice capillis, per decussatim factam sectionem ex cute copiosus sanguis niger propullulabat. Vulnere lege artis deligato, & quæ circa diætam, internaque remedia necessaria videbantur, rite dispositis, statim sequente die illud labia, multo quam antea, graciliora habebat; cumque tertium religaretur, portionem tabulæ cranii superioris, a reliquo osse solutæ, in fundo gerebat, & crassitie papirum, foraminibus cribrum, ambituque schema I. exhibebat. Hac sublata, medullosa cal-*

*variæ*

*variæ ſubſtantia nuda, vitrea vero tabula exiguo foramine pertuſa apparebat, ex quo tenuis flaveſcens liquor, juxta rythmum vaſorum duræ matris pulſantium, expellebatur. Manifeſto indicio, intra cranium rem minime ſalvam eſſe, & hoc liquamen, quod maxima ſui parte nutrimentum calvariæ fuerat, ex eroſis tubulis ſtillando, a vicinis humoribus corruptis characterem vitioſum contraxiſſe. Cum itaque curationem ſolertem, atque induſtriam operam depoſci palam fieret, haud contemnenda ſimul proſperi ſucceſſus fiducia naſcebatur, quod nec ulceris conditio adeo mali moris, nec caries oſſis inſuperabilis videretur, nec circa principes functiones aliquid magna formidine dignum extaret; ſenſim redeuntibus quiete, comedendi deſiderio, maſticatione expeditiore, animique alacritate: unica tuſſi excepta, quæ cum inſigni violentia & moleſtiſſimo capitis dolore, tribus ab hinc hebdomadis tenellum corpus concuſſerat.*

*Verum obſtabat inemendabilis ægri, ex puerili ἀῤῥωϛία τῆς διανοίας fluens moroſitas; dum dolorum, in prima ſectione perpeſſorum memor, neque blanditiis, neque minis permoveri poterat, ut a clamore & corporis jactatione, qua chirurgi operationes turbabat, & vix ac ne vix quidem ulceris deterſionem concedebat, deſiſteret. Accedebat inepta agnatorum miſericordia, qui fletu pueri commoti, jam omnem ferri uſum deteſtabantur, nec miſellum ulteriori cruciatui, ita vocabant ſcalpturam cranii, committere volebant: mori ſatius eſſe reputantes, quam tot ferramentorum crudelitatem in vivo corpore experiri.*

*Quibus rebus fiebat, ut poſt imprudentem cunctationem, tandem, penitus abſumta magna cranii parte, medio Februarii, dura mater per foramina A & B, in ſecunda & tertia figura notata, nuda in conſpectum veniret, & curioſo ſpectaculo tres diſtinctos motus, cordis pulſui, reſpirationi & tuſſi reſpondentes exhiberet. Cum autem interim novus tumor in occipite ſuboriretur, & ad educendam putrilaginem ferro uti prohibitum eſſet, d. 16. per potentiale cauterium eum aperire reliquum erat. D. 20. Puer ſolito ſomnolentior fiebat, & ſenſim p. n. calere incipiebat, ceſſabat appetitus, vireſque imminuebantur ſenſibiliter, donec d. 25, 26, 27 & 28. aucta dormiendi libidine, quam crebri pavores comitabantur, febriliter caleret, & aut plane non, aut incongrue ad quæſita reſponderet, dieque 1. Martii fatis cederet.*

*Cranium reſectum quatuor in locis perforatum viſebatur, & in concava ſui parte, ubi late ſerpens caries magnam interioris laminæ partem abſumſerat, mucore albo & inæquali ſuperficie prædito, oblitum erat; quo cum etiam dura mater, quouſque ab arroſo oſſe adhuc tecta erat; ad ſtraminis craſſitiem obducta eſſet, primo intuitu pene eam hoc loco exulceratam dixiſſemus: Sed accuratiori examine adhibito, adhuc integra, omniſque læſionis expers inveniebatur. Magma autem huic & cranio, unde deciderat, adhærens, armato oculo innumerorum vermiculorum, lento humori implicatorum, congeries apparebat; quorum multi, aquæ tepidæ injecti, motitatione ſua vitalitatis indicia edebant. Vaſa meningis ad rupturam atro ſanguine turgebant, & candicans alias cerebri ſubſtantia roſea fere & ſpiſſiſſimis punctis rubris conferta videbatur. Ventriculi flavo ſero diſtenti erant, quod, quamprimum illi cultri apice vulnerabantur, cum impetu proſiliebat.*

Εξήγησις.

## Εξήγησις.

### §. I.

TAlis fuit lamentabilis vitæ terminus pueri optimi, cui longioris vitæ usuram ars promittebat, si & in tempore convenientia remedia adhibita fuissent, & cum eadem postmodum adhiberentur, æger non minus quam adstantes, ad monitum Hippocratis, ἑωυτὸς παρέχειν τα δέοντα ποιέοντες decrevissent.

§. II. Cum vero, ut vulgata fert sententia, *dimidium curationis cognitio morbi absolvat*; & statim in principio, quæ a divino Sene, ejusque sectatore Celso, ad diagnosim rite formandam præcipiuntur, obiter habita fuerint, mirum non est, hinc infidam prognosim, erroneamque curationem originem traxisse.

§. III. Ut igitur, quam promptum fuerit hunc lapsum evitare, ostendamus, ea quæ Artis Parens, in aureo de *capitis vulneribus* libello, Celsusque passim præstantissima proponunt monita, ita præsenti circumstantiarum seriei applicabimus, ut primo omnium *ad subjectum*, deinde *ad locum affectum*, postmodum *ad instrumentum*, ceu causam, *modumque lædendi* & denique ad παρακολουθησίας, in ægro emergentes, animum adhibeamus; quibus ultimo prognoseos ergo, *tempus anni* quoque subjungemus.

§. IV. Subjecto merito hic primas deferimus, quia ejus cognitio adeo necessaria est, ut nisi de eo constet, indagatio *indicationum* frustranea, *indicantium* dignotio impossibilis, *indicatorum* applicatio autem inepta ac prorsus cœca existere soleat.

§. V. Quod nostrum attinet, ne ex ætate puerili & laudata corporis εὐεξία prior chirurgus oscitantiæ suæ excusationem petat; quasi vero, cum Celsus puerorum & adolescentium vulnera citius sanari statuat, præsente insuper in nostro humorum εὐκρασία, a *mediocri* ejusmodi *læsione* per *pirum*, & *sine sanguine* facta, non adeo facilis pravorum symptomatum ἐπιγένεσις metuenda fuerit: Sciendum est, Celsum *lib.* 5. *c.* 26. *p.* 302. eatenus tantum recentiori florentique ætati promptiorem reconvalescentiam spondere, quatenus illa senio, humorum balsamica dulcedine & γλισχρότητι, calidique nativi vigore destituto opponitur. Deinde neminem latere putamus quam pronum in febres ac putredines sanguineorum temperamentum existat, & quam exquisito tenera puerilium nervorum compages, ad leves vellicationes, sensu polleat, dolorumque impatientissima sit. Ut taceam, effato *magni Æsculapii* Lycei hujus, ut Imperatori & Medico, ita & Chirurgo turpe esse, dicere: *Non putaram.*

§. VI. Secunda consideratio locum affectum concernit, caput scilicet, regionem corporis nobilissimam; Et sicut nec minimas hujus læsiones contemni debere, unanimis peritorum vox est; ita quæ ossi sincipitis atque futuris

accidunt, periculosissimas esse, post Hippocratem receptissima in scholis medentium opinio fuit.

§. VII. Os vero aut fissum aut fractum fuisse, ipsamque futuram labem accepisse, tria potissimum argumenta probabile reddunt; Horum primum partium harum constitutio suppeditat: *Universi* enim, inquit Hipp. l. c. text. 3. *capitis os tenuissimum ac debilissimum est, quod circa sinciput, & carnem paucissimam ac tenuissimam hac parte os super seipso habet.* & text. 15. *Proclive est os circa futuram rumpi ac dissolvi, propter ossis hac parte debilitatem & raritatem, & propterea, quod parata sit sutura, ut rumpatur ac dissolvatur: nam reliqua ossa, futuram ambientia, ruptionis exortia manere possunt, eo quod robustiora sunt, quam futura.*

§. VIII. Nec obstat, aut effugiendi ansam imperito homini & excusationem parit, quod juniorum crania, præ adultis, singulari privilegio gaudeant, ut cum mollitie simul tenacia existant, & duriori corpori allisa cedant, θλᾶσιν potius, quam fissuram aut fracturam patientia. A qua etiam ut restituantur, non æque cutis dissectione & vectibus, aut operosis elevatoriis monopedibus, bipedibus tripedibusque opus habeant; sed vel per suctum, ad modum antiquatæ scarificationis, vel per cucurbitam cum multa flamma, aut enchiresim Hildanianam, emplastrum scil. firmiter affixum, subitoque iterum, beneficio funiculi abstractum, ad naturalem statum reducantur: imo quod sponte, & sine artis ope, nonnunquam eleventur. Cujus phænomeni exemplum ante aliquot annos heic loci me vidisse memini: cum enim puer quinquennis ex fenestra in aquæ ductus marginem præcipitatus, insignem foveam in sinistro sincipite reportaret, & ἀναίσθητος, morientique similis, ῥογχάζων jaceret, locus depressus autem cum sacculis cephalicis & vino calido foveretur, paulo post, me atque chirurgo præsente, vi excitatæ sternutationis, sensim resurgente cranio, vocem & sensum recuperabat.

§. IX. Verum sicut hæc omnia verissima sunt, ita nihilominus juniorum calvarias etiam frangi posse, certissimum est; quin & hoc insuper vitii habent, ut non solum, ceu reliqua ossa fracta, *nisi succursum est*, verbis Celsi, lib. 8. c. 4. *gravibus inflammationibus afficiantur, difficiliusque postmodum tractentur*: sed etiam non fracta, dum secundum text. 25. l. c. Hipp. τῶν παιδίων τὰ ὀστέα ἐναιμότερά ἐστι, *puerorum ossa magis sanguinolenta sunt*, ut ex nostri, post mortem & aliquot annorum decursum, adhuc rubella calvaria cognoscere datur; ideo καὶ μᾶλλον καὶ θᾶσσον ὑποπυίσκεται, *magis ac citius supparantur.* Sicubi scilicet, contra apertam Hippocratis doctrinam, text. 22. *ulcus carnis ambientis non statim repurgatum, & ad siccitatis statum reductum fuerit; sed diu*, (hoc loco ultra quadrimestre) *humidum & putrescens relictum manserit.*

§. X. Alterum cranii læsionem suspicandi argumentum instrumentum lædens offert, de quo Hippocrates text. 14. *Profecto ex telis maxime os rumpunt & manifestis & obscuris fissuris, & intro cedere faciunt, quæ sunt rotunda, orbicularia & obtusa & gravia & dura.* Tale autem pirum immaturum fuisse,

fuisse, vero simillimum est; imprimis cum lædendi modus accesserit singularis, per hunc enim, quod ἀπὸ ὑψυλοτάτου, *ex altissimo* descendit, & ἐξ ἰθὺ, *è directo* caput petiit, vi textus 13, μάλιστά γε ταῦτα πάσχειν τὸ ὀστέον κίνδυνός ἐστι, *maxime sane, ut hoc os patiatur, periculum est.*

§. XI. Restat tertium argumentum, ex iis, quæ ictum secuta sunt, symptomatis depromendum. De his post Hipp. Celsus lib. 8. c. 4. p. 545, ita loquitur: *Ubi calvaria percussa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares aureſve sanguis ei effluxerit; num ceciderit; num sine sensu, quasi dormiens jacuerit? Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt.*

§. XII. Licet autem assertio hæc, de eo tantum, quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον fieri solet, accipi debeat; quatenus læsioni cranii ordinarie quidem hæc & similia phænomena, dolor v. g. masticatio impedita &c. superveniunt; nec viceversa tamen ex præsentia eorum omnium indubitanter de rupto osse pronunciare licet: in nostro certe ipse effectus, enormis ista caries, sinciput ab initio statim, una cum sutura, fissum fuisse, testari potest. Inde enim evenit, ut portio, quæ d. 24. Januarii de superiori tabula recessit, mox in primo ictu, per conquassationem ad insequentem separationem disposita, intus vero integra pene sutura successivæ consumptioni subjecta fuerit, quia in hac, ceu magis succulenta, prima sanguinis stagnatio atque corruptio sedem habuit.

§. XIII. Hæc de diagnosi: quæ cum fundamento caruerit, necessario infidam prognosim post se trahere debuit; cum tamen eam rationi & effectui conformem reddere facile fuisset, modo, quæ Hipp. clarissimis verbis de tenera & putredini obnoxia textura craniorum puerilium docet, chirurgus cum læsionis organo, & inde ortis incommodis comparasset; sique porro ex text. 3. l. c. *Contusiones & ruptiones sincipitis, ob cerebrum plurimum ibi subsistens, lethaliores, ac ad curandum & effugiendam mortem difficiliores existere didicisset*: Si præter hæc ad tempus autumnale ac hybernale respexisset, quod *capitibus læsis* Celsus l. 5. c. 26. aliique veterum *perniciosissimum judicarunt*; si acerbissimis, vereque ulcerosis miselli doloribus indoluisset: Si denique ad ea, quæ oculis cernere, manibusque palpare poterat, animum advertisset: tunc ex stabili loci affecti tumore, continuum affluxum & ῥύσιν p. n. sanguinis; ex nova, eaque spontanea cutis perforatione, magnam humorum acrimoniam, ex putredine conceptam; ex vulneris tamdiu frustra tentata consolidatione, & crudi liquaminis excretione, ossis corruptionem, semper & usque ulceris sanationem impedientem; ex motu denique ichoris, pulsui arteriarum concordante, cranii profundissimam læsionem conclusisset; nec proinde restitutionem ægri, ut in principio garriverat, *octo dierum opus* statuisset; sed potius cum Celso, l. 8. c. 4. p. 545. *Hæc non nisi osse fracto evenire, & ubi inciderunt, necessariam quidem, sed difficilem esse curationem pronunciasset.*

§. XIV. Tantum etiam de prognosi: cui jam curationem quoque appo-

nere par esset, si, præter emplastri atque lanceolæ nomen, quicquam de ea nobis innotuisset. Ut tamen, ubi istam ratio defecerit, pateat, breviter, qua methodo a nobis ulcus tractatum sit, exponere, ordineque, non quidem ἐπιστημονικῶς, sed tumultuario, prout scilicet historiæ decursus sese obtulit, recensere animus est.

§. XV. Antequam aliquid tentaretur, opportunum videbatur, leni laxante primas vias expurgare. Quod etsi Overkampio aliisque neotericis superfluum videatur, sua tamen utilitate non caret. Deinde cum capillorum remotio tam ad dignotionem loci affecti accuratiorem, quam ad aptiorem remediorum applicationem, perquam necessaria esset, nec tamen acerbissimus dolor in rubella, & ab expansione fibrarum fungosa reddita cute, novaculæ rasuram admitteret, forfice eos chirurgus resecare cogebatur.

§. XVI. Circa explorationem profunditatis dubium nascebatur; cum enim styli beneficio, quousque cultri acies adigenda esset metiremur, & ille in duro corpore subsisteret, nec statim ad duram matrem descenderet, cranium integrum, nec, uti ex adeo manifesto ichoris subsultu conjiciebamus, perforatum esse mirabamur. Cumque sequente die post exemptam portionem tabulæ superioris, passim foraminulis scatentem, quæ stylum heri exceperat, conjecturam nostram omnino fundamentum habuisse cerneremus, experientia convicti, specillum non omnis erroris expers esse concludebamus; quamvis Hippocrates atque Celsus hoc, ceu fide dignum testem laudent, qui an vulnus aut caries in osse adhuc sedem habeat, an vero istud penetrarit, perspicue doceat.

§. XVII. Detecta itaque plagæ altitudine, restabat, ut cutis ad cranium usque, & quidem decussatim dissecaretur; cum & ulceris cavitas latensque caries sectionem indicarent, locusque affectus eam permitteret, & Hippocrates Celsusque postularent. Sectionem indicari patebat ex textu 18, l. c. *Ulcera, quæ non habent sufficientem magnitudinem longitudinis ac latitudinis, ad ossis inspectionem, an quid mali passum sit a telo, & quale id passum sit, & quantum caro contusa est, & quantum os læsionem habet: & rursus, an illæsum sit os a telo; & nihil mali passum sit: & ad curationem, quali nam opus habeat ulcus, & caro, & ossis affectio, τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἑλκέων τομῆς δεῖται, talia sane ulcera sectione opus habent.* Permitti autem sectionem ex text. 19. discebamus, *quia omnes partes eam sustinent, præter tempora & venam, quæ super tempora fertur, nec*, Celso teste, *magno negotio cutis sanescit, etiamsi frustra secetur.* In specie vero a Celso sectio, *quæ ex duabus transversis lineis litteræ X figuram accipit*, commendabatur, *ut deinde a singulis præcedentibus angulis cutis subsecetur.*

§. XVIII. Cutis aperta uncialis crassitudinis deprehendebatur, & faciem uteri dissecti, cum ultimis mensibus instar spongiæ sanguine turgere solet, repræsentabat. Sanguinem per moram inspissatum & hinc nigriorem apparentem, utut affatim effluereret, reprimere inconsultum ducentes, nec monitum Celsi, qui p. 548. *sanguinem, inter secandum effluentem, spongia, subinde in*

*aceto*

*aceto* (huic regioni minus conveniente) *tincta*, *cohibendum objectisque linamentis occupandum* esse scribit, observare; nec reliqua ἔναιμα, ἰσχαιμα και ςυπτικὰ remedia in usum vocare poteramus: Cum enim partem sectam, alias minus succulentam esse, & per se non admodum sanguine abundare, sed per frequentem vociferationem sursum protrusum, nunc p. n. tam copiosum possidere crederemus: idcirco leniter labia vulneris demulcendo, exitum ejus promovendum potius, quam retardandum, putabamus.

§. XIX. Vulneri balsamum chirurgi ex myrrha, mumia, aloe, sangu. draconis, mastiche, sarcocolla, melle rosaceo atque rutaceo concinnatum, carptoque linteo exceptum imponebatur, cum labia prius ooo chamom. rosac. mastichin. anethin. quibus modicum ooo philosophor. & ceræ rectif. admixtum erat, uncta essent; mox emplastrum sticticum Croll. & de betonica applicabatur, quod aliud latius, defensivum dictum, tegebat; tandem saccus latus, fol. beton. rut. scord. rosmar. salv. veron. origan. flor. rosar. melilot. stœchad. arab. & baccis lauri, gr. m. concis. & contus. impletus, vinoque ad tolerantiam ægri calido, madens, reliqua omnia amplectebatur, quem fascia per multiplicem circumductionem in sede sua confirmabat.

§. XX. Studio integrum apparatum recensere volui, ut pateat, solum emplastrum, cujuscumque bonitatis etiam illud primi chirurgi fuerit, minime sufficiens fuisse. Accuratius enim caput custodiendum est, talibusque munimentis utendum, quæ non aëris accessum solum arcent, sed virtute insuper sua nervina resolvente, & balsamica roborant, ςάσιν humorum præcavent ac tollunt, corruptionique resistunt. Hujus indolis sunt dicta remedia, inter quæ sacculus non infimum locum meretur: talibusque hodie a nostris chirurgis in dies gravissimæ capitis læsiones corriguntur, quæ olim sectionibus, ustionibus, scalpturis, terebrationibus, aliisque horribilibus operationibus opus habebant.

§. XXI. Pro interno usu Ess. traumat. ill. Wed. c. Ess. lign. aloes, anod. El. propr. s. acido mixta, pulvis item oc. oo cinnab. Hung, corall. medull. saxor. o d. rad. pœon. sperm. cet. offerebantur, & de liquido non minus, quam sicco medicamento bis quotidie guttæ 15. scrupulusque dimidius, vel grana 12. porrigebantur. Ne vero uniformia medicamenta fastidium parerent, modo pulveres cum aquis distillatis extractis atque sirubis appropriatis in potiunculas, usus tempore concutiendas, mutabantur, modo decocta rad. rubiæ, chinæ, liquirit. symphyt. herb. scab. mille fol. agrimon. plantag. parabantur. Omnia eo fine, ut si sanguini aliquid peregrini inesset, istud emendaretur, tussique, ab irritatione duræ matris magis, quam pectoris vitio ortæ, παρέργως prospiceretur.

§. XXII. Et quia, maximo errore, diætæ moderamen in principio plane neglectum erat, in cibo & potu acida, salsa, acria, spirituosa, vetabantur, ne scilicet vitium, chylo impressum, in sanguinem redundans, ulceris gravitatem exasperaret. Imprimis autem aër tepidus ac quies commendabantur, ne scil. a frigore ςάσις, ab æstu fornacis vero nimio fusio humoribus indu-

ceretur, nec etiam a motu corporis, risu, sermone claro, æger tussim & capitis concussionem dolentissimam pati cogeretur.

§. XXIII. Quæ si cuncta rite observata fuissent, nec ægro sæpissime, brumali tempore, per plateam ambulare, & cibis insuper omnis generis uti, vinumque sorbillare, blanda agnatorum indulgentia permisisset; sed contra ea hi ipsi, sub deligatione ulceris flente puero, non tam collacrymassent, quam fortiter potius prehenso refractarii capite, operanti chirurgo adstitissent; tunc non solum, cum lamella cribriformis separaretur, ampliato magis ulcere, cariosa cranii regio scalpro ad sani ossis apparitionem exscindi, complanari, & hoc modo ad suscipiendam novam carnem aptari, ulcusque feliciter atque perfecte percurari potuisset: sed postmodum etiam, cum jam per protractum reluctandi κακόηθες ingens intra cranium exesum porta pateret, haud omnino nulla ægrum conservandi spes affulgebat; quia & signa quædam, inter salutaria a Celso relata, *meningis* scil. *bonus color*, *hujusque & cervicis ac maxillæ liber motus*, *febris quoque absentia & mentis integritas* supererant; & nunc τὸν μενιγγοφύλακα commode immittere ac sectione omne cariosum ad sani ossis margines auferre licebat.

§. XXIX. Quæ omnia eo felicius in nostro processissent, quo meliori corporis temperamento cæteroquin is pollebat. Hujus enim ope fiebat, ut simul ac die 23. per sectionem cutis a superfluis humoribus liberaretur, ulcusque dilataretur, & duræ matri ab imminente ichore per vitreæ tabulæ foramen sese purgandi commodior via concederetur, statim dolor remitteret, & a doloris cessatione quies, a quiete autem ventriculo vigor redderetur.

§. XXV. Verum enim vero cum nec sanioribus consiliis aures adstantium paterent, nec a tristi prognostico eorum animi terrerentur, aucta tandem in cerebro mole sangunis ac seri, quam nec vesicatoria extrahere, nec alia interna externaque remedia resolvere, atque divertere poterant, lethalis torpor spiritibus imprimebatur; donec per lethargicum soporem miser somni fratri traderetur, ubi

*ipsi, cum semel occidit brevis lux,*
*nox est perpetuo una dormienda.*

§. XXVI. Commoda hic de causis lethargi & cur æger non motibus convulsivis potius, ut alii similiter affecti solent, perierit; cur item terminum vitæ, ab Hippocrate hoc modo vulneratis definitum, longe superarit, differendi occasio esset: cui etiam ætiologia cariei verminosæ, pluraque alia addi possent: sed quia ista persequi, præsens instituti, merum historiæ examen concernentis, negotiorumque ratio prohibet, reliqua alio tempore exponenda silentio præterire placet.

SOLI DEO GLORIA!

# T A B.

Fig. 1. eſt lamina oſſea tenuis & perforata, portio ſcil. tabulæ exterioris cranii, a reliquo oſſe per cariem ſeparata.

Fig. 2. exhibet exteriorem faciem cranii,

A. Eſt primum foramen majus, a quo præcedens lamina ablata fuit, quod cum B poſtmodum in unum foramen coaleſcebat.

B. alterum foramen majus.

CC. duo alia foramina minora,

DDD. ſutura ſagittalis prorſus corrupta.

E. ſutura coronalis.

F. ſutura lambdoides.

G. oſſiculum Wormianum.

aaa. loca carioſa in extima ſuperficie.

bbbbbb. oſtiola vaſorum ſanguiferorum, calvariam penetrantium.

Fig. 3. repreſentat cranii faciem interiorem.

A, B, CC. ſunt quatuor foramina.

DD, E, F. ſutura ſagittalis, coronalis & lambdoides.

G. oſſiculi Wormiani facies interior.

aaaaaa. peripheria cariei, quæ os partim penitus conſumpſerat, partim admodum aſperum & tenue reddiderat.

bbbbbb. veſtigia ramificationum vaſorum duræ matris, oſſi impreſſa.

F I N I S.

Fig. II.

Fig. I.



Fig. III.

J. Had. SLEVOGTIUS DE CARIE CRANII Disput. Chirurg. Tom. I. pag. 96.



VI.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

*QUAM PRÆSIDE*

M. GASP. COCHON DUPUY,

*MEDIC. DOCT.*

*Tuebitur*

BARTHOLOMÆUS MURRY,

Laonensis Hybernus, Baccalaureus.

*SUB HAC VERBORUM SERIE:*

*An post gravem, ab Ictu vel Casu Capitis percussionem, non juvante etiam iterata terebratione, dura Meninx incisione aperienda?*

Lutetiæ Parisiorum 16. Februarii 1736.

I.

CErebrum, corporis pars nobiliſſima & delicatiſſima, ſingulis, tum animalibus, tum vitalibus, tum naturalibus functionibus neceſſaria, oſſea pyxide cranio nempe, extus tegumentis plurimis, intus vero dura matre firmato & veſtito) tamquam galea, non minori ſoliditate, quam admirabili artificio conſtructa, includitur. Hæc prudentis Naturæ præſidia, quibus cerebrum ab injuriis exterioribus defenderet, functionumque ejus libertatem firmaret, illud ab effectu percuſſionis violentæ cædentis contundentiſve non omnino vindicant. Inſtrumenta cædentia manifeſtum oculis & ſpecillo produnt effectum, contundentia vero non ſemper vulnus aperiunt; verum ſive partem ſolvant, ſive non, inde ut plurimum obſcuriora ſequuntur ſigna, quæ ſola prudenti inquiſitione & ratiocinio patefient. Capitis partem caſu vel ictu contuſam; contundentis inſtrumenti figuram & pondus; ferientis vim; aut corporis, in quod violenter caput impegit, figuram & duritiem; quomodo ceciderit æger, ipſiuſque pondus; loci excelſitatem; ac demum ſymptomata eorumque momentum & numerum colligere debet Medicus & meditari. His attente perpenſis, de morbi magnitudine & periculo integre judicans, operationis ſpeciem & modum, pro rei gravitate, imperabit. Itaque ſi poſt gravem, ab ictu vel caſu, capitis percuſſionem, homo concidat exanimis; vomituriat; ſanguinem auribus, naribuſve excernat; delirio, motu convulſivo, lethargo aut apoplexia corripiatur; tunc periculoſam calvariæ, meningum, aut cerebri ipſius læſionem judica. Tegumentis autem adeſt vulnus aut contuſio, aut neque vulnus adeſt neque contuſio. Ecce vulnus apparet, ſpecillo calvariam explora, num nudata ſit. Attamen ſive vulnere nudatum os comperias, ſive ſimplex adſit contuſio, utrobique morbi ſedem habes. At ſi neque vulnus, neque ſit contuſio; tum aliquando ſibi redditus æger, partem caſu vel ictu affectam ipſe declarat, vel oculati teſtes indicant. Si denique dubiæ ſtent res; eraditur caput, & ceſſata novaculæ rubedine, lividitas aut inflammatio levis ictus ſedem denotat. Re tandem mature perpenſa, inciditur cutis, in loco vulnere aut contuſione aut prudenti inquiſitione notato. Inciſione facta, ſi adſit fractura, pro circumſtantiis proſpicitur. Una aliquando oſſis diffracti portio detracta, terebrationis loco eſt. Sæpius tamen ad terebrationem etiam iteratam devenire neceſſum eſt: hac via licebit oſſis fragmenta ſubjectis infeſta meningibus vecte elevare, volſellis eximere, cruorem effuſum exhaurire vel ſaniem. Quod ſi nudatum os integrum & ſincerum appareat, ni remittant ſymptomata, effuſus intra cranium ſtagnat humor, ad quem terebratione ſola pertinges. At vero dura matre recuſa, num pro certo effuſum humorem invenies? Minime: atque etiamſi adfuerit, quis altius aliud non latere affirmare audeat? Si igitur, operatione peracta, ſtent adhuc ſymptomata; ſive intra cranium reperiatur effuſus cruor, ſanieſve, ſive non; duram inter & piam matrem, morbi ſedem

judicat perſpicax Medicus. Non ſola ſymptomatum exiſtentia res ita conſtituitur; ictus gravitas & altitudo, moduſque caſus; duræ matris intumeſcentia, inflammatio, ipſiuſque a cerebro impreſſi motus ceſſatio, firmant conjecturam; [i] quin imo, licet gravia ſymptomata a violento ictu caſuve ab alto oborto ceſſent, attendendum adhuc ad cerebrum violento lapſu commotum, aut forte cranii ipſius duritie offenſum; tunc enim vaſorum ruptionis, cerebrive ipſius ſub dura meninge ſuppurationis metum ad plures hebdomadas ſubeſſe merito affirmaveris.

II.

Ut vehementis capitis percuſſionis effectus nitidius perſpiciantur, ſtructuram, connexionem, mutuumque partium capitis conſenſum quæ gravi ictu vel caſu ab alto lædi poſſunt, nunc rimemur oculis. Cutis extus capillata, craſſiorique inſtructa Epidermide, cranium veſtit, intus vero corpore celluloſo tenui & denſato, cui calantica ſubjicitur aponeurotica, in quam tendinoſa muſculorum frontalium & occipitalium feruntur ſtamina, cuti intime unita. Huic ſubjacet membrana exquiſitiſſimo ſenſu donata, Pericranium nempe, cranium immediate veſtiens plurimis compoſitum oſſibus, ſuturis non modo firmiter conjunctis, verum etiam multiplici & reciproca denticulorum ſerie commiſſis: Cranium duabus conſtat tabulis, quarum una exterior & ſpiſſior, interior altera & tenuior; has inter media eſt diploe, oſſea ſcilicet ſubſtantia celluloſa, delicatiſſima, ſucco medullari ſanguinolento referta. Dura meninx internam cranii tabulam induit, cui, ut pericranium exteriori, adhæreſcit. Ex his utraque non ſolum inter ſe ſanguineis vaſibus, nerveis, tendineiſque ſtaminibus per ſuturas aut foraminula, quibus tota conſpergitur cranii ſuperficies, trajectis; verum iiſdem propaginibus cum muſculis frontalibus, occipitalibus, calantica aponeurotica & cute itidem communicant. Igitur dura mater duplex, fortis & tendinoſa, prima cerebri membrana olim credita, cranii tabulæ internæ ubique connexa [k], ad eam pertinet. Cranii ſciſſuræ interiores a prima ætate impreſſæ, in divellendo reſiſtentia, vaſorum a divulſione ruptorum orificia ſanguineis diſtincta maculis, membranam cranio adhæreſcentem demonſtrant; cujus interior lamella lævis & lubrica, piæ matri abſque ullo nexu inſtrata, dum ab exteriori ſejungitur, ſepimenta efformat, quibus cerebri & cerebelli hæmiſphæria inter ſe, ut cerebrum a cerebello ſeparatur. Lamellæ hujus interioris duræ meningis plicaturæ, antiquorum recentiorumque ſinus effingunt, dum exterior firmiora ad cranium efformat vincula. Cutis itaque, calantica aponeurotica, pericranium, cranium, & ipſa dura mater, plurimæ ſunt lamellæ, tum membranoſæ, tum oſſeæ, quibus conflatur pyxis cerebrum pia matre obvolutum complectens. Tota cerebri moles nullum alium in pyxide nexum

[i] Jacobus Berengarius, *paſſim.*
[k] Jacobus Berengarius, *Carpenſis* Fabr. Hildanus *Cent.* 1. *obſerv.* 7.

xum habet, præter eum quem accipit a vasibus sanguinis circulationi in hac parte dicatis, nervis e cranio prodeuntibus & medulla oblongata: ita ut, sub duræ matris lamella interiori libera, sepimentorum ejus ope fulciatur tantummodo, non constringatur. Pia autem mater, sola cerebri membrana propria, tenuissima, duplici tamen lamella constat, ut dura meninx; quarum exterior arachnoidea dicta, extus lævis & lubrica admodum, subtus delicatissime cellulosa, interiori lamellæ laxe cohæret; adeoque quod hæc intus, illa extus habet. Utriusque speciei vasa sanguinea sustinet lamella interior, quæ non substantiæ corticalis anfractibus modo inseruntur, verum etiam glomerum glandularumve substantiam penetrant, quas ipsa concludit, conjungit, firmat, quibusque mollem & congruam conciliat stabilitatem. Contundentis instrumenti in partem tanto munitam apparatu, tamque delicatam & fragilem, nunc perpendamus effectum. Contundentis instrumenti caput ferientis ictus, cerebri pyxidis integumentorumque ejus apparatum omnem celeriter pellit adversus substantiam cerebri mollem & sub dura matre liberam, qua vi cerebri moles retropulsa ictum fugere videatur. Hujusmodi percussio, pro instrumenti specie, tegumentis contusionem, cum, aut sine ruptione infligere valet, & tamen cranium ita concutere, ut duram meningem ab eo divellat. Tunc inter eam & cranii tabulam internam, etiam absque tegumentorum solutione, aut nulla cranio apparente rima, fit sanguinis sub divulsione effusio. Fieri itidem potest, quod ictus vehementis ad perpendiculum tanta sit percussio, ut mollioris cineritiæ cerebri substantiæ vasa delicatissima, interna piæ matris lamella fulta, singulisque ejus partibus in infinitum distributa, & ipsa etiam vasa majora concussione rumpantur. Contra autem casus ab alto, cerebri portionem capitis impulsui respondentem ad cranium solidum & durum abripit, tuncque cutis, calantica aponeurotica, pericranium, cranium & dura mater, corporis duri affectum extra recipiunt, cerebri vero massa, proprio impulsu violenter impingit in duram cranii substantiam, qua contunditur: tunc evenit sæpissime, ut, illæsis exterioribus cerebri munimentis, ipsa cerebri substantia concussa, contusa, obscura & lenta suppuratione detrimentum omne patiatur.

## III.

In tanto, tam intimo, tam præcipiti rerum discrimine, quodnam adhibendum auxilii genus? Duram meningem trepanum patefaciet, liquoribus inter eam & cranium effusis, liberum præbebit exitum. Hæc est omnis simplicis terebrationis vis & ratio. Num igitur nullum aliud superest auxilium, si non remittant symptomata? Num in diæta, venæ sectione, fomentationibus aromaticis, ac Ruyschio ultra modum laudatis, melle rosaceo spiritu vini diluto, aut balsamo Fioraventi albo, duræ meningi sindone applicito, hærebimus? Ab experientia disce materias puriformes duram inter & piam matrem effusas, muci naturam plerumque præ se ferre, tenaciores quam ut

poſſint duram matrem, membranam duplicem tranſſudatione trajicere. Num ejus ſunt indolis quæ venas ſanguineas cerebri denuo ſubire poſſint? Si adſit extra venas effuſus ſanguis, num in fluentem redire poteſt? An expectabimus dum una aut altera ex his effuſionibus cerebrum duramque meningem putredine inficiat. Miſerabile perfugium! cui epileptici inſulſus, paralyſis oppoſitam ſemper ſuffuſionis partem occupans, apoplexia, partis denique putredo nulla arte ſarcienda, ſuperveniunt. Quid, duram meningem inciſione attingemus? Nec dubites. Hac ſola via funeſtos vitabis eventus. Perſeverant & augentur ſymptomata? Violenta capitis percuſſio argumentum præbet, duram matrem inter & calvariam mali ſedem non exiſtere; verum profundius latere deſignat. Scalpelli igitur cuſpide, ſufficienti inciſione, qua tamen non lædatur cerebri ſubſtantia, duram meningem audacter attingere ne dubites; cavendo ne in membranæ ſuperficie repentes arteriarum ramuli aperiantur. Neque aſtantium metu, lanceolam linamento involvas, inepta & crudeli forſan providentia; cuſpis enim ſubtilis & acuta, quæ imminenti periculo neceſſaria & ſalutaris, aperte adhibenda eſt, ut eam poſſit Chirurgus tuto & dextre regere inter operandum. Revera hæc lanceolæ linamento armatæ cautio, a ſingulis commendata Chirurgis, duræ meningis aperiendæ ſi adfuerit duram inter & piam matrem effuſio, neceſſitatem illis cognitam fuiſſe demonſtrat; hanc vero operationem ita periculoſam & infrequentem habuerunt, ut eam ſemper occulte timidoque exercuerint animo. Num igitur omnia tuta ſunt in Chirurgia? Curata ſæpe & feliciter duræ meningis vulnera, nonne ejus incidendæ, quoties neceſſe fuerit, opportunitatem arguunt & firmant? Certe hanc operationem, quantumvis periculoſam, dum unicum eſt in deſperatis perfugium, pertimeſcere, renuere, protrahere longius, neque humanitati congruit neque rationi. Raram eſſe incidendæ duræ meningis neceſſitatem ſupponitur gratis. Aliter exiſtimaverit quicumque diligenti & accurata ſectione cadaverum, improviſorum & lethalium ſymptomatum cauſas, poſt ictum vehementem caſumve ab alto, indagaverit. Fatendum tamen primis diebus incerta eſſe & dubia contuſionis effuſioniſve ſub dura matre ſigna, quæ tamen diligenti inquiſitione & meditatione aſſidua eluceſcant. De iis audiamus Berengarium Carpenſem. *Dico*, inquit, *quod in iſtis ſignis diſtinguendis eſt magna difficultas, & non cognoſcantur niſi a valde experto, qui conjectura aliqua hoc cognoſcet; quia hæc ſigna non poſſunt integre ſcribi, ſed ſolum a bono ingenio diligenter ruminante, dividente & componente & longo tempore in ſimilibus experto poſſunt comprehendi & judicari; quia multa ſunt in Medico quæ non poſſunt ſcribi, ut continue videmus.*

## IV.

Duram meningem utili inciſione attingere ne timeas, cum membranæ iſtius vulnera licet periculoſa, non ſemper & neceſſario ſint lethifera [1]. Capi-

[1] Schenckius *obſ. pag.* 19. 23. 24. 25. 26. 28.

Capitis vulnerum cum duræ meningis læſione feliciter ſanatorum plurimæ extant in libris obſervationes Chirurgicæ, nec deſunt effuſi ſtagnantiſve inter eam & piam matrem liquoris inciſione commode ejecti, exempla [ m ]. Quod ſi ſanabilia ſint ejuſmodi vulnera; cur ea arte infligere dubitabimus, ubi neceſſitas poſtulat! Unde membranæ neceſſariam inciſionem lethalem exiſtimabimus? Hæc enim inciſio fibras relaxando, dolorem ſedat, ſuppurationique favendo gangrænam præcavet. In abdominis operationibus, peritonæi punctionem inciſionemve, ut & pleuræ in empyemate quis timeat? Nemo ſane. Quare igitur duræ meningis inciſio, cranium intus veſtientis ut pectus pleura, timenda magis? E contra, quo magis nervoſa, exquiſitiori ſenſu donata, tenſa, vaſibuſque onuſta ſanguineis; eo ubi adeſt inflammatio, evidentior eſt inciſione laxandi neceſſitas. At forte, inquiet aliquis, integritate ſua cerebrum complectitur, continet, impeditque quo minus hæc pars mollis, infinitoque arteriarum numero onuſta, tumefiat, aut calvariæ foramine foras protrudatur. Minime: niſi capitis vulnere ſolutum cerebrum, aut violenta contuſione diſcerptum, aut in pus reſolutum; quæ quidem ſunt mollioris cerebri ſubſtantiæ, piæque matris ruptæ effectus; non vero duræ meningis inciſæ: quæ cum internæ cranii tabulæ ubique adhæreat, operculum quidem eſt quo cerebrum includitur, non vero membrana proxime veſtiens & fulciens. Cerebri autem moles hac in cavitate libera, toto piæ matris fulcimento, arteriarum pulſus abſque ruptione ſuſtinet. Revera mollis eſt, delicata, & fragilis cerebri ſubſtantia; verum pia mater anfractus omnes, glomeres, lobos & lobulos arctiſſime cingit, arteriaſque multiplici ſpirarum convolutionumque ſpecie ſubſtantiam ejus componentes comitatur & fulcit, quo ſtabilitatem functionibus idoneam ipſi ſuppeditat. Eſto tamen: pia matre diſrupta, cerebro ipſo contrito putrive, ut aliquoties viſum eſt, inciſione duræ matris, effluet ipſa cerebri ſubſtantia. Quid inde? hujuſmodi deploratis vulneribus, aliquos ſuperſtites fuiſſe narrant obſervationum Chirurgicorum ſcriptores: nec alia eſt præter inciſionem via, qua, vel curari poſſint, vel præcaveri. Adeoque ubi adeſt in piam matrem liquoris effuſio, cerebrique contuſio; timendum eſt ne putredine inficiatur cerebrum, aut laceſſita dura mater inflammetur liquore extra venas effuſo acri & pungente, aut denique una cum cerebro in pus reſolvatur, ut videre licet cadaverum inſpectione. Unica igitur via ſupereſt, inciſio nempe, cujus ope aperiendo, relaxandoque duram meningem; inflammationi, diriſque medebimur ſymptomatibus, liquorique intra membranas effuſo parabimus exitum.

## V.

Si quarumlibet cerebri partium functiones & uſus dilucida paterent perſpicuitate, certiora fortaſſe contuſionum cerebri, effuſionumve ſub dura meninge, organique laborantis ſigna haberemus. Verum expectandum nobis

[ m ] Append. ad Armament. Scoulteti *obſ.* 10. 12. 36. 37. & 41.

bis eſt, dum abſtruſa hæc indefeſſo Phyſicorum rebus anatomicis inſtantium labore magis eluceſcant. Interea ratione ducti, aſſidua capitis vulnerum obſervatione, improviſa ſymptomata, eorumque eventus notantes, diligenti cadaverum ſectione cauſas indagantes, leges experientia fultas ſancire conemur [n]. Jam in libris hac de re plurimæ extant obſervationes, in maritimis arcibus communes, ubi frequentes ſunt capitis ictus a durioribus, gravioribuſve inſtrumentis, caſuſque ab alto in inferiora navium. Qui poſt tales capitis percuſſiones, etiam iterata terebratione moriuntur, cerebri, duram inter & piam matrem, ſuppuratione pereunt, etiamſi quandoque levamento fuiſſe viſa ſit trepanatio; quod & accidit nonnullis, quibus integra & abſque contuſionis nota capitis integumenta, ſubitaque a venæ ſectionibus & diæta levatio, nihil mali ſubeſſe ſuadent. In iis graviſſima & lethalia ſymptomata per plures dies, imo & hebdomadas affatim erumpunt. Apertis cadaveribus, pus invenies infra duram, aliquando infra piam matrem, glutinoſum, viſcidum, muci tenacioris conſiſtentiam præ ſe ferens. Qua via erumpet, niſi per duræ matris aperturam? Membranæ iſtius rigidior, craſſiorque textura, quam ſola putredinis eroſione perforare valeat, impedit etiam ne effuſi liquoris prominentia abſceſſus intus latentis ſedem deſignet. Pulſatorii motus ab arteriis cerebri duræ meningi impreſſi ceſſatio, ſive effuſis comprimantur liquoribus, ſive ſuppuratione marceſcant, ſive trepida commotione deleta ſit vis earum tonica, morbi ſedis indicium eſt omnium certiſſimum. Exempla duo nuperrima ex Noſocomio Portus Rupifortenſis in lucem afferam, alterum ictus vehementis, alterum caſus ab alto. Nauta gravi aſſidis in caput ictu, in navis pontem ſternitur. Concidit exanimis, vomuit, ſanguinem naribus excrevit, ad ſe paulo poſt rediit. Dilatatur vulnus in media oſſis coronalis parte cui rima apparuit. Iteratis venæ ſectionibus & diæta ſedata febre, remiſſiſque ſymptomatibus, trepanum differre uſquedum nova apparerent ſymptomata viſum eſt. Ad ſextum uſque & decimum diem, tranquillus fuit æger, qua die, ſopore gravi cum pulſu duro correptus eſt. Tunc prope fracturam applicatur trepanum, a quo ſanguis fluidus & rubicundus eductus eſt: mox convulſione corripitur: alterum poſtridie ad anteriorem parietalis dextri partem applicatur trepanum: utraque apertura immota apparuit dura mater: tandem ſopore convulſionibus interpolato perſeverante, die vigeſima-ſexta fato functus eſt. Aperto cranio, duræ meningi inflammatio nulla, nulla in ſuperficie ſanguinis aut puris aderat effuſio; verum duram inter & piam matrem, circa dextri oſſis temporalis ſquammoſam partem, parietalis inferiorem anteriorem, & poſteriorem inferiorem coronalis, integra tamen & ſana pia matre cerebrique ſubſtantia exiſtente, quatuor vel quinque puris unciis cerebrum depreſſum erat. Nonne duræ meningis incidendæ is erat locus? Illæſa pia meninx, cerebrique molis integritas, nonne ægrum ſalutari hac inciſione ſervari potuiſſe arguunt? Miles in profundum navis viginti duorum pedum altitudinis a ponte in caput prolapſus, concidit exani-

[n] Sculteti armamentas. Chirug. *obſ.* 8. 10. 11.

exanimis; ſanguinem auribus naribuſve excernit, nullo apparente contuſionis in capite veſtigio. Brevi repetitis venæ ſectionibus animum recepit. Primis diebus febre mediocri capitiſque aliquali perturbatione laborabat, quibus ſola diæta brevi deſinentibus, convaleſcens habebatur. Morbi die vigeſima-octava, violenta febre delirio comitata corripitur, & triginta horarum ſpatio animam efflavit. Capitis inveſtigatione, duram inter & piam matrem, ab utroque mediæ falcis latere, reperitur abſceſſus; effuſo liquore leviter afficiebatur cerebrum, aderat duræ meningi puris impreſſio, ipſi tabulæ cranii internæ alte inſculpta; ſic afflictis ægroti rebus, quonam remedio illum a morte tam funeſta vindicabis? Unica eſt via, trepanum ſcilicet, vertici ex utroque ſagittalis ſuturæ latere applicatum, ut deinceps duræ meningis inciſione effuſum intra membranas liquorem exhaurias. Caſus altitudo & modus non ignorabatur, nec erat incerta pars contuſa; cerebrum proprio impulſu contra cranii parietes impingendo, violenter contundi debuerat. Prima morbi indicia contuſionem arguebant. Celeris tamen levaminis incauta ſecuritas principiis noſtris prævaluit. Nonne igitur concludendum venit poſt gravem, ab ictu vel caſu, capitis percuſſionem, incerta primis diebus cerebri contuſione aut in piam matrem liquorum effuſione, ubi ſymptomata ingruunt, mox ad terebram & duræ meningis apertionem properandum eſſe? Similiter mature adhibita inutiliterque iterata terebratione, perſeverantibus ſymptomatibus, æque tutam ac neceſſariam eſſe hanc duræ meningis inciſionem; ut cerebrum, indeſinenti ſuo motu ſub membranæ iſtius ſuperficie interna, lævi, liquorem effuſum ad aperturam ducat, hacque ope ſe ab humore acri & pungente, putredinemque inferente vindicet? Quod quidem rationi, partiumque naturali conformationi ita conſentaneum eſt, ut duræ meningis ſuperficies interna, lævis, oſcillationiſque cerebri in cranii cavitate motus, ad hoc ſalutare præſidium a ſummo rerum opifice parata eſſe videantur.

*Ergo poſt gravem, ab ictu vel caſu, capitis percuſſionem, non juvante etiam iterata terebratione, dura meninx inciſione aperienda.*

FINIS.

VII.

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS;

*Exibens*

## RARISSIMAM SANATIONEM CEREBRI QUASSATI, CUM NOTABILI SUBSTANTIÆ DEPERDITIONE.

*Quam Præside*

DAN. HOFFMANNO

*M. P. E. ACAD. NAT. CUR. SOCIO,*

*Defendet*

JO. CHRISTOPHORUS CAMERARIUS.

Tubingæ menſe Auguſto 1719.

MAgnus inter Græcos Medicæ Artis Antiſtes, Coæ fulgidum Lumen Scholæ Hippocrates, inter innumeras Ideas exquiſitas, atque effata ſolidiſſima θεῖον quoque ſuum ſcholis Medicorum reliquit. Non id quidem intelligimus θεῖον, quod vel φλογιστὸν illud concretum, ſulphureum notat, neque id quod ſenex νοσερὰν in aëre infecto vocat διάκρισιν, ſed divinum illud, occultumque θεῖον, quod in morbis toties obvium agnovit atque veneratus eſt. Neque exiſtimet modernæ evidentiæ nimius admirator, eſſe aſylum ignorantiæ θεῖον illud, utut divini quid ſonans, parique cum occultis qualitatibus paſſu ambulare, ad quas confugere haud decorum ſit in hac ſcientiarum luce, occultum enim eſt τὸ θεῖον, ſed non ad qualitatum occultarum cenſum ignobilem detrudendum; eſt enim haud rarò in principio occultum, in decurſu autem manifeſtiſſimum providentiæ divinæ ac luculentum prorſus argumentum.

Vidimus nuper atque admirati ſumus veſtigia ejus inſignia in puero, cujus Hiſtoriam damus, cujus cerebrum, haud exigua ſui parte conquaſſatum violenter, cum præſentiſſimam ipſi intentaret mortem, ita ſub occultis providentiæ viis medicam admiſit operam, ut nullibi manifeſtius θεῖον illud, ſeu abſtruſæ opitulantis DEI ſemitæ eluxiſſe cenſendæ ſint. Quotus quiſque enim eſt, qui ignoret nobilitatem Cerebri, quantumque illud dignitate aliis antecellat corporis partibus; Hanc animæ arcem omnes venerantur, ſive eam velint illi incluſam, ſive toti corpori ac cuivis parti totam vindicare malint; Hic agit anima, ſi quid agat! Sive enim aſſeras, eam per Animales Spiritus, partes ἐνορμῶνλας, agere in corpus, ac pati à corpore, ſeu percipere objectorum impreſſiones in nervulis organorum factas, ſive cum Malebranchio vim omnem à DEO, ad nutum animæ æterno movente ſtatuto derives, ſive Leibnitianam Harmoniam Præſtabilitam, tranſcendenti ſubtilitate enatam, in ſubſidium malis advocare, ſemper tamen recurrendum erit ad organum hoc molle, tenerum, valido oſſe cinctum, quod læſiones impunè haud ferat, quod & vulgus & peritiorum ordo omnis fatetur, agnoſcitque inviolabile mentis ſacrarium ac vitæ fontem atque ſcaturiginem tenerrimam. Nullum capitis vulnus periculo carere omnium conſenſu firmatum eſt, etiamſi ad intima haud penetraverit; tener enim pericranii, meninge connexi ſenſus, feſtucarum à cranio fiſſo periculum, meningis tenſæ ſenſileſque fibræ, cerebri mollities, tum in corticali ac cinerea, tum & in candida medullari ſubſtantia, gravitatem periculi, ſi lædantur violentius iſtæ partes, abunde innuunt. Accedamus vero ad ipſam Hiſtoriæ recenſionem.

Annorum duodecim Puer, paulo ante meridiem domo egreſſus, contentaque pileo fraga manducans, ſubito ponderoſa quinque librarum tegula ex ſublimi viciniæ tecto ruente, ſiniſtrumque capitis latus feriente, proſternitur. Præteriens vir, mortuum eum credens, tollit humo proſtratum, brachiiſque impoſitum in ædes defert, videns largiſſimos arteriarum ſanguinem in

arcus ejaculantium rivulos continuo profilientes, cerebri unum alterumque gyrum, tunicæ ſuæ illapſum, obvio offert chirurgo, pueroque in lectulum repoſito, majorem aliam cerebri portionem adhuc vulneri adhærentem, una cum portione capillorum, novacula quaſi abſciſſorum cerebroque adhærentium, Chirurgus cochleari, obvio tum, excipit, offertque mox accedenti Medico D. Prof. Eliæ Camerario, (Præſidis Honorat. Socero ac Reſpondentis Parenti) qui ut præeſſet curæ, vocatus mox fuerat, gyros aliquot cerebri adhuc quaſi calentes, pia matre egregie inveſtitos, vaſculis capillo tenuioribus mirifice exornatos, ac arbuſculis quaſi tenerrimis purpureiſque conſperſos, non meram exhibentes corticis cerebri ſuperficialem lamellam, ſed profundius paulo excuſſam, candicantiſque etiam ſubſtantiæ ſtamina oſtentantes, cerebri hac portione longitudine digitum, latitudine lineas quinque, profunditate quatuor, non eadem tamen ubique denſitate, excedente; (nec unquam tamen primo morbi octiduo recluſum eſt vulnus abſque novo cerebri propulſi diſpendio, adeo, ut vel octava die prodiret portiuncula, piſi majoris quantitate, tota nitidiſſime candicans, nec quidquam admixtum habens cinerei) obſtupuere innumeri ſpectatores, conſpecta hac nitidiſſima cerebri portione, vixque oculis credidere etiam rerum iſtarum periti, ea potiſſimum, quam deſcribere mox dabitur vulneris ratione, perſpecta.

Qui eum ulnis exceperat Vir robuſtus, inter geſtandum vacillationem oſſium cranii fractorum probe ſenſit, Medicoque mox indicavit, monens ſimul, puerum digitos mox manuum conſtrinxiſſe arctius, magnaque vi ſpaſmos extremorum paſſum: hinc & lecto decumbens vehementiſſime ac continuo ſiniſtrum agitavit pedem, dextro latere mox comparente reſoluto, clamores ſimul enormes aut ululatus potius penetrantiſſimos ejaculante thorace, oculis diſtortis, corneis, ac ſubclauſis, conniventibus palpebris, ſenſibus amiſſis. Ictus ac proſtrationis violentia, lapidis pondus, teneraque ætas, magnum indicabant vulnus, autopſia vero parvum id exhibuit, vulnus enim integumentorum capitis ne digiti quidem æquabat longitudinem, lateribus parum hiantibus, intus vero latuit terribilis effectus tanti ponderis; Locus vulneris fuit in ſummo oſſe frontis lateris ſiniſtri, præciſius determinandus, ſi concipias Triangulum Iſoſceles, cujus baſim, diſtantiam nempe inter ſiniſtri oculi canthum externum, ac principium meatus auditorii, æqualia latera in vulneris centro coeuntia, integro ad minimum pollice ſuperabant magnitudine; nec tamen trianguli hujus apex mali centrum fuit, ſed fracturæ quaſi initium, oſſis enim fruſtum depreſſum duos digitos latitudine non attingens longitudine eos excedebat, protenſum quippe à vulnere verſus latus dextrum, vacillans admoto ſpecillo, depreſſumque, figuræ Trapezoidis, à cujus angulo inferiore magna fiſſura deſcendebat per os frontis totum ipſamque oculi orbitam, lato hiatu tactui obvio. Vis ſcilicet ponduſque tegulæ, qua marginem acutæ, non capillos modo conſcidit, ſed depreſſit fruſtum illud cranii violenter, perrupit impetu illo duram matrem, conquaſſavit ſubito cerebri ſubſtantiam teneram, fruſtum ejus expreſſit, ejecitque per fiſ-

ſuram

ſuram à vulnere diſtantiorem, via tamen, eliſo cerebro, ad externa patente, quoniam ſumma violentia integumenta à depreſſo cranii fruſto mox ſeparaverat, hinc protruſum cerebrum, qua ſtructuram portionis illius integrum & pulcherrimum, per foramen vulneris longe minus atque arctius. Quanta hæc in capite confuſio fuit, quam diſſipati, imo ſuffocati ac ſtupefacti Spiritus, turbatus ſanguinis circulus, nervorum fibrillæ in ſpaſmos actæ, concuſſæ, convulſæ partim, partim relaxatæ, inde mox ſpaſmi, ejulatus, agitationes partium variarum, reſolutio dextri lateris, mirandumque potius, potuiſſe his violentiis naturam reſiſtere, nec ſecutam mox eſſe mortem, totiuſque deſtructionem Machinæ.

Non multum libuit in vulnere agitare ſtylos, tentare fiſſuras, earumque progreſſus rimari, ne graviori irritatione, læſum tam enormiter cerebrum, novis ſtimulis ulterius labefactaretur. Chirurgi egerunt, quod ipſorum eſt; non deſcribemus ſacculos Cephalicos, inunctiones Spiritu Vini camphorato factas, hunc cum matricali ſpiritu vulneri inſtillatum, linteiſque multiplicibus impoſitum affuſumque; Exhibitas mox per intervalla mixturas Nervinas, confortantes, cordiales, exteriuſque adhibita, inunctaque varia, ſpiritus, balſama, elixiria. &c.

Principalis hic quæſtio fuit de facienda inciſione, ac vulneris dilatatione, cum id videretur juſto arctius, imminebat jam vulneri novacula, cohibita tamen pondere rationum; Urgebat vulneris anguſtia, recentiorum unanimis commendatio inciſionum, ac dilatationum in vulneribus minoribus; ſed ſuadebat tamen contrarium patula via, quæ deeſſe non poterat ſaniei, ac puri, cum tot ſanguinis exſilientis rivulis, imo tam notabili cerebri portioni, rima ipſius vel cranii, vel vulneris, longe majori ac latiori, conceſſerit exitum; hanc natura viam non videbatur neglectura, ſoliciteque conſervatura; Idemque eſt, quod ſuadent recentiorum plurimi, non ſtatim accedendum ad inciſiones ſine gravi cauſa; occurrebat maxime animo Ruyſchii, Amſtelodamenſis, at quanti Viri, monitum: Etiam in vera cranii fractura, in qua ſymptomata non augentur, haud ſtatim ad inciſionem & terebrationem eſſe confugiendum; ac præſtare ejuſmodi adhibere fomenta cephalica, quæ non parce, nec linteis exiguis, ſed latioribus pannis, etiam laneis, calide ſint applicanda, caputque totum iis obvolvendum. Sic non raro opem ſe tuliſſe feliciſſimam iis, quorum capitibus jam ſcalpellum inciſorium imminuerit. Ac recordor nunc iſta ſcribens, eamdem nuper viam ingreſſum eſſe Experientiſſimum Chirurgum Pariſienſem D. Pinçon, Sereniſſimi Hohenzollerani Principis Primarium Chirurgum, in ruſtico fuſte graviter percuſſo, quique ſine voce per decem decubuit dies; ſola hic fomenta, inunctiones, ſacculique Cephalici ſine ulla inciſione feliciter reſtituere ægrum pro deſperato habitum. Tam dura ſubinde ſunt ruſticorum capita. Differendum itaque erat & hoc remedii genus, & ipſa de Trepano deliberatio, quod quidem depreſſo oſſi applicari haud poterat, nec requirebatur, uti ex poſt facto evidens erat; utile in ſe remedium ac frequentiſſimum auxilium, ſed & fruſtra ſæpe & non

ſatis

ſatis apte adhibitum; latius tamen hodie patens quam olim, quippe aliis quoque oſſibus, carioſis maxime, ſuperficietenus applicandum ad exfoliationem promovendam in lue venerea maxime. &c. Vomitus inter prima obortus eſt ſymptomata, frequenſque porro rediit, tinctus etiam aliquando cruore. Interea Mixturæ Confortantes cum Liq. Corn. Cerv. ſucc. & caſtoreatis ori infundebantur, exteriuſque ea omnia naribus, vertici, temporibus, pulſibuſque adhibebantur, quæ in caſibus tam repentinis admovere conſuevit ſolicitudo adſtantium ac conſternatio.

Hæc agebantur 10. Jun. 1718. dieſque illa & nox eam inſequens eoſdem inter ſpaſmos, ſiniſtri pedis agitationes violentiſſimas, clamores, ſtridoreſque horrendos tranſacta eſt. Mane vero diei Jun. 11. ultima vice vomuit, iidem inter deligandum clamores, idem cætera ſtupor ac torpor; facie partibuſque ejus ſingulis magis magiſque intumeſcentibus, ac ipſo illo tumore deformatis. 12. Jun. die plena lateris dextri immobilitas, ob impeditum valde ſpirituum animalium in partes ejus lateris, concuſſis violenter ac contortis quaſi nervorum fibrillis, influxum, involuntariaque ſecum alvinarum cum urina excretio, funeſtum ſæpius ſignum, obſervabantur; nihilominus tamen juſculum carnis ipſi propinatum deglutivit, variaque medicamenta ſcopo convenienter ordinata, & hoc quidem die mixturam confortantem ex aq. fl. til. unic. ver. margarit. or. ppt. Corn. Cerv. aurat. Conf. alkerm. compl. atque Julep. violar. officioſa Parentum manu oblata admiſit ſubinde, ac per intervalla. Ad confortandum caput enormiter læſum concuſſumque; balſamum ex balſam. apoplect. lavendul. anth. ſuccin. ruth. nuchæ ac temporibus, ſpirituſque nervini ex ſpir. lil. convall. lumbric. aq. anhaltin. partibus non ſolum reſolutis, ſed & univerſæ dorſi ſpinæ, ad refocillandam labefactatam ejus medullam, ſeu continuatum inverſumque cerebrum, largiſſime inungebantur imo infundebantur, ut ſcilicet hoc quoque modo ac tentamine, eo citius influxus ſpirituum animalium in partes illas externas reſolutas iterum obtineretur, ac invitaretur, quo etiam confortandi ſcopo, epithema cordiale ex Elix. vit. ſpir. lil. convall. anth. mediante panno coccineo ſcrobiculo cordis imponebatur, pulſibuſque admovebatur. Nec deerant adſtantibus ſigna, quibus ſuſpicabantur, viſus audituſque aliquod ſubinde exercitium puero competiiſſe. Die 13. ſubſequente iterum agitationes, inquietudines ægrum torquebant, mentis tamen attentione tranſparente, nec minus clamoribus adhuc adſtantibus erat moleſtus, facie magis magiſque in tumorem inæqualem informemque elata ac deformata; Urina multa, tincta, non turbata, nubibuſque gravis conſpiciebatur, qualis & Jun. d. 14. prodiit, quam diutius, quam par erat, retinuerat, ſuccedente tandem, poſt inunctiones hypogaſtrii largiores, fluxu ejuſdem liberiore, fibris tonum naturalem recuperantibus, ſpaſmiſque ceſſantibus; non amplius tam ſtentoree clamabat, niſi a ſpiritu vini camphorato cum Spiritu matricali commixto, vulneri partibuſque illis nerveis, teneris, atque adeo graviter læſis, infuſo, qui ſcilicet debebat, laudabili chirurgorum providentia, cohibere atque arcere inflammationem

atque

atque dehinc gangrænam ac putredinem, parti tam nobili funeſtiſſimam, maximeque metuendam. Cæterum tincta illa plurimum, ſed non turbata urina, febrem vulnerariam æque ac citatior pulſus indicabat, quæ non poterat non in tam gravi læſione nobiliſſimæ partis ſupervenire, purulentis moleculis Maſſæ Sanguineæ largiter jam admixtis, ejuſque mixtionem turbantibus; neque enim facile dixeris, animam febrim hanc excitaſſe per providentiam ſuam, quæ orta eſt à ſuppuratione ſanguinem turbante, nec adhiberet anima tam vile inſtrumentum, quale pus eſt, ad ſcopum ſuum, cum in id nullum ipſi imperium competat, toto quippe genere, tota ſubſtantia peccans. Cum vero iſta dextri lateris omnimoda paralyſis & graviorem videretur indicare principii nervorum læſionem, & penitiores canaliculorum nerveorum obturationes, vel etiam relaxationes, aut alibi ſtricturas ſpaſmodicas, hinc aſſiduo inſiſtendum erat confortationi nervorum, totuſque dorſi tractus oleo quodam nervino ex ol. lumbricor. ruth. caſtor. maſtichin. lavendul. ſuccin. bis de die inungebatur; Ob pulſum fortiorem caloremque totius corporis manifeſtiorem, ſtatus febrilis increſcentis & ſigna & ſymptomata, viſum fuit pulviſculos quoſdam nervino-refrigerantes, ex pulv. pannon. compl. unicorn. ver. Corn. Cerv. aurat. Lap. ſmaragd. ppt. Margarit. or. ppt. Nitr. cryſtallin. atque Cinnab. nat. ppt. præſcribere atque exhibere frequentius, ad ſedandum æſtuantis ſanguinis ardorem, temperandamque ejus turgeſcentiam, nervorumque ac ſpirituum animalium (quos, nonnullis quidem hodie ingratos in Medico ſyſtemate, natura ipſa jubente, ſervandos credimus) confortationem. Noctem quiete tranſigebat, alteroque die 15. ſcilicet Jun. motus lateris dextri reſoluti, non ſine magno parentum aliorumque gaudio, haud obſcuris ſeſe prodebat initiis, qui indies, quamquam tardiori gradu & incrementis lentioribus, magis magiſque creſcebat, liberiori ſcilicet ſenſim ſenſimque reddito ſpirituum animalium, in partes illas, antea iis deſtitutas, vel ſaltim parcioribus eorum copiis imbutas, influxu; carnis juſcula aliquoties, redeunte jam appetitu, comedebat, urinam non ita tinctam reddens, (febre jam mitigata) illius vero excretionem, profluvium materiæ cujuſdam pultaceæ albicantis, ſtatimque in urina ſubſidentis, ſubſequebatur, profluebat enim hæc chyloſo-pultacea, vel ſi mavis, blandior purulenta materia, demum reddita urina, ſeorſim prolabens per urethram; Horis ejuſdem diei veſpertinis, adſtantibus admirationi fuit, dum mente, ob recollectos jam ſpiritus, nervoſque ad tonum ſuum redeuntes, vigorem aliquem novum exerente, organiſque loquelæ deſtinatis jam melius conſtitutis, diſtincta claraque ſatis voce, utut languida ac tarda pronunciatione, integram Orationem Dominicam recitaret. 16. Jun. die Portio quædam ſubſtantiæ cerebri candidiſſima ex vulnere, cum ſanie quadam ſpumoſa flaveſcente, prodibat, ægerque de dolore cardialgico ſæpius conquerebatur, unde una cum mixturis ſupra memoratis nervinis, confortantibus, pulviſculos pariter confortantes, ſtatis temporibus ægro exhibendos, ex pulv. epil. mir. M. pannon. compl. unicorn. ver. ſpec. diacret. Corn. Cerv. aurat. & Nitr.

cryſtallin. placuit commendare; Qui tamen ſtomachi dolor 17. die, poſt excretionem retentarum diutius fecum alvinarum, multum remiſit, urina interim, tinctura intenſiore nondum penitus deſtituta, & offerente una ſedimentum illud ſupra memoratum, pultaceum, ſeorſim excretum; Cæterum à prima inde læſionis quaſi hora, ſtagnantibus, in faciei muſculorum tubulorumque cavitatibus, viſcidis humoribus ac purulentia tinctis, facies magis magiſque intumuerat, nunc elato maxime tumore, formaque faciei priſtina ablata; Altero mane, nocte ſat bene tranſacta (die. 18.) nec viſus nec memoria videbatur recte ſe habere; adeo ſpiritus adhuc vacillabant undulabantque præ debilitate inſtabiles; unde pulviſculi ex ſpecif. Ceph. M. Antim. diaphor. Corn. Cerv. aurat. Margarit. or. ppt. Nitr. cryſtallin. præſcribebantur, Liquori Cornu Cervi, aliiſque analepticis interponendi, appetitus vero auctus frequentius poſtulabat, quod offerret latranti ſtomacho. Dudum palpebræ, (ad quam rima fiſſuræ cranii protendebatur) oculi ſiniſtri, tumor elatior cœperat fieri, ac turgentior, hac quidem die magis tumens, rubenſque, ſuppuratione jam increſcente, frequentius ridebat æger, mente debili, debilibus ſpiritibus, haud graviter ſatis imperante in tanta adhuc turbatione, dumque adſtantes canebant, ipſe lacrymas profundebat, ejuſdem ſpirituum inſtabilium teneritudinis ſoboles indiceſque. Sequente die 19. de dolore oculi illius ſiniſtri querelas movebat acerbiores, idem de cætero appetitus, eademque ſemper hactenus urina; noctem quippe ſatis tranquillam ſecuta erat dies tolerabilis, tranſactus inter comeſtiones, vagos ineptoſque ſæpe riſus ac faciei elatiorem adhuc tumorem: Tumor vero palpebræ, in acumen attolli rubicundius, videbatur. d. 20. Calor totius corporis circa veſperam erat intenſior, pulſus per conſequens citatior fortiorque, hinc pulviſculis additus fuit pulv. pannon. compl. ac antifebrilia; memoriæ vero læſio in hoc maxime ſeſe manifeſtabat, quod multa, ipſi alias maxime familiaria, ſuis nominibus indigitare, ac denominare non potuerit, manifeſto debilitatis ac teneritudinis ſpirituum, ſumme antea diſſipatorum, tantaque vi proſtratorum, indicio; mereturque id imprimis notari, quod læſio memoriæ circa ſolſtitium maxime ſe exeruerit, poſtea ſenſim, recolligentibus quoque ſe ſpiritibus, evaneſcens; Neſcias autem, an de ſede memoriæ hic concludere ex ſitu vulneris liceat, remotioris ſcilicet ab occipite; quamquam iſtæ animæ functiones pendere vix à ſitu partium cerebri videantur; Jun. 21. Palpebra ſuperior oculi ſiniſtri in abſceſſum elevata, cultello inciſorio aperiebatur, quæ multum puris laudabilis fundebat, quo facto dein, ſine ullo fere impedimento, oculo illius lateris videre potuit; ab octava enim inde morbi die, facies prætumida cpœit detumeſcere plurimum, ſola nunc palpebra tumente, qua inter fletus aperta, mox omnia erant ſereniora. Manſit tamen in fronte, deducta inde à vulnere, latior linea ſeu rima hians, molliuſcula, tumida, in palpebram deſinens, licet aperto tumore jam minus turgida; unde etiam altero die 22. erectus in publicum, feneſtris tamen clauſis, proſpiciebat, urinam ſine conſueto ſedimento pultaceo reddebat, cætera

bene

bene ſe habens, adeo, ut per totam fere noctem quiete dormiverit, alteroque mane diei Jun. 23. integro appetitu juſculum carnis ſorbillaverit.

Oculus dextri lateris liberius nunc, tumore ſubſidente, aperitur, utroque ſic liber oculo proſpicit, fortius ac frequentius pro more ridens, duriora etiam, e. g. pyrum conditum, non ſine ſtridore dentium maſticat, imo magno cum impetu, ſine ullo doloris ſenſu, ſternutat, unde ſpem de fiſſuris, indubie præſentibus, ſaltem haud malam licebat concipere, cum talia ferrent. Mane diei 24. Jun. parum admodum puris, tam ex vulnere capitis, quam palpebræ promanabat, nec ſpiritus matricalis intra vulnus adeo libere, uti alias, admittebatur atque abſorbebatur; in deligatione tamen veſpertina plus puris effluxiſſe vidimus, alvus libera, urina iterum ſedimento pultaceo fœta fuit; maxime autem notari meretur, quod ulcera antiqua, brachii atque femoris ejuſdem lateris, poſt extracta oſſicula quædam (ex brachio maxime) carioſa, ante aliquot annos jam conſolidata, à triduo ſaniem quamdam, ratione coloris cum illa vulneris capitis convenientem, ſtillare incœperint; Adeo largiter ſanguineæ maſſæ innatavit admixta ex vulnere ſanies; adeo tota maſſa vitalis fermenteſcebat, excitata à peregrino hoc fermento, ac qua data porta proruebat ſanies, quod in parte debili, atque olim graviter læſa, contigit facilius, cicatrice rupta, novaque puri aperta janua; vidimus ſimile nuper exemplum in Illuſtri Viro, cujus ulcera antiqua, ab aliquot luſtris occluſa, poſt expeditionem febremque Hungaricam denuo aperta, graviſſime ipſum afflixerunt. Vivumque circumfert in corpore exemplum D. Reſpondens noſter, ulcera antiqua, data per ſanguinis turbas occaſione, facile nova exundare ſanie; quicquid enim tum in ſanguine ſordium eſt, ad conſuetam veteremque facile amandatur cloacam ſeu fiſtulam, utut conſolidatam apparenter, clauſamque, quod & in hoc puero noſtro factum eſſe agnoſcet, quiſquis circumſtantias ponderabit; ac memorabile ſane eſt, latus ejus ſiniſtrum, tot jam injuriis maliſque fuiſſe ſubjectum, dextro ſemper ſalvo. Interim uſui medicamentorum omni cura inſiſtendum duximus, ut & ſanguinis impuritas corrigeretur, & fœda miaſmata ex univerſa ejus maſſa ejicerentur.

Die 25. Jun. Urina mane parum offert ſedimenti, veſperi pallidior atque turbida; cicatrix brachii continuo materiæ purulentæ particulam protrudebat, cui etiam, inciſione cultello facta, via atque exitus parabatur, femoris cicatrice per ſe liberius fluente; Cæterum læſio memoriæ, qua voces ac nomina, nondum ceſſabat, manifeſto indicio, & ſpiritus adhuc teneros vacillantes, eccentricoſque eſſe, & cerebri fibrillarum tonum ad priſtinum ſtatum atque æquilibrium necdum rediiſſe, unde nec anima diſtinctas ſatis formabat ideas. Nocte bene tranſacta d. 26. idem materiæ purulentæ ſtatus in partibus ſingulis, eadem urina; Cæterum confortandi, viſcerum tonum roborandi, ſanguinemque emendandi ſcopo, Electuarium ex Conſ. cichor. roſar. rubr. cydon. condit. Nuc. indic. condit. Syr. rub. id. Julep. violar. ut

& Elix. aperit. Cl. Tinct. Mart. cydon. assidue, cum cæteris remediis, ægro propinabantur.

Mane diei 27. urina erat flava cum sedimento, vesperi vero pallida itidem cum sedimento; Capilli capitis, sine ullo doloris sensu ac innoxie, fluctuante adhuc sub pelle purulenta materia, novacula resecabantur, (hactenus enim sacculis cephalicis, vino fervente imbutis, tegebatur vulnus, capitisque partes, satis prius spiritu matricali & vini camphorato imbutæ; nunc autem raso, non in vulneris saltem vicinia, sed & latius, capite, Emplastro de betonica id obtegebatur totum, impositis tamen desuper sacculis, hactenus magno ægri emolumento adhibitis) pulsu bono, alvo libera; Corpore per somnum quietum probe refecto, d. 28. sponte sese erigit alacris, perpetuoque, etiam inter obligandum, ridet; Urina flava à trihorio adhuc sine sedimento offertur; labiis vulneris reunionem atque consolidationem maxime affectantibus, die Jun. 29. prima vice vulneri inseritur turunda, ut scilicet materiæ purulentæ via atque exitus hoc modo conservaretur, quæ alias, vulnere consolidato labiisque clausis, non potuisset non regurgitare, gravissimaque mala, imo ipsam mortem inferre. Die 30. Pus tenuius in parca admodum quantitate ex vulnere prodit, perpetuo de fame conqueritur æger, cibosque avide arripit; in margine ossis eminentiore, versus aurem sinistram, in ipso vulnere nihil quicquam vacillat vel abscedit; die autem 1. Julii adhuc specimina quædam læsæ memoriæ edit, dum res, ipsi maxime notas, nominare non potest, pus interim, nunc parcius nunc largius, ex vulnere protrudi potest, colligebatur enim sub integumentis, à cranio hic depressiore, separatis. Die 2. sensim sensimque memoriam meliorem fieri advertimus, labiis vulneris consolidationem atque reunionem minantibus, omnibusque optime sese habentibus, siquidem jam. d. 3. Jul. proprio marte sese erigit, atque erectus in lecto sedet, (hactenus vero inunctiones externas spinæ dorsi, imo totius coporis, tum oleis nervinis tum spiritibus confortantibus valdeque penetrantibus, factas, haud parum ad paralyseos, qua totum resolutum erat latus dextrum, diminutionem atque expugnationem, fuisse proficuas, ipse eventus docuit evidenter) insertionem ac penetrationem styli ferrei vix sentit, nec repugnat illi, hilari lætoque admodum est animo, imo d. 4. è lecto surgit, atque sine ullo vertiginis sensu, passus plusquam decem, alio manuducente, ambulat, atque 5. & 6. die per aliquot horas in publicum, fenestris tamen clausis, prospicit, puris quantitate non adeo parca se offerente, omnibusque rite se habentibus, tentabat imo vires suas alacrius, an solus aliquot facere passus atque incedere possit, quod vero, sine metu prolapsus, efficere non potuit; eodem etiam die Julii sexto, cicatrix in femore, ut pus liberius effundere posset, cultello aperiebatur, pulsusque vesperi solito citatiorem se exhibuit. d. 7. Ordinaria puris tam quantitas quam qualitas, sine ulla reliquarum circumstantiarum mutatione, observata est; d. 8. vero solus aliquot passus incessit, (notandum vero sub deligatione os satis conspicuum, sese obtulisse hactenus satis candidum, probique ac mundi coloris,

ut

ut adeo pus haud adeo videretur ſpiculis corroſivis imbutum; nec enim eadem puris ratio ubique eſt, videas, ubi in læſionibus, periti etiam Chirurgi, pus tale blandum vel balſamum vocent, oſſi ſatis amicum, nec frequenti deligatione auferendum, cum hæc os aëri intempeſtive exponat) atque per aliquot horas, uti etiam d. Jul. 9. extra lectum commoratus eſt; d. 10. autem, femore & brachio melius ſeſe habentibus, diutius ambulat; labiis autem vulneris d. 11. ne ſcilicet excreſcant, carnemque fungoſam protrudant, pulverem Vitrioli de Cypro Chirurgus impoſuit; materia ſanioſa in eodem ſtatu conſtituta.

Die Jul. 12. nullas plane, de quocumque etiam leviſſimo dolore, æger movet querelas, ſed quaſi liber ab omni malo metuque obambulat, Chirurguſque ſicca ſaltem methodo modoque, omiſſis jam madidis Vino ſacculis, vulnus obligat; nihilominus tamen pulveribus cephalicis, nervinis, confortantibus temperatis, eſſentiaque ſupra memorata, atque Electuario confortante ac temperante, exoptato cum ſucceſſu, ſemper utitur; Cæterum quolibet fere die novus quiſpiam ad ſtatum meliorem gradus, morbi declinantis atque convaleſcentiæ indicium novum, attendi poterat, ſiquidem d. 13. 14. 15. 16. ita bene ſe habuit, ut hypocauſto egredi haud dubitaverit; imo die 17. exire domo auſus eſt audaculus puer, non obſtante capite adhuc tam graviter læſo, tanta cranii portione vacillante ac depreſſa, tanta ad orbitam oculi, tactui etiam obvia, fiſſura imo hiatu excurrente. Unde etiam d. 18. lectum deſeruit, illumque non niſi, accedente Chirurgo vulnus deligante, ad horulæ ſaltem ſpatium repetiit; pus interim ſenſim minuitur, ſtylum tamen, uti antea fere, vulnus admittit, labiorumque unio, vulneriſque conſequenter & integumentorum conſolidatio, impediri vix amplius poterat, urgente occluſionem natura, nutrimento copioſius ſuggeſto, fibrilliſque, quadam vi coeuntibus ac concreſcentibus.

Die Jul. 19. æger ex improviſo corripiebatur coryza, unde d. 20. rubentibus ac ſtillantibus naribus ſternutat frequentiuſque nares humidas emungit, illaque d. 21. continuante, raſo, hoc non obſtante, iterum capiti, uti ſæpius jam, novum Emplaſtrum de betonica imponitur; d. 22. vero coryzæ larga ſalivatio, fortiſque, ſine ullo incommodo, ſternutatio jungebatur, nec tamen lectum repetiit, ſed & ipſam inſuper vulneris deligationem extra lectum facile ſuſtinuit alacris ſemper, & cum pueris ſociis violentius etiam, quam par erat, ludens. D. 23. ex vulnere parca ſaniei tenuis flaveſcentiſque quantitas prodibat, ægro nondum à coryza liberato; Donec tandem d. 24. Coryza & Ptyaliſmus (dubio procul excretiones hactenus ægro admodum ſalutares, ſuoque modo criticæ, cum jam pus prodiret ex vulnere parciſſimum, adeoque per metaſtaſim alibi excernendi erant pravi illi humores, ſi ſalvus debebat eſſe puer; tuſſiculam vero non metuebamus, quod irritanti fauces, coryzæ ſtillantis, acrimoniæ eam tantum adſcriberemus) & cum tuſſicula largior exſcreatio deſierit; d. 25. paucæ ſaltem puris guttæ, facta in partem ſuperiorem, accuratiore etiam, preſſione, profluxerint, vulnuſque

d. 26. 27. & 28. ita anguſtum eſt redditum, ut d. 29. os ſive cranium, alias ſatis conſpicuum, non amplius potuerit conſpici, vixque tres ſaniei guttulæ promanarint; Unde etiam Chirurgi, obicem conſolidationi hactenus poſitum, removerunt, vulneriſque plenariam occluſionem, labiorumque reunionem, ſperare auſi ſunt; Hiſce omnibus ita rite ſe habentibus, Medicus tamen uſus medicamentorum internorum, cephalicorum, nervinorum, confortantium, continuationem commendavit, pulveremque talem d. 30. ex pulv. Analept. fr. M. Marchion. Matr. perl. ppt. Corn. alc. ph. calc. Lap. ſmaragd. ppt. ſacchar. perlat. bis de die exhibendum cum ſpeciebus theeformibus ex herb. veron. beton. acetoſell. fl. hyperic. nymph. cichor. rad. ſarſæparill. liquirit. Lign. ſaſſafr. præſcribit.

Videbatur jam res omnis confecta, conſolidatioque vulneris omnimodo inſtare Chirurgis videbatur, hactenus enim vi quaſi coalitio repreſſa eſt, ut puri pateret via; & coaluit ſane vulnuſculum, uſque ad rimulam quaſi minimam, at rebellem, (quod prædixerat Medicus) ſemper enim aliquid ſtillavit laticis, puero vegeto, agili, ſano, omnibuſque ætatis ſuæ actionibus aptiſſimo, ac in publicum, quacumque etiam tempeſtate, prodeunte. Novembri demum præteriti anni, prima, eaque exigua, oſſiculi corrupti lamella, ex foraminulo prodiit, quam hactenus plures aliæ, parvulæ pariter, juxta cum duabus latiuſculis, ſed tenuiſſimis tamen, ſecutæ ſunt, puero jam ultra annum rectiſſime valente, petulanti, atque ad omnia prompto; pollet enim & memoria, & ad diſcendum, ut prius, aptitudine, occluſumque eſt, dum iſta in chartam conjiciuntur, vulnuſculum, rima autem frontis eadem, imo quaſi amplior tangitur, ſuo quoque, quem monſtrat, pulſu, conſpicua.

Si quæras, qua ratione coaluerit, repletaque ſit cerebri ablati cavitas? an caro ibi genita? An callus ſui generis? Nihil reſponſi loco accipies, cum vel ipſum hoc inter rariſſima vulneris hujus ſit, quod excuſſum fuerit cerebrum, oſſe iſto trapezoide, ſeu cranii effracti portione, in ſitum ſuum redeunte, conſpectumque cerebri læſi omnem aufferente. Novimus exempla paſſim proſtantia vulnerum graviſſimorum, etiam non ſine deperditione ſubſtantiæ cerebri, quæ inter Gœkelianum eminet, ſed poterat in iis conſpici cerebrum læſum, applicari remedia, removeri impedimenta, hic ſuſpenſo omnia gradu agenda erant. Patet vero hinc, quam neceſſarium fuerit apertum diu ſervare vulnuſculum, unicam ſaniei egredientis viam. Nec negandum tamen commodum, ab impedito cerebri læſi conſpectu enatum, os enim effractum, ac ſuo tamen redditum loco, aëri, deſtructori ac hoſti vulnerum, ulcerumque, præcluſit viam, appulſumque liberiorem ad interiora, hinc facilior à putredine præſervatio, ac læſi cerebri conſolidatio, concurrentibus balſamicis, magna induſtria ac dexteritate admotis.

Quid vero nunc ſperandum, quid metuendum puero noſtro? Monendus omnino eſt, ut cautius agat, nec obliviſcatur tam enormis cerebri læſionis. Subdola ſunt iſtiuſmodi mala, & occulta ſæpe poſt ſe relinquunt veſtigia, quæ periculoſe aliquando & ex improviſo poſſunt reviviſcere, graviterque lædere.

Mere-

Meretur eam in rem allegari attendique Illuſtris Hiſtoria Herois Wirtembergici Fortiſſimi, Sereniſſimi Principis Ferdinandi Wilhelmi, cujus æterna eſt ac pretioſa memoria; Hic enim in Obſidione Vivarini anno 1685. globo in fronte ictus, cerebro licet illæſo, trepanationem ſuſtinuit, curatoque licet, quoad licuit, vulnere, eo robore polluerit Princeps Imperterritus, ut per tot annos in Hungaria adhuc, Dania, Hibernia, Flandria, Belgioque, imo in Polonia, Podoliaque ac Holſatia geſſerit bella graviſſima, omnibus expoſitus tempeſtatum aëriſque ac victus injuriis, tandem tamen fatali hac læſione recrudeſcente, ereptum eſt terris tam nobile Cœli depoſitum; manſerat ſcilicet meatus aliquis in cicatrice apertus, per quem, annorum iſtorum decurſu, ſanies per intervalla exſtillavit, is fluxus ſalutaris ſubſtitit ſubito Jul. menſ. ann. 1701 hinc oculi inflammatio, lethargus, dehinc convulſivi motus, apoplexia, triſtiſſimaque tandem mors ſecuta eſt; aiunt vero, qui Sereniſſimum Principem familiarius norant, eum, admoto digito, locum priſtini meatus oſtendiſſe, ac monuiſſe quaſi adſtantes de occluſione fatali, ſed viſum tum fuerat DEO evocare hinc Principem Magnanimum, apparuitque poſt mortem, fiſſum olim ab ictu globi fuiſſe cranium, relictaſque oſſis quaſdam feſtucas acutiores, quæ forſan nunc demum pupugere meninges, ſeque ſaniei retentæ junxere; nec oſſeus, cranio læſo, callus olim ſuccreverat, ſed molliuſculum integumentum obduxit cerebrum, adnatis protuberantiis binis calloſis, exiguam nucem moſchatam æquantibus. Tamdiu tamen ſuſtinuit maximos labores, læſus tam graviter Princeps, ipſamque circumtulit ſecum læſionem, fatalem olim, lethalemque ſibi futuram. Adeo nuſquam tuta fides! ſed manum nunc ſumimus de Tabula.

FINIS.

VIII.

# DISSERTATIO
## *MEDICO-CHIRURGICA,*
DE
# VULNERIBUS CEREBRI
NON SEMPER LETHALIBUS.

*Quam Præside*

ANDR. ELIA BUCHNERO

ACAD. NAT. CURIOS. PRÆSIDE,

*Pro Doctoratu consequendo tuebitur*

JO. CHRISTOPHORUS TEUBELER

*RIGA-LIVONUS.*

Halæ 10. Julii 1750.

§. I.

DE istis *cerebri vulnerationibus*, quæ cum haud exigua subinde medullaris substantiæ jactura & detrimento conjunctæ deprehenduntur, sauciatis non solum superstitibus, sed, quod omnium maxime mirum, satis commodam etiam atque integram valetudinem aliquando recuperantibus, eademque ita fruentibus, ut quondam sibi consueta prompte expedire negotia valeant, expositurus, non inconsultum esse censeo, nec scopo nostro contrarium, breviter ante tradere, quam ipsam tractationis telam exordiar, *vulneris* nomine quid hoc loco designandum, & quousque illud extendendum? ne quid forte tacitus præteriisse arguar, quod præteriri non oportuisset. Quam enim incerta quamque instabilis vulneris nomini hæreat notio, nemini non facile liquebit, tum Chirurgorum, qui de re vulneraria, tum Medicorum, qui præsertim de medicina forensi aliquid memoria prodiderunt, libros adituro & consulturo, ubi illud modo latius, modo pressius & angustius acceptum inveniet. Namque qui de lethiferis læsionibus aliquid in publicum edidere, *vulneris* vocabulum usque eo dilatare sustinent, ut qualescumque quarumvis solidarum corporis partium, molliorum æque ac duriorum, læsiones, quomodocumque eis, sive cædendo, sive pungendo, sive contundendo, sive quacumque alia ratione illatas, hac voce complectantur, ut proinde minime mirum sit, præter proprie sic dicta vulnera, quaslibet partium læsiones, a foris violenter iis ingestas, velut contusiones, ossium fracturas, luxationes, aliasque hujus sortis, *vulneris* nomine ab his Auctoribus cieri [o].

§. II.

Ac tametsi quidem Chirurgis *vulneris* seu *plagæ* appellatio nequaquam tam latissime patet, quam illis, qui de vulnerum lethalitate quædam litteris consignata evulgarunt, sed pressioris omnino est & circumscriptioris ambitus: tamen nec horum eadem omnium est de vulnere definiendo sententia [p], quas si hic loci autumem omnes, ostensurus, quemadmodum istæ inter se dissideant, nimis longus sermo meus esset futurus. Variis ergo hisce notionibus, quas rei chirurgicæ scriptores, pro suo quisque ingenio, vulneris voci statutum & vindicatum iverunt, suo loco relictis, *vulnus* generatim ita trado definitum, quod sit *recens partium corporis solidarum, molliorum, utcumque sentientium, physica divisio, a corpore duro, qualitercumque acuto vel obtuso, violenter eis inducta, cruoris plus minusve semper fundens.* Hanc vulneris definitionem abunde sufficere cuicumque plagæ, ab omnibus aliis in corpore identidem obviis læsionibus, velut a contusione, ulcere, fractura, luxatio-

Q 2 ne,

[o] *Paul.* Zacchias Quæst. med. legal. Lib. V. Tit. II. Q. I. n°. 8. *Ioh.* Bohnius Exam. vuln. lethal. Sect. I. p. 21. 22. *Petr.* Gericke Differt. de vulner. renunc. Cap. I. §. II.

[p] Zacchias loc. cit. Illustr. Heisterus Chirurg. Libr. I. Cap. I. §. 2.

ne, cætera, nullo negotio dignoſcendæ, nemini non liquido appariturum exiſtimo, affectiones iſtas, quas cuilibet ſauciationi cruentæ ſemper perhibui hærere comites, collaturo cum illis, quæ contuſionum, ulcerum, luxationum ſunt & fracturarum oſſium. Facturus itaque, quod vix operæ foret pretium, mihi videor, traditam meam vulneris definitionem compluribus exemplis, uſquequaque vana velut atque adeo ridicula ſedulitate collectis, hic illuſtratum iturus.

## §. III.

At vero mirum forte cuipiam videri poſſet, me generis loco noſtra in definitione *phyſicam diviſionem* poſuiſſe, repudiato iſto & abdicato genere, omnibus rei chirurgicæ ſcriptoribus, & veterioribus, & recentioribus recepto, & huc uſque uſitato, quo omnem plagam uno ore dicunt eſſe *continui ſolutionem*. Sed ut breviſſime dicam, ideo mihi *diviſionis* vocem in *ſolutionis* locum ſurrogare placuit, quia ſolutionis nomen metaphoram redolet, ne iſtam logicam legem, ut omnes tropicæ definitiones a ſcientiis exulent, præcipientem, violaſſe viderer. Ne vero hæc diviſio, in vulneribus obvia, cum *logica diviſione* mutetur & permiſceatur, cogitate & conſulto huic verbo *ἐπίθετον phyſica* adjeci, quo liqueret facilius, qualem hic loci diviſionem velim intellectam, quandoquidem phyſica a logica diviſione mirum quantum diſſideat, quod planius pleniuſque expedire non foret ullius negotii, ſi tempus & inſtituti noſtri ferret ratio. Si quis vero ex me requiſiverit, *diviſio* quid in univerſum mihi denotet? is habeat, nihil aliud me hac vocula comprehendere, niſi *ſeparationem partium inter ſe unitarum*. Jam vero partes iſtæ unitæ, vel citra intellectus operationem exiſtunt, & unitæ compoſitum reale conficiunt; vel per ſolam dumtaxat intellectus operationem exiſtunt atque inter ſe unitæ finguntur. Hinc rectiſſime a Philoſophis *diviſio* in *phyſicam* & *logicam* diſtingui ſolet. Quiſque etiam, vel me tacente, perſpiciet, diviſionem hic non *ſubjective*, ut Philoſophi loqui amant, ſed *objective* tantum, a me accipi.

## §. IV.

Cum autem vulnerum non eadem ſit indoles & natura, ſed ratione partium, quibus inflicta fuerint, vel modi, quo incuſſa, aut quantitatis, qualitatis, temporis, quo in corpore perſtiterint, vel eventus, disjunctiſſima diverſiſſimaque; idcirco multis modis in chirurgico foro diſcerni conſueverunt. Primum igitur vulnerum diſtinguendorum argumentum ipſa illa Anatomes cultoribus ſolemni nititur corporis diviſione, qua illud in caput, collum, thoracem, cætera, deſcribere ſolent. Unde ab hiſce partibus generalioribus haud immerito in *vulnerationes capitis*, *colli*, *thoracis*, *abdominis*, cætera, diducuntur: a partibus vero ſpecialioribus, quibus inhæreſcunt, velut cerebro, pulmonibus, ſtomacho, aliiſque hujus cenſus, in *plagas cerebri*, *pulmonum*, *hepatis*, *inteſtinorum*, *lienis*, cætera, diſpeſcuntur. A partibus vero ſpecia-

ſpecialiſſimis, quibus ſubinde inſidias tendunt, nunc *vulnera nervorum*, nunc *vaſorum*, modo *tendinum*, modo *muſculorum* ſeu *carnium*, appellantur. Tum ab *inſtrumentis*, prout magis minuſve acuta fuerint, vel obtuſa, & ab ipſo inferendi modo, in *vulnera cæſa*, *puncta*, *contuſa*, *morſa* vel *plumbeis globulis inflicta*, diſcriminantur. Poſt a *quantitate*, in *magna*, *mediocria*, *parva*, *exigua*, *profunda* & *ſuperficiaria*, disjunguntur. Deinde a *qualitate*, & *ſymptomatum*, quibus ſtipata fuerint, *acerbitate*, in *vulnera ſimplicia* & *compoſita* ſeu *complicata*; *periculoſa* aut *minus periculoſa*, *venenata*, cætera, diſtribuuntur. Ab *eventu* tandem, ſeu exitu, qui ejuſmodi plagas manet ſeu excipit, in *medicabiles*, vel *inſanabiles*, item *funeſtas*, vel *non lethales*, diſpertiuntur. Ac profecto cum vulnerum tanta exiſtat varietas, quanta vix cuiquam credibilis eſt, nimis longum foret, univerſas ictuum ſeu plagarum differentias præſenti loco deinceps enarrare; neque attinet, cum non videam, quid id ad nos noſtrumque inſtitutum referat, innumerabiles fere cruentarum læſionum varietates ad unum omnes hic dinumerari, præſertim quod mihi ſit propoſitum, ea dumtaxat vulnera, quibus *cerebrum* aliquando conſauciari ſolet, hac diatribe expedire.

§. V.

Miſſis ergo cæteris vulnerum differentiis, eas tantummodo plagas, ex tanto hoc numero expromptas, hoc loco expendere, atque illuſtriore declaratione omnium oculis & mentibus ſubjicere conveniet, quæ, quod percuſſis interitum ſæpiſſime atque exitium afferre ſolent, *mortiferæ* ſeu *funeſtæ* vocantur, quippe quarum genuina indoles ut altius inſpiciatur & cognoſcatur, noſtra pluris intereſt; iis enim pro eo, ut convenit, perſpectis & cognitis, vix quicquam negotii & difficultatis erit dilucide expedire, quid cauſæ ſubſit, cur quidam ictus cerebro ingeſti vulneratum de medio ſemper tollere valent, aliis contra, qui itidem ἐγκέφαλον graviter lædunt, ſauciatum vivum ſoſpitem & ſalvum haud inſolenter relinquentibus. Noli vero a me recenſionem quorumvis lethalium vulnerum hic exſpectare, ut quæ omnia deinceps exponere neque vacat, neque paucæ Diſſertationis plagulæ ſuppeditant, nec unquam mihi in mentem venit; ſatis enim erit, hoc loco dumtaxat paucis expediiſſe, quæ violenta læſio, quamque ob cauſam ea *lethalis*, ſeu mortifera, cenſenda ſit? quo fini noſtro convenienter excuſſo, ex uſu quoque erit ante oculos conſtituere, quæ plaga ſit *periculoſa* exiſtimanda, & quid diſcriminis huic cum lethifera intercedat? quoniam in forenſi medicina nihil uſu evenire frequentius animadvertitur, quam ut lethiferæ percuſſiones cum periculoſis confundantur, ac multoties pro iiſdem habeantur; ſicuti quoque Medicinæ & Chirurgiæ doctis non inſolens eſſe aſſolet, *vulnera inſanabilia* cum *lethiferis* ita commutare, ut hæc inter declarare non dubitent, quæ immedicabilia dumtaxat eſſe obſervantur. Neque alienum propterea quoque erit, circumſcripte tantum & breviter oſtendere, *inſanabile* inter & *lethale vulnus* quid interſit?

## §. VI.

De vulneribus itaque mortem ſauciatis arceſſere valentibus exponere aggreſſurus, vix teneri poſſum, quin profitear & præ me feram, Auctores in definiendis non minus, quam præcipue dividendis vulneribus lethalibus, tantopere diſſidere inter ſe atque diſcordare, ut non adeo expeditum ſit & facile, tam varias tamque inter ſe diſſidentes eorum ſententias conciliare, quemadmodum id cuicumque patebit, monumenta eorum, quæ de hoc argumento litteris conſignata exſtant, evoluturo. Quamquam etenim plurimorum, quas de lethali vulnere tradunt, definitiones, ſi a paucis quibuſdam recentiorum diſceſſeris, omnes eo redeant, ut illud ejuſmodi in parte corporis ſolutionem unitatis eſſe perhibeant, quæ vel cum diſcrimine, vel ipſa vitæ jactura conjuncta eſt [q]; aut, BOHNIO dicente, quæ plus tendit ad mortem, quam ad evaſionem [r]: in mortiferis tamen plagis digerendis & dividendis ita alius ab alio diſſentiunt, ut cujus faveas partibus, jure ſis hæſiturus. BOHNIUS quippe, vulnera lethalia, quæ ſummum genus conſtituunt, diſpertiturus, diſtinguit in plagas *per ſe lethales*, & eas, quæ *per accidens mortiferæ* ſunt. Læſiones vero per ſe lethales novo diſcrimine ſeparat in eas, quæ ἐξ ἀνάγκης, ſive *de neceſſitate* vel *abſolute lethiferæ* ſunt, & quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ſeu *ut plurimum funeſtæ* exiſtunt [r]. Alii vero, quibus hæc lethalium percuſſionum diſtinctio minus probatur, eas in *plagas magis* & *minus funeſtas* diſcriminant [s]; aliis rurſus alia ratione exitiabiles plagas diſcernentibus. Quod ſi vero ſciſcitemur cauſam, quare tam ſumma tantos inter viros ſit diſſenſio in lethiferis hiſce læſionibus cum definiendis, tum dignoſcendis, vix mea quidem ſententia ſubeſſe videtur alia, quam quod non tam principium & fontem vitæ animalis, qui communi & conſentiente omnium medentium ſententia, & ipſa experientia loquente, perennis ille liquidorum vitalium in orbem qualiſcumque per cor ejuſque vaſa conſpectiora eſt motus, reſpexerint, quam potius varias conjecturas, ex partium corporis nobilitate, inflictorum vulnerum quantitate & qualitate, tempore ſubſecutæ mortis, inſtrumenti lædentis ſeu vulnerantis conditione, cœli ratione, ipſius vulnerati corporis prægreſſa conſtitutione, aliiſque id genus deductas, conſuluerint. Quid vero habeant argumenti hujuſmodi conjectationes in vulnerum lethalitate certo determinanda, cum id jam fuſius latiuſque alii ſint proſequuti [t], hic docere nihil attinet.

## §. VII.

Prius itaque ipſe fons, ex quo quarumvis plagarum lethalitas ἀμέσως atque

[q] Welſchius de ration. vulner. lethal. judicio, Cap. II. p. 6.
[r] Libr. cit. Sect. I. p. 28. & ſeq.
[s] Ammanus Medic. critic. Caſ. X. p. 114. Gerike Differt. cit. §. XVI. & XVII.
[t] Gerike Differt. cit. §. XXXVI. & ſeq.

que unice deducenda venit, nobis eſt circumſpiciendus, quam ad lethifera vulnera & definienda, & diſtinguenda, ingrediamur, quippe ex quo uno & ſolo depromenda eſt ratio, quamobrem quædam læſiones vulnerato ſimpliciter & neceſſario interitum afferant, aliis contra eumdem dumtaxat ex accidente jugulantibus & vita privantibus? At vero non eſt, quod hunc fontem detectum longe abeamus, ſana ratione, haud ſane ficulneis experientiæ fulcris ſubnixa, ſatis arguente, ſolum ſanguinis per cordis & vaſorum majorum & maximorum alveos circuitum, quali modocumque & quantulocumque perennantem & perſeverantem, animalis vitæ fontem & caput eſſe. Sicuti enim ſingulas quaſque corporis partes organicas tamdiu ſua ipſius vita uti fruique deprehendimus, quoad purpurea liquida orbico qualicumque motu per earum canales ſpectatiores fuerint agitata: ita quoque mortalibus totius corporis vitam ſemper tamdiu ſupereſſe comperimus, dum ſanguinei latices per cordis ventriculos & conſpectiores ac maximos ei appenſos tubos quoquomodo provolvuntur. Nihil itaque dubii eſt, quin ſolus hic vitalium fluidorum per cordis compluvia & vaſorum cava motus, ſuum quacumque quamvis celeritate aut tarditate orbem conficere pergens & perſeverans, unice vera & certa principia ac fontes univerſorum vulnerum lethalium æſtimandorum & dijudicandorum, judicium de iis laturo ſuum, ſuppeditare valeat. Nullum quippe vulnus, per ſe ſpectatum, lethale dici poteſt, niſi ad jacturas & detrimenta, quæ ſanguinis circulus indidem fecerit, ſemper exigatur & ponderetur.

§. VIII.

Verum enim vero cum itidem obſervationum fide perſpicuum ſit, interque omnes medicæ ſcientiæ doctos abunde conſtet, ſanguinem, utpote per ſe omni progreſſivo motu carentem, ab iis tantum ſolidis partibus, quæ ipſum coërcent & complexu ſuo ἀμέσως continent, ad profluum impelli motum inque orbem concitari: ipſa luce clarius cuivis inde appariturum cenſeam, ad humorum ſanguineorum per cor & vaſorum alveos perpetuum circulum, tum expediendum, tum conſervandum, dictarum partium actiones uſque adeo eſſe neceſſarias, ut, his a ſuo movendi munere vacantibus & feriantibus, omnino vitalibus liquoribus in corde & vaſorum alveis plane ſubſiſtendum ſit, hocque pacto ſenſim pedetentimque putreſcendum, quo eveniente, de mortalium vita foret actum. Jam vero cum tantus ſit functionum commemoratarum partium uſus, tantaque ad ſanguinis circulum perpetuandum (in quo uno animalis vitæ cardo vertitur) neceſſitas: nemini non erit indidem ſpectatiſſimum, fieri non poſſe, ut vita homini ſalva ac diuturna maneat, hiſce partibus undelibet & utcumque ita læſis, ut ſua exſequi munia, & vitalia liquida tam coërcere, quam in profluum motum concitare, amplius nequeant. Hinc quoque eſt, cur Medico, de vulnerum lethalitate judicium laturo, nunquam non harum functionum vitæ neceſſariarum ratio omnium potiſſime habenda eſt.

§. IX

§. IX.

Neque diſſimulandum mihi eſt, præter aliquos antiquiorum, ex recentioribus quoque eſſe, qui de lethiferis percuſſionibus tradentes, ejuſdem, cujus nos, ſunt ſententiæ, diſerte pronunciantes, in judicio, de vulnerum tum periculo, tum lethalitate, ferendo, Medici filiis nihil quicquam prius, nihil antiquius eſſe debere, quam ut partium corporis neceſſitatem, qua ad vitam impetrandam & conſervandam utuntur, ſemper reſpiciant, quippe ex qua vulnerum lethalitas ad unum omnium maxime æſtimanda eſt [u]. Ut vero ad ſanguinis redeam circuitum, quem ſine partium vitalium actionibus peragi nequire perhibui, haud ſatis eſt ad hunc vitalem motum continuandum, ut cordis machinæ vaſiſque ei adnexis, cum cæteris partibus corporis, quæ magnam hujus circularis humorum motus partem ſuo quaſi jure ſibi ſuam vindicant, vel ut pulmonibus, diaphragmati, aſperæ arteriæ, cætera, ſua ſit integritas atque incolumitas; ſed neceſſe eſt, ut iſtæ etiam partes corporis, quæ fons & ſcaturigo virium exiſtunt motricium, ſicut cerebrum cum ſpinali medulla & nervis, ab iis ad corporis quæque viſcera pertingentibus, ea ſint conditione, ut liquidum illud nervorum, quod in cerebro continenter a ſanguinis conſortio ſejungitur, & ſuo per nervos in corporis partes influxu, hiſce tum ſenſus, tum motus cauſa exiſtit, indidem per nervos viſceribus vitalibus tanta certe copia ſubſidio mitti queat, quanta dictis partibus motu ita ciendis & agitandis ſufficit, ut ſanguinem per cor ejuſque annexa vaſa circumagere valeant.

§. X.

Enim vero non ſufficit ſanguinis progreſſivo motui peragendo & tuendo, ſolidas corporis tantum partes ſuo munere fungi; ſed neceſſe etiam eſt, ut vitalium liquidorum tanta præſto ſit copia, quanta ſanguinis circulo utcumque peragendo & continuando neceſſaria. Aſt fluidorum quantitas bifariam imminui poteſt, ſi vel large & copioſe ex læſis ſeu diſciſſis vaſis profunduntur; vel ſi vaſorum quidem alveis non exciderint, nihil tamen novi liquidi per ductum thoracicum mari ſanguineo refunditur, inque locum detriti & diſperditi ſurrogatur, quo caſu vitalium liquidorum juſta copia non poteſt non ſenſim ſenſimque decreſcere. Tota vero ſanguinis maſſa, hoc modo in dies diminuta, ſicque temporis longinquitate ad eam redacta paucitatem, ut vaſis neque replendis, neque dilatandis, ut par æquumque eſt, ſufficiat, nec tamen unquam ullo quodam novo chylo accedente rurſus inſtaurata & refecta, nihil dubitationis eſt, quin ſanguinis in orbem motus ſit omnino ceſſaturus atque interiturus.

§.

[u] Gerike Diſſert. cit. Cap. III. §. 65. & 66. Boerhaavius Aphor. §. 150. & 170. Commentator ejus Illuſtr. *van* SWIETEN in §. citat.

## §. XI.

Eo igitur jam ſtabilito & fixo, ſanguinis circulum unicum eſſe fundamentum & principium cognoſcendi ac decernendi, utrum vulnera ſint lethalia, nec ne? noſtrum erit, definitione quadam omnium mentibus & oculis ſubjicere, ut, quam teneamus lethalis plagæ notionem, cuivis liqueat. Tanto autem magis generalem mortiferæ ſauciationis definitionem præſenti loco exhiberi neceſſe duxi, quanto frequentius rei medico-legalis conditores in diverſum abeunt, funeſtas læſiones definitas traditurі; quippe quorum plerique eas non tam *ex conſtitutivis*, ut Φιλοσόφως loquar, ſed *ex conſecutivis* dumtaxat definiunt. Eſt vero mihi in univerſum *lethale vulnus* id, *quod ſolidas corporis partes ita deſtruit, ut ſanguinis per cor & vaſa corporis conſpectiora circulus neceſſario deſinat.* Cum vero hac in definitione perhibeo, neceſſe eſſe, ut ſanguinis motus ceſſet; tum *abſolutam*, tum *reſpectivam neceſſitatem* hic velim intelligi. At vero corporis partes firmæ vel ita deſtruuntur, ut vitalium liquidorum per cor & vaſa motus, artis tempeſtive ſubvenientis auxilio, rurſus expediri ſicque in circulum reduci queant; vel ita evertuntur, ut ſanguinea fluida, circulari motu deſtituta, non ſane ullius, neque naturæ, neque artis, quamtumvis citatiſſime ſuccurrentis, opera in profluum motum redigi poſſint: hinc lethalia vulnera juſtiſſima ratione dividi poſſe cognoſces, in *vulnera per ſe* ſeu *ſimpliciter & abſolute*, vel, ſi malueris, *ex neceſſitate lethifera*, & in ea, quæ *reſpective* ſeu *per accidens mortifera* ſunt.

## §. XII.

*Vulnus* igitur *ſimpliciter & abſolute*, ſive *per ſe*, vel *neceſſario* (quæ mihi συνώνυμα ſunt) *lethale*, eſt, *quod ſolidas partes ita diruit, ut ſanguinis per cor & vaſa ei annexa circuitus omnino ceſſare debeat, nec ulla naturæ & artis ope reſtitui & conſervari queat. Vulnus* vero *ex accidente lethale* eſt, *quod ſibi relictum ſanguinis quidem per cor vaſaque corporis motum tollit, ſed ita, ut naturæ & artis auxilio redintegrari & conſervari poſſit.* Vel, ut brevius dicam, *abſolute lethale vulnus* eſt, *quod ſanguinis per cor & vaſa tollit motum, admodum nihil ullo modo vel arte revocabilem aut conſervabilem: per accidens* vero *lethale* eſt, *quod ſanguinis quidem aufert circuitum, arte tamen revocabilem aut conſervabilem.* Videas itaque hic vulnerum per accidens & per ſe lethalium definitiones, quibus nihil obſcurum, nihil a veritate alienum ineſt, quæ ab ipſo animalis vitæ fiendi principio & fonte, qui communi omnium Medicorum conſenſu ſanguinis eſſe fertur circulatio, deductæ ſunt. Neque cuipiam crediderim inſolens viſum iri, *vulnera* me *lethalia* dumtaxat in *ſimpliciter & abſolute*, ſeu *per ſe talia*; & *ex accidente mortifera*, diſpeſcuiſſe, aliis tamen plures lethalium percuſſionum & ſubdiviſiones, & ſubalternas diviſiones, comminiſcentibus. Verum enim vero ex recentioribus jam multi cognovere, vulnerum lethiferorum plures, quam id fieri neceſſe ſit, differentias ab an-

tiquioribus Chirurgis & Medicis fuiſſe, ſine ulla urgente neceſſitate, excogitatas, quarum exiguus, ſi forte ullus, eſt in vulnerum renunciatione uſus; juſtiore autem ratione mortiferas diſtingui poſſe plagas in eas, quæ *per ſe, ſimpliciter & abſolute*, ſive *ex neceſſitate* læſum interficiunt, & iſtas, quæ *ex accidente* dumtaxat eumdem interimunt, quemadmodum id non minus docte, quam præclare demonſtratum dedit, Vir omni laude major & felicior, Illuſtris atque Excellentiſſ. Dn. ALBERTI [x]; cui nec multum abludit BOERHAAVIUS, itidem lethiferas ſauciationes tantum diſpertiens in eas, quæ inevitabili neceſſitate jugulant, atque illas, quæ per accidens mortis cauſa exiſtunt [y]. Quocirca cum jam tanti nominis Viri mihi hac in diſtinctione præiverint, nemini mirum videbitur, illorum me veſtigiis inſtitiſſe in funeſtis læſionibus diſcriminandis.

## §. XIII.

Perſpectis itaque vulneribus mortiferis, quoad id fieri oportuerit, commodum quoque erit nec a propoſito noſtro alienum, breviter oſtendere, qui *periculoſæ læſiones* a *lethalibus* diſſideant, utpote quas crebro Auctoribus promiſcuas haberi & confundi, pluries comperimus, cum tamen immenſum quantum inter ſe diſcrepent. Vulnus enim cum maximo quidem conjunctum eſſe diſcrimine poteſt: propterea tamen illud extemplo haud lethale cenſendum, vulgari experientia quotidie innumeris documentis confirmante, mortalium quam plurimos, periculoſiſſimis ſubinde plagis vulneratos, ſuis ex vulneribus feliciſſime convaleſcere. Quid enim cenſes *vulnera* iſta, *ut plurimum lethalia* dicta, in legali Medicina aliud ſibi velle, niſi quod *ſummi* ſint *periculi* tamque ancipitis eventus, ut æque facile, quin imo crebrius, in mortem ac ſalutem contendant. Eſt vero periculoſum vulnus illud, quod ob ſymptomatum, quibus ſtipatum eſt, multitudinem & gravitatem, incerti eſt atque ancipitis exitus. Comparaturus itaque cum hac periculoſæ læſionis definitione illam, quæ a doctiſſimis Viris de vulnere utplurimum lethali memoriæ prodita eſt [z], nihil diſcriminis huic vulneri frequentius mortifero intercedere cum periculoſa plaga, deprehendet; cum tamen diſpar & diſſimilis utriuſque hujus vulneris ratio eſſe fertur.

## §. XIV.

Præter hanc periculoſi & lethalis vulnerum confuſionem, Æſculapii filiis haud ſane inſolentem, *mortifera* quoque vulnera *inſanabilibus* perſæpe confundi obſervantur, quorum disjunctiſſima tamen itidem eſt ac diverſiſſima ratio: ſunt enim aliquando quædam vulnera, quæ nihil omnino unquam con-

[x] Juriſprud. medic. Cap. XIV. §. V.
[y] Libr. cit. § cit.
[z] Welſchius Libr. cit. Cap. II. pag. 20. Ammannus libr. cit. Caſu XLIX. pag. 310.

consanescunt, salva tamen vita satisque longa, quid? quod, ad decrepitam subinde ætatem perducta, manente. Possem omnino magnam vim & copiam ejusmodi vulnerum, per omne ætatis tempus patentium, nec ulla arte unquam sanabilium, quorum plurima in monumentis observatorum occurrunt exempla, recensere, quæ hoc testatum faciunt, si mihi vacaret esse longiori in rebus apertissimis. Sicut unum alterumve dumtaxat in medium adducam, *Corn. van* SOLINGEN sua ipsius observatione deprehendit, vulnera ea frontis ossi inflicta, quæ in sinuum frontalium recessus penetrant interiores, nullo ætatis tempore ad cicatricem venire, sed aperta semper & hiulca relinqui, remediis quamtumvis optimis quibusque in usum vocatis [a], cui alter testis, *Joan.* MUYS, accedit, *Corn.* CELSI auctoritate subnixus, similiter docens, plagas commemoratis sinibus ingestas vix umquam coalescere, verum in ulcus abire immedicabile [b]. Nec dissimili fere ratione sunt ista abdominis vulnera, ubi, monumentis historiarum & observationum medico-chirurgicarum loquentibus, extremitates dissecti cujusdam intestini, admirando naturæ beneficio, cum vulneris externi, in abdominis musculis obvii, oris ita concrevisse leguntur, ut sauciati per propatula hujusmodi vulnera alvi feces postea, toto suæ vitæ spatio, reddiderint [c].

## §. XV.

Quæ cum ita sint, nemini dubium arbitrer esse futurum, quin *mortiferæ plagæ* ab *insanabilibus* quam plurimum dissideant. Neque vero alienum erit, *immedicabile vulnus* paucis hoc loco explicare. Quo autem illud clarius intelligatur, e re nostra erit oppositum illius, quod *sanabile* est *vulnus* prius definire. Verum enimvero nec hoc cognoscere expeditum erit, nisi ante perspectum habeamus & cognitum, quomodo cujuslibet vulneris parietes, quanto etiam cumque hiatu inter se distent, rursus conglutinati solidescant. Experientiæ fide exploratissimum hodie est, hiantia cujuscumque vulneris labia inter se conjungi, dum dissecta quæque vascula in vulneris cavo usquequaque, tum ab imo, tum ex omni ejus ambitu, renata ac sensim pedetentimque extenta seu porrecta, inque plures ramulos explicata, inter se aliud alii, proxime sibi obviam venienti, committuntur & conjunguntur, ut proinde non amplius illud dubitetur, quin hæc recens vulneris parietibus internata moles, Chirurgiæ doctis *caro* & dicta, & credita, mera sit congeries innumerabilium canaliculorum, sub purulento vulneris liquamine paulatim undique succrescentium. Nostræ vero huic sententiæ nihil ficti & commentitii inesse, sed rem ipsam ita ferre, jam Viri doctrina & scientia medicæ artis facile principes, sensuum fide & testimonio nitentes, demonstratum iverunt; ex

 quibus

[a] Handgriffe der Wundartzney, Cap. VI. p. 38.
[b] Prax. rational. chirurg. Decad. V. Observ. 1 pag. 222. & Podalir rediviv. p. 357.
[c] Bohnius ex Plateri observat. l c. p. 27. *Abrah.* Vaterus Differt. de Vuln. in intestin. lethalit.

quibus unum dumtaxat, qui nobis instar omnium sit, Illustr. *van* SWIETEN, testem citare liceat, ut qui suismet oculis, conspicillo adjutis, ejusmodi vascula, in vulneribus copiose pullulantia, usurpavit [*d*]; cui si usus esset, plures alios similis fidei & integritatis addere testes possem.

## §. XVI.

Verum enim vero dubium forte cuidam relinqui posset, an quoque in hujusmodi renatis & resectis vasculorum tubulis sanguinea liquida postmodum perinde, atque ante eorum excidium, orbico motu circumvolvantur? At nullus vereor vel hoc affirmare, eodem laudato Auctore haud sane obscuris verbis innuente, expeditissimum esse in illo muco, quem regerminantia hæc vascula præ summa teneritate & mollitie referunt, in vulneribus consanescentibus obvio, si microscopiis lustraretur, arteriolarum motum manifesto deprehendere [*e*]. Quid, quod ipse in ossibus tarsi, carie affectis, quæ terebello, Bellostiana methodo, hinc illinc leviter dumtaxat efforata, copiosos vasorum surculos ex se regenerarunt, vascula hæc evidenter micare suosque systalticos & diastalticos motus alternare vidit [*f*]. Quibus ergo, quam brevissime fieri potuit, præstructis, *sanabile vulnus* ita definiendum duco, quod sit vulnus, *cujus destructa vasa naturæ vel artis beneficio redintegrari & cicatrice claudi queunt. Immedicabile* contra dicitur, *cui deperditorum vasorum strues unquam resarciri & cicatrix obduci non potest.* Hactenus fuit, quod de vulneribus lethiferis a me prius ostendi oportuit, quam ad id, quod caput rei est, explicandum devenire expediit, quo clarius posthac indidem diluceret, complures cerebri læsiones periculi esse quidem plenas, non tamen propterea illico funestas declarandas.

## §. XVII.

Quoniam igitur satis superque de vulneribus, generatim consideratis, disseruisse mihi videor, operæ etiam pretium erit ipsam istam, quæ hujusmodi ictus calamitatis excipit, corporis partem, quæ *cerebrum* est, leviter transire & tantummodo perstringere, quippe ex cujus natura & conditione potissime atque adeo unice erit ratio petenda, cur ejus percussiones, aliam alia periculosiores magisque mortiferas, deprehendamus. Prout enim inflicta vulnera nobiliores, præstantiores & ad vitam sartam tectamque tuendam magis necessarias, cerebri particulas disturbaverint ac diruerint, certiores quoque mortalium capiti impensuras esse ruinas, quisque haud ægre perspiciet: quod si vero eas dumtaxat cerebri partes, quarum ad vitam custodiendam non tanta quidem fuerit necessitas, permagnus tamen & necessarius ad sensuum exercitationes usus, perculerint ac de suo statu dejecerint, vix quicquam erit negotii

[*d*] Commentar. in Boerhaavii Aphor. Comment. in §. 253. & in §. 158. n. 9. Garengeot Chirurgia practica Cap. II. §. VII & seq.
[*e*] Libr. & loc. cit.
[*f*] ibidem.

gotii cognoſcere, eſſe futurum, ut illi ſenſus, quorum integritas incolumitate harum partium nititur, jacturam faciant ac detrimentum. Eo autem breviores in ſtructura cerebri expedienda ſumus futuri, quo uberius ea ac fuſius explicata in Anatomicorum libris legi poteſt, ne præter neceſſitatem hic aggerere velle videamur, quæ iſthic, veluti ſuis ex fontibus, & copioſius, & dulcius hauriri queunt.

## §. XVIII.

Quæ corporis humani pars *cerebri* nomine appellari ſoleat, & in quo corporis ventre illud collocatum ſit, cum uſque adeo vulgaris ſit notitiæ, ut nec lippis, ut in proverbio eſt, & tonſoribus illud ignoretur, operam luſurus viderer, in re omnibus nota pluribus moraturus: pluris vero noſtra intereſſe videtur, ut ſtatim in ipſo operis aggrediendi limine lectoribus præcipiamus, *cerebri* nomen non ſemper ejuſdem eſſe ſignificationis, ſed nunc *laxius* latiuſque, nunc vero *preſſius* intelligi & anguſtius, de quo proinde, cum in noſtros cedat uſus, paucula quædam ſubnectere non abs re erit. *Cerebrum* itaque *latiori ſenſu ſumptum*, Anatomes peritis omnem illam mollioris texturæ molem denotat, quæ in cranii interioribus quibuſque recondita receſſibus, atque extrinſecus binis involucris, *matribus* ſeu *meningibus* vocatis, ἀμέσως contecta, delitescit; quæ igitur & cerebrum proprie ſic dictum, & cerebellum, & oblongatam complectitur medullam: ſtrictiori vero & *proprio ſignificatu* acceptum *cerebri* vocabulum iſta dumtaxat comprehendit gemina ſpectatioris molis corpora, duobus hemiſphæriis non multum abſimilia, calvariæ oſſibus & craſſa meninge ablatis, continuo oculis intuentibus obvia, quæ lobis ſuis anterioribus illi parti oſſis frontis, quod utriuſque oculorum orbitis pro laqueari eſt, incumbunt; poſterioribus vero ſepto duræ matris tranſverſo, vel, ſi magis tibi arriſerit, cerebelli tentorio innituntur; mediis tandem lobis iſti baſeos calvariæ regioni inhærent, quæ petroſo oſſium temporum proceſſui & fiſſuræ orbitariæ ſuperiori interjecta conſpicitur. Nobis hic pro noſtro ſcopo, utpote de iſtis cerebri percuſſionibus, quæ ſine vitæ diſpendio, nec raro ſine ſanitatis detrimento, vulneratis evenerunt, loquuturis, ſatis erit tantum breviter ſignificaſſe, cerebri vocem præſenti loco nobis tam late patere, ut *cunctas in calvariæ interioribus concluſas partes*, id eſt, *cerebrum proprie ita nominatum*, *cerebellum* & *oblongam medullam*, eo ſemper velim intellectas.

## §. XIX.

Quod proinde ad ipſam cerebri attinet *texturam*, noto notius eſt, eam in *exteriorem* ſeu *corticalem*, quæ, quod cineracei coloris eſt, *cineritia*, vel magis latine *cinerea* quoque appellatur, & in *interiorem*, ſeu *medullarem*, quæ albi eſt coloris, rectiſſime diſtingui. Exterior, ſeu corticalis hæc ſubſtantia, duas circiter lineas, in cerebro ſtricte dicto, craſſa, medullarem ſuo complexu coërcens & continens, admodum ſinuoſis flexibus & anfracti-

bus, qui ab inteſtinorum voluminibus & gyris parum abludunt, adornata eſt: medullaris vero ſubſtantia, quæ cortici incluſa hæret, itidem perquam flexuoſos fingit tractus, qui in cortice velut demerſi ſunt. Quæ vero hujus corticis ſit ſtructura, inter Anatomes doctos non convenit. MALPIGHIUS eum ex meris glandulis conſtare & ſibi, & aliis perſuaſit; RUYSCHIUS autem, anatomes ſtudio in majus & melius provehendo velut natus, omnium primus dedit demonſtratum, eumdem ex omni ſtupendæ exiguitatis & teneritatis vaſculorum varietate eſſe concinnatum, quæ artificioſis ſuis injectionibus efferta, hacque via adſpectabilia reddita, omnium oculis objecit clariſſime ſpectanda [g]. Cui poſtea omnes propemodum recentiores, velut VIEUSSENIUS, BOERHAAVIUS, *de* HALLER, HEISTERUS, HOFFMANNUS, BERGERUS, aliique aſſenſum præbuerunt.

## §. XX.

Verum enim vero tenerrimi hi vaſorum ſurculi, quibus Deus mortalibus corticem cerebri tam affabre, tam admirabiliter voluit fabricatum, ſunt propagines eorum vaſorum, quæ abundantiſſime per tenuem meningem diſſeminata deprehenduntur, quippe quæ membrana corticem hunc ἀμέσως inveſtiendo, in quoſque ejus ſulcos ſe recipit [h], ubi incredibilem ramulorum tenuiſſimorum, rubicundis globulis non amplius perviorum, ſed ſeroſis, lymphaticis aliiſque ſubtilioribus dumtaxat patentium, vim ac molem per corticalem diſtribuit ſubſtantiam, & admirabili ordine diſponit. Exterior vero piæ matris lamina, a ſumma tenuitate, telis aranearum proxime accedente, ἀραχνοειδὴς dicta, commemoratos corticis ſulcos non ſubiens, eas ſuperſcandendo inter ſe connectit. Univerſæ hæ vaſorum ſoboles, quas a pia matre in corticalem propagari ſubſtantiam tradidi, ad unum omnes ex ramis arteriarum carotidum interiorum & vertebralium oriuntur, quæ cranii baſim, ſuo quæque peculiari foramine, ingreſſæ, inque ramos deinceps ſenſim ſenſimque minores explicatæ, dictam membranam innumerabili vaſorum copia locupletant [i]. Quæ igitur cuncta, hactenus a nobis de corticis cerebri fabrica allata, cum tam ſint aperta, tam perſpicua, tantique Viri obſervationibus creberrimis teſtatiſſima, nulli veremur cortici cerebri mere vaſculoſam aſſignare texturam, cujus canaliculi cum uſque adeo ſint exigui & teneri, ut expedite ſua ſponte colliqueſcant; minime mirum videri poteſt, eos *vaſcula ſuccoſa*, ſeu *pulpoſa* vel *tomentoſa*, RUYSCHIO nominari.

§.

[g] Epiſt. anatom. problem. XII. Theſaur. animal. I. repoſ. III. No. XIX. Theſ. anat. II. aſſer. VI. No. VIII. & XIII. Theſ. anat. III. aſſer. II. No. XXXIII. Theſ. VI. No. I. & aſſer. II. No. LXXIX.

[h] Ruyſchius Epiſt. anat. VII. Tab. 8. fig. 2.

[i] Ruyſchius Epiſtol. anat. IX. Theſaur. anat. II. aſſer. VI. No. VIII. Theſaur. anat. III. aſſer. II. No. XL. Theſaur. VI. aſſer. II. No. LXXIX.

## §. XXI.

Quamquam vero recentiores Anatomicorum de vasculosa corticis cerebri compage uno velut ore inter se concinunt & concordant; de medullaris tamen substantiæ contextu summa inter eos etiamnum esse animadvertitur dissensio. Etenim etiamsi ista ab omnibus *fibrata*, seu innumerabili fibrarum multitudine confecta esse celebretur & contexta; tantum tamen abest, ut universi candidas hasce fibras existiment cavas esse & liquido cuidam pervias; ut contra haud pauci eas omnino impervias solidasque declarent. Verum enim vero cum ipsa αὐτοψία dilucide appareat atque exstet, substantiam medullarem, quæ cerebri penetralia occupat, cortici nullo interjecto medio continuam, ejusque plicis seu anfractibus innexam atque adeo defixam esse, perquam consentaneum est, eam e cortice enasci, nec istas, quarum copia abundat, fibras quicquam aliud esse, nisi ipsa illa corticalis substantiæ vascula, haudquaquam in cœca atque impervia stamina densata & solidata, sed in apertos & permeabiles tubulos, istis vasculis, a quibus exorta sunt, multo tenuiores & graciliores, abeuntia, quæ prima omnium nervorum primordia sunt. Nec sane arduum esset id pluribus iisque gravissimis demonstratum dare argumentis, si temporis & instituti ratio id ferret.

## §. XXII.

Qua autem ratione adductæ modo fibræ medullaris substantiæ, quas canaliculos tantæ prædicavi teneritudinis esse & parvitatis, quantam capere non sane unquam ullius ingenii est, inter se collectæ & ordine compositissimo digestæ, sic dictum ovale centrum VIEUSSENII, corpus callosum, cætera, constituant, cum hæc a nostro incepto sint alieniora, nec, quid lucis dicendis allatura, mihi appareat, dedita opera omitto, ne longius provehar, quam Dissertationis limites permittant. Quocirca illius tantum hic meminisse conveniet, universas illas medullæ cerebri fibras, sensim ac pedetentim undique in unum congestas, in ita nominata *crura medullæ oblongatæ anteriora* desinere, ubi, in exiguos congregatæ fasciculos, prima velut rudimenta & primordia nervorum constituunt. Neque illud silentio hic loci prætereundum mihi videtur, quod præter ista vasa, quæ e pia matre in cerebri corticem copia contendunt abundantissima ad eum conficiendum, ingens alius quoque insuper ductuum sanguineorum deprehendatur numerus, qui inter ipsas medullaris substantiæ fibras innumeris locis disperse feruntur [k], nec ullum aliud commercium, neque cum cerebri cortice, neque medulla, habere videntur, præterquam quod calori & nutritioni servandis inserviant [l].

§.

[k] Illustr. de Haller Libr. & volum. cit. not. a ad §. CCLXVI. Morgagnus Adverf. anat. Adverf. VI. Animadv. XV.

[l] Boerhaavius in Prælect. academ. §. CCXXXVI.

## §. XXIII.

Perſpectis itaque cerebri anguſtius intellecti hemiſphæriis, quoad id fieri neceſſe fuit, res, tempus, ordo & propoſitum exigere videntur, ut *cerebellum* quoque paucis percurramus. Occultatum illud hæret in oſſe occipitis, ſub tranſverſali iſto duræ matris ſepto, poſteriores cerebri lobos ſuſtinente, & magnitudine cerebro longe eſt inferius. Neque exterior ejus ſuperficies tam laciniosa eſſe ſeu ſinuoſa conſpicitur, quam cerebri; ſed videtur potius ex compluribus concinnata eſſe lamellis, quarum alia alii velut incumbit. Et quamvis ſimiliter, ut cerebrum, ex cineritia ſeu corticali, & candida ſeu medullari, ſubſtantiis ſit coagmentatum; notatu tamen omnium præcipue dignum eſt, corticalem cerebelli ſubſtantiam, ſi ad copiam iſtius corticis, qui cerebri eſt, exigatur atque expendatur, longe multumque quantitate antecellere medullari cerebelli ſubſtantiæ. Quæ proinde ſupra de vaſculoſo corticis cerebri contextu ad ſatietatem explicata leguntur, ea quoque omnia in cerebelli exteriorem conveniunt ſubſtantiam, utpote quæ pariter, ac cerebri, ſolis vaſorum ſanguiferorum ramulis iiſque minutiſſimis, miro opere contexta eſt. Ab hac corticali ſubſtantia cerebelli exoritur perinde, ac de cerebro conſtat, ſic nominata *medullaris*, quam, ſi cerebri medullæ æquaveris, hic intuitu corticalis ſubſtantiæ multo exiguiorem perſpicies. Nec quicquam dubii eſt, quin pari modo, atque cerebri medulla, innumerabilibus ſummæ exilitatis tubulis compacta ſit, qui paulatim in ſpatium arctius compulſi, tandem utrobique in unum adſpectabile corpus confunduntur, quod in oblongatam cedit medullam: & hæc ſunt iſta cerebelli corpuſcula, quæ *crura medullæ oblongatæ poſteriora*, vel aliis etiam *pedunculi cerebelli* nominantur. Quemadmodum vero hi pedunculi tribus diſtinctis conſtent proceſſibus, & quorſum iſti ferantur, hoc loco exſequi neque attinet, neque vacat, cum nec, quid fortaſſis emolumenti indidem ad nos venturum ſit, ſentiam. Quare vel hac cerebri parte miſſa, ad ipſam *medullam oblongatam*, tanquam incunabula omnium, qui intra calvariam proveniunt, nervorum, ingrediar breviſſime colluſtrandam, ne noſtra cerebri contemplatio manca ſit atque inchoata, ſed fini noſtro atque inſtituto convenienter expleta. Tanto autem magis eam hic explicatam tradi conducet, quanto ingentioris & ſpectatioris uſus & neceſſitatis, ad vitam mortalibus cuſtodiendam, eſſe cognoſcitur: eo quippe, quoad id fieri neceſſe fuerit, perſpecto & cognito, minus erit negotii determinare, cur quædam vulnera, cerebro incuſſa, ſauciatis mortem, niſi ſemper inferant, certe tamen ſæpiſſime intentent?

## §. XXIV.

Candida hæc maſſa, quæ ſubter cerebri & cerebelli lobos conſpicitur locata, nihil aliud eſt, niſi omnium iſtorum tubulorum ſeu fibrarum congeries, quibus tum cerebri, tum cerebelli utramque medullam confectam eſſe

&

& contextam ſupra perhibui. Univerſa enim cerebri medulla, in arctum paulatim coacta, duas velut cylindraceæ figuræ columnas, *crura medullæ oblongatæ anteriora* dictas, noſtris oculis offert ſpectandas & arbitrandas, quæ in unum coëuntes, & ad magnum oſſis occipitis foramen pergentes, ibi ſtatim, ubi inter ſe conjunctæ deprehenduntur & copulatæ, pedunculorum cerebelli amplexu circumplicantur [*m*], ita ut, ſi cerebrum ſpectes inverſum, anteriora medullæ oblongatæ crura ſub hunc pedunculorum cerebelli proceſſum ſeu tractum medullarem progrediantur, ſicut amnis quidam ſub pontem ſibi impoſitum ſubterfluit. Et hæc ſimilitudo, qualiſcumque eſt, VAROLIO locum feciſſe videtur, hanc medullæ oblongatæ partem *pontis* nomine appellandi: quemadmodum contra WILLISIUS, alia ratione inductus, eamdem *protuberantiæ annularis* nomine maluerit deſignatam. Oblonga hæc medulla, quæ, ad dictam oſſis occipitis aperturam pertingens, in ſpinalem definit medullam, maximam partem, ſi ab aliquibus ejus partibus, in quibus omnino aliquid ſubſtantiæ corticalis, medullari intertextæ, oculis obvium eſt, velut a corporibus ſtriatis, thalamis nervorum opticorum, cætera, diſceſſeris [*n*], ex illis fibris ſeu canaliculis medullæ tum cerebri, tum cerebelli, coagmentata eſt atque excitata, qui in faſciculos collecti & congregati, germanæ & veræ omnium iſtorum nervorum, quos cerebrum ex ſe generat, radices ſunt.

## §. XXV.

Quemadmodum enim quilibet nervus nihil aliud eſt, niſi congeries ſeu multitudo innumerabilium filorum, vel, ut verius dicam, canaliculorum, in unum faſciculum compacta, quæ duræ ac piæ matrum productionibus arctiſſime conveſtita, inque corpus tenue & oblongum candidi coloris formata, a cerebro aut ſpinæ medulla ad quaſque corporis partes pertingit, ut eis ſentiendi & movendi vim ſubminiſtret: ita quoque nihil aliud iſti eſſe advertuntur nervi, qui natales ducunt ſuos ab oblongata medulla, utpote ex qua novem paria nervorum naſcuntur, qui partim organis ſenſoriis de ſentiendi proſpiciunt facultate, velut nervi olfactorii, optici, guſtatorii, vel, ut aliorum fert ſententia, nervi noni paris, linguales dicti, cætera; partim vero corporis partibus motricibus, præter ſenſum, movendi quoque vim & potentiam fœnerant ac mutuant. Omnes igitur illi nervi, ex oblongata medulla enati, nequaquam pro talibus habendi ſunt, quouſque ſimplicium fibrarum facie per medullam oblongatam pergunt, quia hæ fibræ nihildum, quod vel ſpeciem dumtaxat funiculi cujuſdam teretis præ ſe ferret, oculis noſtris objiciunt arbitrandum; ſed demum nervi induunt ſpeciem, medulla oblongata exeuntes ac inter ſe ſociatæ atque conſtipatæ in faſciculos, ſolius piæ matris productione initio amictos, qui deinde cum aliis ſimillimi ingenii faſciculis



[*m*] de Haller libr. & volum. cit. not. d. ad §. CCLXIX. Garengeot ſplanchnol. part. II. cap. IV. §. 10.

[*n*] de Haller libr. & volum. cit. not. a ad §. CCLXVII.

nerveis conjuncti, & dura meninge, velut communi omnium vagina, inclusi, in funiculos abeunt teretes & albicantes, germano *nervorum* nomine solummodo ciendos. Quibus itaque jam circumscripte breviterque traditis, nemini non perspicere integrum erit, ipsos nervorum truncos neutiquam ex cerebro cerebelloque emergere, sed ex sola oblongata dumtaxat provenire medulla, quippe in quam universæ fibræ, ex interioribus quibusque medullaris substantiæ cerebri & cerebelli recessibus, confluunt. Nihil ergo dubii est, quin oblonga hac medulla utcumque offensa, vel vulnere consauciata, percussi in extremum vitæ discrimen sint deventuri, unde emergendi spes est nulla.

## §. XXVI.

Cum igitur supra jam significaverim, solam oblongatam medullam esse principium velutique germanum omnium nervorum, qui cranio egrediuntur, seminarium, unde ad corporis tum sentiendi, tum movendi instrumenta feruntur; supervacaneum foret præsenti loco cuncta eorum paria, quorum novem numerari solent, ostendere stricteque perscribere, ubi locorum ex ea progerminent & ad quas corporis partes indidem adspirent? quia hoc pacto longius, quam mihi sit constitutum, a proposito aberrarem. Quocirca paucula tantum de istis nervis, qui indidem ad inferiores corporis partes deducti inque ramos explicati innumeros, omnibus visceribus intexti perspiciuntur, hoc loco subjungere ex usu erit. In hunc proinde censum deferendi veniunt ita dicti nervi intercostales & vagi; quorum illi natales mutuantur suos a paribus quinto & sexto; hi vero pluribus radicibus, non simplices fibras, sed veros nervulos referentibus, ex posteriore medullæ oblongatæ parte, ab eminentiis prope olivaribus VIEUSSENII, pullulascunt. Utriusque nervi, tum intercostalis, tum paris vagi, trunci, suo quisque foramine cranii cavo egressi, & a lateribus arteriæ asperæ per collum delati, thoracis cavum subeunt, ubi complures satisque spectabiles ramos a se dimittunt, qui per pulmones & cordis machinam distributi, hisce partibus sensum & motum fœnerant. Tum ex interioribus thoracis ad abdominis penetralia pergunt, ubi pari modo propagines cunctis visceribus inserunt; quas omnes hic singulatim deinceps persequi, temporis exiguitas & Dissertationis magnitudo prohibent. Mihi enim abunde est, istos tantum nervos hic nominatim protulisse, quibus vis motrix vitalibus corporis partibus assiduissime affluit & illabitur. Quid? quod ipse truncus intercostalis, toto per thoracis & abdominis abdita itinere, singulis quibusque nervis intercostalibus & lumbaribus, qui a medulla spinali propagantur, pluribus mutuis nexibus illigatur. Tandem nec silentio dissimulandum est, utrosque hosce nervos, intercostalem & vagum, disperse multis locis mutuis nexibus inter se conjunctos & consociatos deprehendi, ut propterea haud sane mirum sit, alterutro eorum læso vel graviter affecto, alterum statim hujusmodi afflictionis & calamitatis fieri participem. Sed hæc de cerebri fabrica nostro scopo sufficiant, quam ideo rei pertractandæ

dæ putavi præſtruendam, quo clarius inde liqueret, cur percuſſiones iſtæ, oblongatam medullam quæ ferunt, tam exitiales plerumque habere ſoleant exitus, aliis cerebri partibus, quamtumvis itidem graviter affectis, vel vulnere ſauciatis, nullam haud inſolenter vitæ jacturam, nec ſanitatis quidem ſubinde detrimentum vulnerato afferentibus.

## §. XXVII.

Perſpecto itaque & cognito, quid generatim lethalium vulnerum nomine veniat denotandum, & quemadmodum partienda ſint? item quæ cerebri ſit compages? jam quoque videtur de ipſis cerebri læſionibus mihi exponendi tempus dari, quippe quarum fortaſſis alioquin difficilior fuiſſet intellectus, niſi mortiferarum plagarum notiones præmiſiſſem. Quibus ergo, quoad noſtri inſtituti ratio popoſcerit, evolutis, ſupervacaneum cenſeo hic pluribus oſtendere, quid *cerebri vulneribus* velim deſignandum, cum ea ex ſupra adductis jam adeo ſint clara & manifeſta, ut vel ab unoquoque ſatis intelligi queant, velutique oculis judicari. Verum illud hoc loco dumtaxat præmonendum duco, nec de calvariæ, nec de craſſæ meningis læſionibus me in præſentia eſſe acturum, niſi quatenus lucis quid rei dicendæ accendere valeant. Namque tametſi cerebro nulla accidere poſſit vulneratio, quin cranium ſimul & dura mater transfodiantur, ut quæ cerebrum ſuo complexu continent; quia tamen noſtro ſcopo magis ſunt alienæ, eas de induſtria tacitus præteribo, luſtraturus iſtas tantum ſauciationes, quæ cerebro, cerebello & oblongatæ medullæ interdum uſu evenire obſervantur.

## §. XXVIII.

Quamquam vero ſpeciatim nihil certi ullo de vulnere, cuicumque licet corporis parti inhærente, utrum vulnerato perniciei ſit atque exitio futurum, nec ne? ſtatui & aſſeri queat; niſi in individuo altius inſpiciatur, quam potiſſime corporis partem, quanto hiatu quamque alte ſeu profunde eamdem diffiderit? inſuperque ratio habeatur ipſorum ſymptomatum, inſtrumenti, quo inflictum fuerit, & modi lædendi, quid? quod ipſius vulnerati temperamenti, ætatis, vitæ anteactæ & corporis conſtitutionis, ac ſexcentorum ejuſdem cenſus aliorum, hoc loco recenſeri haud neceſſariorum: generatim tamen, ſine ullo cujuſdam erroris metu, univerſas iſtas plagas pronunciare poſſumus lethiferas, quæ ejuſmodi corporis partes, quarum maxima eſt ad vitam mortalibus impetrandam & conſervandam neceſſitas, tam graviſſime ſauciaverint, ut a ſuis muniis omnino ceſſent; quo autem facto, ſanguinis in orbem per corporis canales motus expiret, neceſſe eſt. At vero cum cerebrum jam inde ab antiquiſſimis temporibus ſemper in tanta fuerit admiratione, ut Anatomici æque ac Medici, experientiæ fulcris innixi, ſumma & communi omnium conſenſione, ei a corde primum & potiſſimum nunquam non

attribuerint locum in vita animantium efficienda & tuenda: haud quoque mirum eſt, eos cuncta propemodum vulnera, in cerebri medullam penetrantia, in lethalium numero referre dubitaſſe nullos.

§. XXIX.

Verum enim vero tametſi ipſe lubens ſuſcipiam, plurimas utique deprehendi læſiones, cerebro, latiori ſenſu intellecto, a foris violenter incuſſas, quæ hujuſmodi ſunt, ut, etiamſi iſtis quam celerrime præſtantiſſima quæque auxilia ferantur, & Chirurgi, in auxilium vocati, nihil reliqui fecerint, quod ad eas auferendas & ſanandas pertineat, nihilominus ſaucium fatali velut neceſſitate de medio tollant: tamen aperte atque ingenue confiteri non vereor, tantum abeſſe, ut cuncta iſta vulnera, quæ cerebri cortici ſunt inflicta, quin etiam ad ejus medullarem ſubſtantiam extenſa, ſtatim numero ſimpliciter & abſolute lethalium habeam; ut nec ea quidem, quæ cineritiæ cerebelli ſubſtantiæ fuerint injecta, dummodo non nimis ſint magna, nec ad interiores medullares hujus partis deſcendant receſſus, in mortiferorum & neceſſario funeſtorum cenſum deducere ſuſtineam, cum obſervationum fide ac teſtimonio abunde conſtet, cum cerebelli, tum imprimis cerebri, ſauciationes, quamtumvis ſatis conſpicuas, nec cum mediocri corticalis ſubſtantiæ diſpendio interdum conjunctas, dummodo eis tempeſtive ſubveniatur, & liquidis vitalibus, per diſſecta & hiantia vaſcula exundantibus, detur, qua cranio libere exire poſſint, eventus ſæpius eſſe feliciſſimi. Neque adeo multum a nobis hac de re diſſediſſe videtur Illuſtr. b. m. HOFFMANNUS, *notabile eſt*, inquiens, *quod nulla cerebri vulnera, ſi modo ſtagnantibus humoribus exitus mature poſſit concedi, in ſe ſint lethalia; quod ingens clavus, ſalva vita, per caput & cerebrum canis, modo non ſinus cerebri vel medulla oblongata tangatur, transfigi poſſit* [o].

§. XXX.

Enim vero quamquam hæc fidei non uſque adeo abſona ſunt & a vero aliena, ut aliquibus, cerebri fabricam non eadem æſtimatione metientibus, forte videri poſſent: tamen ea in medio relinquens, ipſe perlibenter largior, cerebro perinde atque cerebello ejuſmodi percuſſiones aliquando ingeri poſſe & accidere, ubi neque naturæ, neque ulli arti hiſce calamitatibus ſubveniendi & opitulandi locus ſit relictus. Qua enim ratione illum, quæſo, cenſes cruorem, qui ex meningum vaſis, ſive vehementiori capitis concuſſu dilaceratis, ſive gladii aut ſecuris ictu diſſectis, excuſſus in cerebri baſim diffunditur, ubi cumulatus, incumbentes ſibi cerebri partes premendo & diſtendendo affligit, hocque pacto atrociſſima vulneratis conflat ſymptomata, indidem educi poſſe atque elici; cum in ejuſmodi loco inhæreſcat concretus, quo nec inſtrumentis, nec obſtetricantibus manibus aditus patet ullus. Neque quemquam

[o] Medic. ration. ſyſtem. tom. I. libr. I. ſect. III. cap. I. §. XII. in Sehol.

quam mihi perſuadeo unquam eſſe modum & viam excogitaturum, qua ſanguis, ſi ſuis canaliculis, (qui in plexu choroide velut in admirabile quoddam rete confuſi ſpectantur,) utcumque & undelibet diffractis, exiens cerebri ventriculos inundaverit, inde emoveri poſſit. Et quomodo eidem huic parti exiſtimes ſuccurrendum, ſi cerebrum, ſive caſu, ſive lapidis alioque præduri corporis ictu, ſive alia qua ratione cumque, ita fuerit commotum ſeu concuſſum, ut velut collabatur & conſideat: quo vitalibus liquidis iter per quoſcumque cerebri tubulos uſque eo præcludatur, neceſſe eſt, ut eorum globuli, receſſibus vaſorum impacti, ibidemque fixi, illos omnino obſtruant. Quibus proinde paucis jam in medium adductis cuique ſpectatiſſimum erit, complures utique læſiones cerebro obtingere nonnunquam poſſe, quæ, cum in locis inacceſſis hæreant, unde non ullo auxilio, nec cranii terebratione, quantumvis in tempore & manu ſolertiſſima peracta, auferri queant, propterea optimo jure inter vulnera per ſe, vel, ſi magis placuerit, ſimpliciter & abſolute lethalia ſunt declaranda.

## §. XXXI.

Quæ de lethalitate vulnerum, cerebro ſtricte dicto evenientium, hactenus breviter differui, ea potiori jure de *cerebello*, potiſſimo autem atque adeo ſummo, de *oblongata* affirmari *medulla* queunt. Ne vero inconſulte ac temere cerebello & omnium præcipue oblongæ medullæ priores ac primas detuliſſe videar; rei firmandæ erit neceſſe experimenta quædam, a Viris quibuſdam, medica de re optime promeritis, adornata, afferre. VIEUSSENIUS ejuſmodi experimenta in cane vivo ſuſcepit, cui cerebrum ſolum, inoffenſis tamen atque illæſis cerebello & oblonga medulla relictis, multis & miris modis laceravit & deſtruxit, reſpiratione & cordis actione ſalvis manentibus, perque multas horas adhuc ſatis commode ſuccedentibus: quam primum vero cerebellum ejuſmodi ſpirantibus animalibus diſcerpſerit & calvariæ exemerit, intacto licet atque inoffenſo cerebro cum oblonga medulla, illico ea interiiſſe tradit [*p*]. Idem quoque in catellis junioribus ſe tentaſſe BOHNIUS tradit, adigendo cultellum per ſuturam ſagittalem in cerebellum, unde eos, poſt leviores quaſdam partium concuſſiones, expirantes vidit [*q*]. Nec diſſimilia his experimenta pari modo in vivis animantibus, ſimillimo eventu, inſtituerunt PERRAULT [*r*] & DRELINCURTIUS [*s*].

## §. XXXII.

Quidam vero recentiorum, quorum non fert conſuetudo aliis ſtulta quadam



[*p*] Neurograph. univerſ. libr. I. cap. XX. pag. 123.
[*q*] Libr. citat. ſect. II. cap. I. pag. 230.
[*r*] Mechanique des animaux, partie 2. chap. 7. p. 403.
[*s*] Canicid. III.

dam animi cœcitate aſſentiri & ſuccinere, eadem in viventibus canibus ceperunt experimenta, hiſque deprehenderunt, ejuſmodi beſtias, quibus cerebellum fuit conciſum & ſubverſum, omnes quidem periiſſe & necatas fuiſſe, non tamen ſtatim & confeſtim, ſed demum pluribus poſt horis, imo etiam diebus. Dn. CHIRAC enim cani cerebellum abſtuliſſe fertur, qui nec eo ſecius quatuor & viginti horas ſpiravit [*t*]. Dn. PETIT itidem cani cuidam, revulſo prius commodo cranii fruſto, partem hemiſphærii ſiniſtri cerebelli reſecuiſſe commemoratur, qui exactis denique tribus horis interiit [*u*]; alter vero canis, in quo idem experimentum eſt factum, per ſex totos dies, ſalvis reſpiratione & ſentiendi facultate manentibus, vivus adhuc ſuperfuit [*x*]. Omnium vero clariſſime ex iis variis experimentis, quæ Dn. D. ZINN [*y*] in ſimilibus animantibus tentavit, & doctiſſime elucubrata Diſſertatione, Præſide Illuſtri *de* HALLER, publici juris fecit, perſpici poteſt, vitam minime a cerebelli læſionibus expiraſſe, ſed per multas horas canibus ſalvam manſiſſe; alius quippe canum, cujus cerebellum fuit pertuſum, ſatis alacris & vegetus vitam per duodecim horas traxiſſe dicitur, alio cane, cujus cerebelli medullaris ſubſtantia media vulnere erat pariter confoſſa, viginti quatuor horas ab inflicta plaga ſuperſtite [*z*]. Nec arduum foret, præter jam nominatos, plures inſuper alios citare teſtes, qui eadem in ſimilibus beſtiis experiendo cognoverunt, niſi gratæ brevitati ſtuderem.

## §. XXXIII.

At vero quamquam ſuperiora, quorum memini, experimenta, a BOHNIO, VIEUSSENIO & reliquis capta, proximis a Dn. CHIRAC, ZINN, aliiſve inſtitutis, in eo repugnant, quod canes illi, qui, Medicinæ in melius provehendæ cauſa, a modo laudatis Auctoribus, velut VIEUSSENIO, PERRAULT, DRELINCURTIO, aliiſque, lanienæ anatomicæ ſubjecti fuerunt, ſtatim atque illico poſt cerebelli laceration em vel evulſionem, ferantur vitam exhalaſſe; aliis contra, quorum cerebellum a CHIRAC, PETIT & ZINNIO eodem conſilio diſciſſum, eliſum aliave ratione deletum fuit, longe diutius vitam protrahentibus, & pluribus exactis horis, quin etiam diebus, demum expirantibus; tamen in eo conveniunt, cuncta hæc animantia, hujuſmodi experimentis ſubjecta, a tam gravibus cerebelli vulnerationibus, quæ ipſis hoc pacto incuſſæ fuerunt, interiiſſe, quamvis alius alio dumtaxat citius celeriuſque. VIEUSSENIUS itaque veſtigiis WILLISII [*a*] (utpote primi hujus jam proponendæ ſen-

[*t*] Tranſaction. philoſoph. Anglican. n. 226.
[*u*] Lettre II. à un Medecin, p. 18. 19. 20.
[*x*] Idem ibidem.
[*y*] Diſſert. de experiment. quibuſd. circa corpus calloſum, cerebellum, duram meningem, in vivis animalibus.
[*z*] Zinn citat. Diſſertat. part. II. §. I. pag. 32.
[*a*] Anatom. Cerebr. & Nerv. cap. XXIV.

ſententiæ, communi fere omnium conſenſu noſtra memoria in Medicorum ſcholis adoptatæ, auctoris) inſiſtens, nullus dubitavit cum hoc WILLISIO univerſos corporis *nervos* bifariam diſtinguere, in eos nimirum, qui tantummodo *actionibus involuntariis* exſequendis inſerviunt; & alios, qui *voluntariis functionibus* expediendis dumtaxat proſpiciunt. Quod diſcrimen nervorum, a WILLISIO primum in medendi ſcientiam inductum, hodie in foro medico omnium prope aſſenſu uſque adeo comprobatum eſt, ut nunc Viri doctrina & ſcientia medicæ artis principes ei patrocinentur. Quid? quod, præter WILLISIUM, ipſe quoque VIEUSSENIUS non erubuit, quamvis paulo diverſius, ſtatuere, corporis partes, quæ mentis nutu moventur, ſuos mutuari nervos a ſolo cerebro; e contrario vero illos nervos, qui ad vitales contendunt partes, ex cerebello potiſſimum exoriri [*b*].

## §. XXXIV.

Quid vero argumenti hæc habeat opinio, quæ plurium animis etiamnum hodie inſidet, iis experimentis intelligere expeditiſſimum erit, quæ laudatiſſimus Dn. D. ZINN in viventium canum cerebro non minus, quam cerebello, ſuſcepit. Omnes enim, quorum cerebrum pungente inſtrumento, quam potuit altiſſime, perforavit, poſt acceptum ictum ſatis alacres & vegetos ſe oſtendiſſe, & per plures horas imo dies in vita ſuperfuiſſe, diſerte dicit, cunctis animalibus functionibus vulnerato animanti intemeratis atque inoffenſis relictis, præterquam quod alius eorum aliquanto poſt ſomno ſopitus ſit facile excitabili [*c*]; alius vero ſtatim ab inflicto ictu attonitus ſit factus, qui tamen brevi poſt ad ſe rediit [*d*]? Quid; quod, cranio vivi cujuſdam canis ſerra diſſecto, & cerebro lamellatim exſecto uſque ad calloſum corpus, eo itidem ablato, reliquum cerebri nexibus iſtis, quibus oblongatæ medullæ illigatum eſt, reſecando exſolvit, ac totum ex calvaria eruit, pulmonum & cordis actionibus omnino perſeverantibus atque expedite procedentibus; imo, cerebello denique ex ejuſdem hujus canis calvaria deprompto, & ſtylo quodam in ipſam ſpinalem medullam adacto, ipſius artus convulſionibus tentatos deprehendit & agitatos [*e*]. Quis itaque eſt, quin ſtatim perſpiciat, omnes ad unum ſenſus, & voluntarios muſculorum motus univerſos hujuſmodi canibus, quorum cerebrum acuto tali inſtrumento ita tranſfixum, quin etiam a medulla oblongata eſt reſciſſum, illico extinguendos fuiſſe deque corpore tollendos, ſi omnium iſtorum nervorum, quos natura partibus, ad animales functiones exercendas, attribuit, radices in ſolo cerebro: contra vero illorum, quibus movendi vis & potentia a capite in cunctas vitales partes diffunditur, in cerebello dumtaxat, hærerent defixæ.

§. XXXV.

[*b*] Neurograph. univerſal. libr. I. pag. 122.
[*c*] Diſſert. laudat. part. I. Experim. I. pag. 122.
[*d*] Ibidem Experim. IV. pag. 5.
[*e*] Ead. Diſſert, Experim. VI. pag. 6. & 7.

§. XXXV.

Neque vel cogitatione quidem comprehendi poteſt, quemadmodum fieri potuerit, ut iſtis animalibus, quorum cerebellum commemorato modo reſciſſum & cranii cavo evulſum fuit, vita ſuperfuerit, ſi vitales partes ſuorum originem nervorum ſoli cerebello acceptam referrent, quibus tamen, experimentorum fide & teſtimonio, omnium vitalium functionum integritas manſit & exercitatio. Quæ cum ita ſint, cuique ſpectatiſſimum erit, iſtam hypotheſim, qua vitalium partium nervi ex cerebello tantum; aliarum vero, humanæ mentis imperio ſubjectarum, ex ſolo cerebro ſuboriri creduntur, infirmis ſane ac ficulneis niti argumentis: multo autem probabilius videtur, omnes, tum vitalibus partibus proſpicientes, tum aliis animæ voluntati obſequentibus partibus providentes nervos, fibras ſeu tubulos obtinere ſuos a cerebro pariter atque a cerebello, quæ etiam ſententia eſt Illuſtr. *de* HALLER, non minus perdocte, quam ſolide, demonſtrantis, ſtamina iſta, quibus nervi qualeſcumque contexti deprehenduntur, tum cerebri eſſe, tum cerebelli [*f*]. Cui quoque ipſe BOERHAAVIUS adſtipulatur, claris prodens verbis: *Apparet adeo non probabile fieri, quod fibræ cerebri alicubi abſque fibris cerebelli ſolitariæ ſint, neque ullibi dici poſſe de ullo nervo, eum aut cerebri ſolius, aut ſolius cerebelli propaginem eſſe* [*g*]. Et brevi poſt ita loquitur, reliquas cerebelli fibras ſic miſceri fibris cerebri, ut nullus ex medulla oblongata prodeat nervus, quin & a cerebro, & a cerebello fibras habeat, neque ullam eſſe ſedem in oblongata & ſpinali medullis, in quibus utriuſque generis fibræ præſto non adeſſent [*h*].

§. XXXVI.

Enim vero tametſi veriſimillimum eſt, nervorum unumquemque, ex oblongata medulla perinde atque ex ſpinali emergentium, ex fibris cerebri & cerebelli una eſſe concinnatum, quippe quæ in eo diſtinctæ, nec in ſemetipſas implicatæ ad uſque partem, cui proſpiciunt, perferuntur: maxime tamen conſentaneum eſſe videtur, eos nervos, qui ad vitales pertingunt partes, multo pluribus ſeu copioſioribus fibris a cerebello, quam a cerebro, locupletari; ſicut invicem illos, qui voluntariis motibus expediendis inſerviunt, longe numeroſioribus a cerebro, quam a cerebello, fibris dotari. In quam eamdem quoque ſententiam Illuſtr. de HALLER loquitur, cum dicit, probabile videri, animalibus nervis fibras eſſe plures a cerebro, pauciores vero a cerebello; & contra vitales nervos pluribus fibris a cerebello inſtrui, paucioribus autem a cerebro [*i*]. Id quod etiam potiſſime in cauſa eſſe videtur, cur Medici prope omnes uno velut ore & mente cerebelli vulnera pericu-

[*f*] Libr. cit. volum. II. not. a ad §. CCLXXIII. pag. 536. & eod. libro volum. IV. not. a. ad §. DC. pag. 595. & ſeq.

[*g*] Prælect. academ. §. CCLXXIII.

[*h*] Ibidem & in Inſtitut. medic. §. 273.

[*i*] Libr. cit. volum. IV. pag. 595.

ticulosiora magisque lethalia læsionibus cerebri declarare soleant. Sic enim BOHNIUS verbis prodit testatissimis : *Si experientiam consulamus, vix unum forsan observare continget, qui ex lacerato cerebello evaserit, cum plura passim obvia sint illorum exempla, quibus satis ingentia quoque cerebri vulnera coaluisse perhibetur* [*k*]. Nec dissentit ab eo Illustr. atque Excellentiss. ALBERTI, qua verissimis, qua doctissimis innuens verbis : *cerebelli vulnera præ cerebri læsionibus citius & certius lethalia existere* [*l*]. Quibus nec abludit Illustr. *van* SWIETEN, ut qui pariter insigniores cerebelli sauciationes lethalium numero habet [*m*]. Accedit eodem locupletissimus testis Illustr. *de* HALLER, qui, *id quidem in concesso est*, inquit, *cerebelli vulnera magis esse lethalia, quam vulnera cerebri* [*n*]. Hisce etiam congruit *de* GORTER, testatum faciens, vulnera & vitia cerebri cerebelli plagis periculosiora esse [*o*]. Nec mihi vero finem dicendi facere integrum esset, omnes istos scriptores, qui cerebelli percussiones pronunciarunt funestas, hic allegare conaturo : evolvat, cujus interest plures cognoscere, eorum monumenta ; mihimet enim satis est annotasse, cerebelli læsiones majori esse periculo, quam cerebri vulnerationes.

## §. XXXVII.

Neque quemquam crediderim facile hoc dubitaturum, si modo ea medullæ oblongatæ altius inspexerit loca, ex quibus nervi vitales progerminant. Par enim quintum, quod binos plerumque ramos ex se generat, & nervo intercostali constituendo impendit, multis invicem distinctis fibris ex ipsis cerebelli pedunculis evidentissime provenit [*p*] : Sextum vero, quod pariter ramum quemdam, a se propagatum, dicto jam intercostali nervo formando impertit, ab imo protuberantiæ annularis supra sic nominata pyramidalia corpora [*q*], vel, quod tamen eodem recedit, auctore GARENGEOT, ab antica baseos pyramidalis eminentiæ parte prodit [*r*). A duorum modo indicatorum parium surculis, in unum fasciculum colligatis, nervi intercostalis truncum nasci, res adeo est clara omniumque fere Anatomes peritorum oculis adeo testata, ut plura hoc loco de ea dici nihil attineat. Octavum denique par, quod, cranio exiens, intercostali nervo suo in itinere ad vitalia viscera comes hæret, multis fibrillis ab intervallo corporum olivarium & pyramidalium oritur [*s*]. Cum igitur eorum trunci nervorum, quorum rami



[*k*] Libr. cit. sect. II cap. I. pag. 229.
[*l*] Libr. cit. part. prior. cap. XIV. §. XLIII.
[*m*] Comment. in Boerhaavii aphor. not. a. ad §. 170.
[*n*] Libr. & volum. proxime adduct. not. cit. pag. 592. & 593.
[*o*] Compend. Medicin.
[*p*] Illustr. *de* Haller libr. cit. vol. II. not. g. ad §. CCLXIX. Vieussenius libr. cit. pag. 168. Zinnius Differt. laudat. part. I. §. VII.
[*q*] *De* Haller loco cit.
[*r*] Libr cit. part. II. cap. IV. §. 15. lit. E E.
[*s*] Zinnius Differt. & loco cit.

ad vitales partes abeunt frequentiſſimi, tam proxime pedunculos cerebelli e medulla oblongata exeant: quid? quod quinti paris lacertuli, velut altiſſimis radicibus, in ipſis cerebelli cruribus ſeu pedunculis defixi ſint; ſimillimum utique vero videtur, vitalibus nervis copioſiores a cerebello, quam a cerebro, innexas eſſe fibras, ut in præſentia de iſtis taceam experimentis, a BOHNIO, VIEUSSENIO, PERRAULTIO & DRELINCURTIO adornatis, quorum auctoritati omnem fidem derogare ſummum nefas foret, quibus perſpicuum fuit, ea animalia, quorum cerebellum, ſalvo & illæſo relicto cerebro, laceratum fuit & deſtructum, ſtatim periiſſe, id quod non ſane unquam fieri potuiſſet, niſi major fibrarum copia a cerebello, quam a cerebro, vitalibus forent nervis attributæ.

## §. XXXVIII.

Etſi vero adductis tantorum de arte medica meritiſſimorum virorum experimentis omnino fidem habeo; illud tamen me ſemper detinuit ſuſpenſum, an hæc animalia a deſtructo cerebello tam repente interierint, anne potius ab alia forſitan quadam cauſa, ſive ab horum experimentorum concinnatoribus fortaſſis prætermiſſa, ſive tam exquiſito examine, quam uſus fuiſſet, non perpenſa? Cum recentioribus experimentis, a Dn. CHIRAC, PETIT, ZINNIO & KAAV-BOERHAAVIO, [*t*] in ejuſdem generis animalibus vivis ἀκριβῶς ſuſceptis, manifeſte compertum ſit & deprehenſum, ea cerebello transfixo, diſcerpto, vel calvaria exturbato, haud quaquam actutum & confeſtim expiraſſe, ſed vitam per complures horas extraxiſſe. Quid? quod nec deſunt plura obſervata, a Medicis paſſim prodita, ubi cerebellum haud levibus vulneribus ſauciatum fuit, vulneratis nihilominus non ſibi ſolum ſuperſtitibus, ſed feliciter quoque ſubinde ſanatis. Ita VESLINGIUS teſtatum facit, Abyſſinum quemdam, ætate jam gravem, cujus cerebello vulnus, duorum digitorum latitudine, acinace fuerit inflictum, a ſe fuiſſe curatum [*u*]. Sic quoque *le* MAIRE, Chirurgus quidam Argentoratenſium, aliquem ægrum, cui non minima pars occipitis cum notabili corticis cerebelli portione gladio fuerat dempta, feliciter ſanaſſe a PLATNERO celebratur [*x*]. *La* MOTTE quoque exemplum cujuſpiam vulnerati narrat, cui occipitis os, lapidis ictu colliſum, ita deſedit, ut cruor, ſub eo & ſub dura meninge ex ruptis excuſſus arteriis, cerebello vim magnam intulerit, ex qua percuſſione ſaucius nihilominus ſine ulla ſuperveniente febre, quod maximopere mirandum, alioque malo ſigno, convaluit [*y*]. Hinc quoque eſt, cur PLATNERUS ibidem loci contendat, eas, quæ occipiti

[*t*] Vid. impetum faciens Hipp. §. 326.
[*u*] Obſervat. anat. & epiſt poſth. n. XIII. pag. 84.
[*x*] Inſtitut. Chirurg. ration. §. 547. pag. 344.
[*y*] Chirurg. Tom. II. pag. 322.

cipiti incutiuntur plagas, majoris quidem periculi & discriminis esse iis, quæ sincipiti accidunt, haudquaquam tamen propterea semper funesti eventus [z].

§. XXXIX.

Neque ista quadrupedia, in quibus VIEUSSENIUS, DRELINCURTIUS, PERRAULT & BOHNIUS supra indicata experimenta perpetrarunt, solius cerebelli excidio tam cito & subito ad sui interitum ruere potuisse, id vel aliis observatis, in observatorum monumentis dispersè annotatis atque obviis, haud ægre affirmari & ostendi posse autumem. Sensuum enim fide exploratissimum est, ejusmodi homines, quorum cerebellum fons & caput plurium longinquorum seu chronicorum fuit malorum, nihilosecius subinde per multos non dies modo, sed menses etiam, quin annos, vitam duxisse, quantumvis persæpe satis incommodam & miseram. Ejusmodi exemplum ægroti cujusdam, cujus in cerebello post obitum abscessus, humore præternaturali scatens, fuit repertus, quo non obstante, æger per biennium, symptomatibus quamvis atrocibus in dies excruciatus, vixisse fertur, affert BONETUS ex PAUVII *Observat. anatom.* [a] Similiter Parisini cerebellum in scirrhum degeneratum in quodam puero deprehenderunt, qui per duos annos prius, quam de vita decessit, stupidus, cum disturbatione omnium sensuum, vixisse legitur, percussu arteriarum quantumvis parvo, æquabili tamen, ut & respiratione languida & frequente manentibus. In aperto ejus post mortem capite cerebellum, cum dimidia medullæ oblongatæ parte, scirrhosum fuit inventum [b]. Illustr. *de* HALLER itidem in puella, nondum sex annos conficiente, ingentem scirrhum, in quem omnis, qua corticalis, qua medullaris, cerebelli substantia mutata fuisse scribitur, nactus est [c]. HARDERUS quoque in puellæ cujuspiam, aliquot ante diebus, quam fato concessit, vehementi cephalalgia detentæ, cerebello ternos scirrhos, tot globulorum speciem digitis contrectantibus præbentes percipiendam, quorum unus magnitudine nucem æquavit unguentariam, offendisse commemoratur [d]. Nec multum his abludit observatio a Dn. BRISSEO annotata, ubi durus quidam tumor, columbæ ovo æqualis, in cerebelli latebris occultatus latuisse proditur [e]. Ejusdem fere census ista sunt observata, quæ in *Ephemerid. Natur. Curiosor.* relata leguntur, ubi cerebelli compages in aliquo puero hydrocephalico indurata, & cum crassa meninge concreta, animadvertebatur [f]: in altero autem subjecto cerebel-



[z] Loco cit.
[a] Sepulchret. f. Anatom. pract. libr. I. sect. VII. Observ. V.
[b] Histoire de l'Academ. Royale des sciences, de l'ann. 1705. No. 13. pag. 56.
[c] Zinnius Differt. allegat. part. II. §. I. pag. 35.
[d] Apiar. Observat. pag. 238.
[e] Observat. III. pag. 27.
[f] Decur. III. Ann. IV. pag. 148.

lum putrefactum fuiſſe & compluribus acinis refertum, celebratur [*g*]. Notatu quoque digna videtur illa hominis epilepſia impliciti hiſtoria, a Pariſinis memoriæ mandata, cujus in cerebello verum quoddam os, totius pollicis longum, & dimidii latum, alte defixum hæſiſſe perhibetur [*h*].

## §. XL.

His illa quoque obſervatio venit ſubjungenda, cujus prope fuiſſem oblitus, quam Dn. PETIT in milite quodam deprehendit, cujus cerebellum ſiniſtrum plumbeo globulo, bombarda emiſſo, ita fuit trajectum, ut lobum cerebri ſiniſtri poſteriorem intraverit, qui demum præterlapſis quadraginta tribus horis, a tanta & tam perniciali ſauciatione, ex hoc vulnere mortuus eſt, reſpiratione hoc temporis non ſalva ſolum & ſuperſtite exiſtente, ſanitatique convenienter alternare pergente; ſed corde etiam atque arteriis naturaliter nec interrupte micantibus; quid? quod ſentiendi inſuper facultate omnibus corporis partibus integra ſervata atque intemerata [*i*]. Quæ etiam hiſtoria cum laudatiſſimo huic viro miratu digniſſima, atque adeo omni fidei abſona, quin etiam adoptatæ huc uſque ſententiæ, qua cerebelli vulnera ad unum omnia ſtatim & continuo percuſſis indeclinabilem acciere mortem & dicuntur, & putantur, e diametro contraria videretur, potiſſimum in cauſa fuit, cur poſtmodum varia experimenta, a nobis ſupra jam ſignificata, in vivis canibus celebraverit, quo iis ipſe fieret certior, atque aliis quoque liquidius pernoteſceret, quid & quantum cerebello, in actionibus vitalibus & naturalibus expediendis, veniat vindicandum? [*k*]. Ac profecto vix ullius eſſet negotii, compluribus inſuper aliis auctoritatibus & teſtimoniis, ſenſuum & obſervationum fide ſubnixis, teſtatum facere, tantum abeſſe, ut vulneratum cerebellum e veſtigio ſauciis vitæ jacturam ſemper afferat, ut potius idem, gravius ſubinde affectum atque adeo variis morbis corruptum, nihilo magis ægrotos haud inſolenter ſatis diu in vivorum numero reliquerit, ſi modo mihi vacaret in hoc diſſerendi argumento eſſe longiori. Ne cui vero in opinionem veniat, dicis gratia me hæc tantum cauſſari, nec extare in obſervatorum libris plura hujuſmodi obſervata, quibus id evincere poſſem, ſubnectere hoc loco placet illud exemplum, quod BONETUS refert de adoleſcente ab alto cadente, unde in capite percuſſus fuit cum fractura & depreſſione cranii, qui denique undecimo ab illo caſu die obiit, cujus in capite diſſecto, præter meningum inflammationem, cerebellum corruptum fuit inventum. Hoc vero omnium maxime mirandum eſt, quod nunquam febricitaſſe, neque deliraſſe, celebretur [*l*]. De infantibus ſine cerebro & cerebello natis, qui nihiloſecius per aliquot dies, & ZACUTO *Luſitano* referente, per

[*g*] Decur. II. Ann. IX. pag. 429.
[*h*] Hiſt. de l'Academ. Royale des Sciences, de l'ann. 1737. Hiſt. 8.
[*i*] Lettre II. a un Medecin.
[*k*] Ibidem.
[*l*] Libr. citat. libr. IV. ſect. XII. obſerv. IX.

per triennium [*m*], vitam egiſſe notati ſunt [*n*], nihil hic dicere attinet.

## §. XLI.

Ut itaque ad propoſitum, unde paululum declinare operæ pretium mihi fuit viſum, redeam, cum jam ex tot tamque præclaris experimentis, in vivis beſtiis a tam multis & ſpectatæ integritatis Auctoribus adornatis, imo etiam ex adductis obſervationibus, in hominibus ſumma ἀκριβείᾳ inſtitutis, omni luce clarius eluceat, vitales & naturales corporis functiones nequaquam illico, læſa quomodocumque vel diſcuſſa cerebelli compage, ceſſaſſe atque omnino interiiſſe, ut pleriſque medentium etiam nunc perſuaſum eſt, ſed per complures continuas horas in aliquibus animalium, in aliis vero per multos continuos dies, imo vero ſubinde annos, ſalvas fuiſſe ac ſuperſtites, quid? quod in nonnullis nec a naturæ quidem ordine receſſiſſe; nemo non evidentiſſime inde perſpiciet & cognoſcet, haudquaquam ſoli cerebello primarias partes & præcipuas in motibus vitalibus & naturalibus exſequendis concedi poſſe, ſed præter cerebellum alias quoque inſuper corporis eſſe partes ſtatuendas, quæ, illo utcumque vitiato vel gravioribus affecto vulneribus, aut liquato etiam & deficiente, quemadmodum hoc in pleriſque infantum, qui ſine cerebro nati Auctoribus ſcribuntur, contigiſſe videtur [*o*], interea temporis munus & vicem cerebelli obeundo, vitalibus partibus movendi vim & potentiam ſubminiſtrant; alias de animali vita conclamatum foret, niſi hoc temporis ex alio fonte liquidi nervei rivus in commemoratas deduceretur partes. Nos itaque neque pœnitebit neque pigebit hoc loco vel iſtas ſcaturigines & fontes, quoad id fieri attinet, circumſpicere, ex quibus, præter cerebrum & cerebellum, liquidi nervei rivi ad vitalia viſcera decurrunt. His quippe cognitis, cuique erit expeditiſſimum dijudicare, a quibus cerebri partibus maximum vitæ humanæ pendeat momentum.

## §. XLII.

Quoniam itaque hactenus ſenſuum fide & teſtimonio dilucide & perſpicue expedivi, cerebello ſoli, tametſi illud magnam quaſi ſuo jure ſibi vindicet partem vitalium functionum, haudquaquam tamen priores & primas in his iiſdem exſequendis & conficiendis deferri, nec cerebro ſtricte accepto eas tribui poſſe, utpote quod longe minorem commemoratarum actionum partem ducit ſuam; præter ἐγκέφαλον vero & cerebellum nihil aliud, niſi medulla oblongata, intra cranium oculis noſtris ſe offert conſpiciendam: non alienum erit nec injucundum curatius perquirere, an fortaſſe & quouſque obon-



[*m*] Prax. medic. admiránd. libr. I. obſerv. V.

[*n* Vid. Ephem. natur. curioſor. dec. I. ann. III. obſerv. 179. Miſcell. med. phyſ. Gall. ann. III. pag. 54. Schulzius Diſſert. de infante ſine cerebro nato.

[*o*] Beat. Schulzius adduct. Diſſertat.

oblongæ medullæ præcipuæ partes & potiſſime in negotio vitali adminiſtrando atque expediendo conveniant? Namque omnium fere Medicorum, qui de lethiferis plagis aliquid litteris conſignatum reliquerunt, judicia & ſententiæ in eo concordant, hujus medullæ vulnera, quoquo pacto illata, præſertim ſi magna fuerint, & ad ejus pertigerint interiora, in cenſum læſionum per ſe lethalium eſſe referenda [*p*]: quia medullares fibræ, ſeu canaliculi univerſi, tum a cerebro, tum a cerebello, in oblonga medulla, tanquam in centro ſeu communi trunco, concurrunt, qui deinde ſenſim ſenſimque inter ſe conjuncti velutque in exiguos faſciculos compacti, ex oblonga medulla progerminando nervis iſtis, quos ex hac medulla natos videmus, primordia dant ſive principia, quemadmodum id jam ſupra uberius fuſiuſque explicatum dedi. Unicuique igitur ex iis, quæ ibidem de nervorum origine ex hoc medullari caudice relata ſunt, cognoſcere proclive erit, non fieri poſſe, ſi hæc medulla magnis vulneribus, ſive punctim, ſive cæſim aliave ratione inflictis, fuerit ſauciata, quin multi fibrarum manipuli perſecentur, unde latici nerveo, in cerebri & cerebelli cortice a ſanguinis conſortio ſegregato, via illos nervos ſubeundi, ad quos deciſæ iſtæ fibræ pertinent, intercluditur. Jam vero cum ex ſuperioribus conſtet, truncum intercoſtalis nervi, cujus propagines totius corporis viſceribus intextæ advertuntur, ſuum a paribus ſexto & quinto, quæ utraque ex oblonga medulla pullulant, ducere initium, item par vagum, cujus rami pariter per multa thoracis & abdominis viſcera ſparguntur, indidem quoque oriri: perſpectu erit facillimum, diſſectis vel laceratis horum nervorum radicibus, in oblonga medulla deſitis & fixis, animalem vitam (cum maximum vitæ momentum a ſolis his nervis pendeat,) in extremo periculo & diſcrimine eſſe verſaturum.

## §. XLIII.

Verum enim vero ſi iſta experimenta, quæ laudato D. ZINNIO in viventibus canibus fuiſſe dixi crebrius celebrata, exquiſitiori examine perpendamus, liquido apparebit, non fuiſſe ullum horum animalium, quorum vel cerebrum, vel cerebellum ictibus perforatum eſt aut alio pacto dilaniatum, cujus oblongata medulla his experimentis non ſimul pertuſa fuiſſet gravique vulnere confoſſa, animalibus ejuſmodi nihiloſecius per multas horas, imo vero dies, inflicto vulneri ſuperviventibus, nec ſenſuum quidem uſum ſubinde amittentibus. Primo enim experimento inflictus ictus per lævum cerebri ventriculum & ſiniſtrum corpus ſtriatum ad cranii baſim penetraſſe fertur [*q*]: altero autem experimento incuſſum vulnus per thalamos nervorum opticorum, qua parte in ventriculis ſuperioribus ſe invicem contingunt, deſcendiſſe obſervatum eſt [*r*], id quod etiam pari fere modo in tertio experimento

[*p*] Welſchius libr. cit. cap. III. pag. 48. Bohnius libr. cit. ſect. II. cap. I. pag. 228. illuſtr. *van* Swieten libr. cit. Comment. in §. 170. pag. 253.

[*q*] Diſſert. cit. pag. 4.

[*r*] Ibidem.

mento contigiſſe ibidem legitur relatum [*s*]. Quarto experimento laudatus Auctor, præter calloſum corpus, thalamum nervorum opticorum dextrum foramine pertuſum deprehendit [*t*]. Nec diſſimili ratione idem hic Vir doctiſſimus in quinto experimento pedem hippocampi, & ſubtus hærentem thalamum nervorum opticorum dextros, vulnere transfixos invenit [*u*]. Sexto denique experimento, quo totum cerebrum, a medulla oblongata reciſum, ex calvariæ ſinu extraxit, nec ita multo poſt cerebellum ſimillima ratione, quam celerrime potuerit, cranio evulſit, cordis & reſpirationis motus nihilominus etiam nunc ſuperſtites eſſe animadvertit [*x*]. Hiſce igitur tam pluribus, tamque egregiis experimentis, unicuique fore ſatis perſpicuum exiſtimem, nec vitalium partium nervos a ſola oblonga medulla eſſe deducendos; quia hujuſmodi animantibus nec a tanta ejus læſione ſeu vulneratione vitales functiones interiiſſe, ſed multas horas, atque adeo identidem dies, etiamnum ſuperfuiſſe fuerunt ſpectatæ. Unde ipſe hujus Diſſertationis Auctor, ex hiſce adductis in medium experimentis, juſtiſſima ratione conficit, nec ab hujus quidem partis vulneratiônibus tam repentinam ſauciatis evenire mortem poſſe, quam pleriſque medentium perſuaſiſſimum eſt; ita enim, ut propriis ejus verbis utar, loquitur: *Cum in omnibus meis experimentis non corpus calloſum ſolum, ſed præter illud aliæ quoque partes, imprimis vero ſemper medulla oblongata, fuerint vulneratæ, inde quoque colligi poſſe puto, vulnera hujus partis, modo contingant ſine magna effuſione ſanguinis, non tam ſubito eſſe lethalia, ut aliis viſum fuit* [*y*].

## §. XLIV.

Neque deſunt aliorum primi ordinis Medicorum obſervata, plura ſi requiſiveris, quibus compertum eſt, medullæ oblongatæ ſauciationes & vitia minime tam repente mortales de medio tollere, quam adhuc plerorumque fert opinio. *Abraham* enim KAAV-BOERHAAVE itidem varia variis in canibus tentavit experimenta, eventu fere iis, quos antea narravimus, ſimillimo. Adegit quippe ſtylum per magnum oſſis occipitis foramen ea directione, ut, medullam oblongatam lædens, pertigerit ad cerebellum, cerebro inoffenſo relicto. Quo effecto, canem, ſtylo ita intus hærente, vinculis exſolutum dimiſit, qui ſaliit per conclave cadens, ſubſultu autem erectus iterum decidit [*z*]. Paria experimenta in compluribus quoque aliis beſtiis, quorum medullam oblongam eodem modo laceravit, ſe pari exitu inſtituiſſe docet, vitalibus motibus ſatis diu ſubinde perſiſtentibus [*a*]. WEPFERUS quoque

[*s*] Loco cit. pag. 5.
[*t*] Eod. loco.
[*u*] Ibidem pag. 6.
[*x*] Adduct. loco.
[*y*] Diſſert. citat. part. I. §. XIV.
[*z*] Libr. cit. qui inſcribitur: impetum faciens dictum Hippocr. cap. VII. §. 327. & 328.
[*a*] Ibidem.

quoque auctor eſt, in recens natis animalibus, capite detruncato, nihilo minus cordis motum per aliquot horas ſuperfuiſſe [*b*]. Nec difficile foret ejuſdem ſortis experimenta complura huc adducere [*c*], niſi ſermonem meum longius metuerem excurſurum, quam decrevi. Præter hæc vero extant multa alia in Obſervatorum ſcriptis eorum exempla, quorum medulla oblonga chronicis malis devaſtata fuit, vita nihilo ſecius hujuſmodi ægrotis ſatis diuturna exiſtente. In quo cenſu iſta eſt hiſtoria, quam Dn. *la* PEYRONIE memoriæ prodidit, de tumore quodam duro, magnitudine ovi gallinacei, ventriculum quartum obſidente, qui ſimul cerebelli locum occupabat, ægroto non ſatis diu ſolum ſuperante, ſed nec mentis quidem & ſenſuum uſum perdente, quid? quod nec reſpirationis & pulſus quidem turbam ſeu mutationem inde perſentiſcente [*d*]. Ex iſto etiam exemplo, a Pariſinis obſervato, cujus jam ſupra memini, ubi in pueri capite cerebellum cum dimidia medullæ oblongatæ parte poſteriore fuit ſcirrhoſum deprehenſum, perſpicuum eſt, vitam homini utique ſatis eſſe diuturnam poſſe, medulla hac quantumvis graviter affecta: nam puer hic per duos annos vixiſſe, dumtaxat ſtupidus, narratur [*e*]. Nonnulla quoque iiſdem hiſce Auctoribus notata illorum hominum exempla invenies, qui feliciter ſanati ſunt, quamvis oblonga medulla plumbeo globulo, per ſuperiorem orbitam cerebrum ingreſſo, graviter fuerit læſa [*f*]. De compluribus iſtis obſervationibus, paſſim in rei medicæ ſcriptorum monumentis, quæ typis evulgata extant, occurrentibus, ubi abſceſſus, ulcera, aliaque id genus in cerebri ventriculis latitantia, oblongam medullam, alte atque late ſerpendo & cuniculos ſubinde agendo, abſumpſiſſe traduntur, vitalibus actionibus nihil quicquam damni inde capientibus, hoc loco aliquid dici neque attinet, nec vacat.

## §. XLV.

Qua quidem ratione cum experimentorum atque obſervationum teſtimoniis jam abunde evictum dediſſe arbitrer, nec oblongam medullam, in nervis cum vitalibus partibus communicandis, præter cerebrum & cerebellum, aliquid habere præcipui; nihil alias vero amplius occurrat, ex quo nervorum ſtamina exoriri queunt, præter medullam ſpinalem: nullum quoque dubium eſt, quin vitalibus pariter ac naturalibus functionibus expediendis inſervientes nervi ex hac multo frequentiores prodeant, quam ex cerebro latius ſumpto. Nec a nobis Viros in medendi doctrina primarios diſſidere comperio. Illuſtris enim *de* HALLER verbis ita prodit teſtatiſſimis: *Ego accuratius recenſis experimentis diſcedere cogor etiam a modeſtiori Ridleyo, cum & cerebri ſolius*

[*b*] Hiſtor. de Cicuta aquat. pag. 90.
[*c*] Kaav-Boerhaave libr. & cap. cit. §. 331. Boylæus de utilitat. Philoſ. experim. pag. 114.
[*d*] Memoires de l'Academie Royale des Sciences de l'année 1741. page 208.
[*e*] Ibidem. de l'ann. 1705. n. 13. pag. 56.
[*f*] L'Academie Royale de Chirurgie page 312. ſeq.

*solius vulnera non raro cito lethalia esse, & cerebelli læsiones non semper lethales, & medullæ spinalis vulnera quam certissime funesta reperiam: unde conficio, egregie consentiente Anatome, nervos vitales cordis, ventriculi, intestinorum, cætera, a spinali imprimis medulla provenire. Nam pauxillum est, quod ex capite octavum par & intercostalis nervus afferunt, cum ad nervos viscerum vitalium fere viginti septem robustæ radices a spina dorsi accedant, unde nervus intercostalis evidenter in thorace & abdomine, quam in collo, major est* [g]. Quibus verbis nihil obscurum, nihil insolens, nihil a veritate alienum inesse, lubentissime annuet, curatius pensitaturus summam istam trunci intercostalis exilitatem & teneritatem, a fili cujuspiam crassitie haud multum abludentem, qua in primo suo ortu atque itinere per canalem arteriæ carotidis utitur [h], ubi ex pauxillis esse concinnatus spectatur fibris, certe nihil omnino unquam suffecturis prospiciendo tot tantisque visceribus, nedum universis corporis partibus, nisi in suo per collum, thoracem & abdomen descensu, inter singulas quasque propemodum vertebras, complures surculos, ex spinæ nervis egerminantes, reciperet [i]; quocirca etiam non mirum est, hujus nervi caudicem infra multo esse crassiorem, quam supra in collo: prout enim ipse truncus intercostalis, e ganglio cervicali superiori exiens, deorsum fertur, sensim sensimque crassescit, id quod nervorum omnium naturæ repugnat, utpote in origine semper crassiorum, in progressu autem decrescentium.

## §. XLVI.

Ne vero hisce ramis prosequendis, quibus intervenientibus intercostali nervo mutuum est cum omnibus spinæ nervis commercium, potiora ista, quæ mihi superfunt proponenda, neglexisse videar, illas dumtaxat propagines, quæ a cervicalibus nervis intercostali inferuntur, hic loci leviter transiturus sum, quippe quas omnium præcipue vitalibus partibus implicari verisimillimum est: quia cordis & pulmonum nervi utplurimum a cervicali inferiori & thoracico superiori gangliis proficiscuntur. In numero itaque cervicalium, qui societatem cum intercostali coëunt, potissime primum, alterum & tertium, ut & sextum & septimum paria esse deprehenduntur, ut a quorum ramis anterioribus conspicui surculi trunco intercostali committuntur. Superiorum trium cervicalium soboles ganglio colli superiori, aliquibus *olivari* dicto, maximam partem adnascuntur; duorum autem inferiorum surculi inferiori cervicali & primo thoracico gangliis inolescunt [k]. Videas igitur, quare intercostalis truncus, cum ei tam luculenta fibrarum nerveaRum



[g] Libr. adduct. volum. IV. not. a. ad §. DC. pag. 592. seq.

[h] Winslovius Exposit. anatom. de la structure du corps humain, Tom. III. Traité des nerfs. §. 367. *A*Bergen Differt. de nervo intercost. § 8. vid. figur. in calce Diss. adject litt. A. A.

[i] Winslovius libr. & Tom. cit. §. 363. *de* Haller libr. cit. vol. II. not. d. ad §. CCLXXX.

[k] Idem eod. loc §. 384.

rum acceſſio a ſpinali medulla facta ſit, jam in collo in majus augeſcat [*l*], quamque ob cauſam nunc vitalibus partibus & copioſiores, & conſpectiores impertire nervos valeat. Præter hunc intercoſtalem nervum iſte etiam commemorandus venit, *vagus* qui appellari ſolet, itidem vitalibus viſceribus ramos quoſdam largiens, de quo hic tantum meminiſſe ſatis erit, eum ſuo in decurſu per collum (quemadmodum ego id αὐτόπτης aſſeverare poſſum) ganglio nervi intercoſtalis olivari arctiſſimis nexibus copulari, totoque itinere hinc & illinc cum ramis trunci intercoſtalis communicare. Et quamquam vel hic poſterior nervus varios ramos vitalibus viſceribus implicat, tamen nec hi ſuppeditarent dictis modo partibus, tam nervoſe efficaciterque movendis, quam, ut mortalibus vita maneat diuturna, neceſſe foret, maxime cum cordis machina longe pauciores ab hoc nervo, quam ab intercoſtali, obtineat. Quomodo tandem dorſales & lumbares nervi, & quibus nexibus caudici intercoſtali aſſocientur? Cum id jam ab aliis planius ac plenius expoſitum ſit, quam ut a nobis, hoc loco illud repeti tædioſe, poſtulari queat, ex induſtria prætermitto.

## §. XLVII.

Deinde huic noſtræ ſententiæ argumento eſſe vix ullo alio teſtatiori poſſunt infantes illi, qui vel ſine cerebro in lucem editi, vel jam nati, eo privati eſſe celebrantur, vita ipſis aliquando ſuperſtite, imo etiam, Obſervatorum teſtimonio, ſubinde per aliquot menſes atque adeo annos permanente. Cujuſmodi exemplum offert KERCKRINGIUS de puero, quem, hydrocephalo affectum, menſes circiter quinque vixiſſe ante, quam obiit, perhibet, cujus in capite nihil cerebri, ſed hujus loco aquam mucoſam reperit [*m*]. RUYSCHIUS vero auctor eſt, tres diverſos ſe tenere humanos foetus, ſine ullo cerebro natos, quorum calvaria ne cavitate quidem prædita, ſed penitus oſſea fuit [*n*]. Ejuſdem fere generis hiſtoriam quoque deſcriptam reliquit, Vir, cum viveret, inuſitatæ litteraturæ & eruditionis conſummatiſſimæ, beat. SCHULZIUS, de infante bene conformato &, quoad totum corpus, bene habito, qui mortuus fuit natus, cujus in cranio aperto neque cerebri, neque cerebelli, nec medullæ oblongæ quicquam, præter limpidum ſerum quoddam, deprehenſum eſt, ſola ſpinali medulla integra & naturaliter conſtituta [*o*]. Nec quicquam negotii foret, complura alia hujuſmodi exempla ſine cerebro viventium adducere, ni brevis eſſe vellem. Atque etiamſi ejuſmodi infantibus, qui hydrocephalo fœdiſſime deformati fuerunt, univerſum cerebrum non ita fuiſſe colliquefactum Obſervatoribus ſcribatur, quin fere ſemper quantulacumque ejus portio, quamvis de priſtina ſua facie indoleque mirum in modum mutata, atque ingenti aquarum vi &

[*l*] Idem loc. cit. §. 376.
[*m*] Obſervat. anatom. XLVI.
[*n*] Adverſar. anat. medic. chirurg. Decad. I. Obſ. VIII.
[*o*] Diſſertat. cit. pag. 8. & ſeq.

& mole circumfusa, ipsis in cranio reliqua foret deprehensa: tamen ea in tam arctissimum spatium compulsa, tam deturpata tamque evanida plerumque fuit observata, ut suo muneri obeundo atque exequendo, nisi omnino inepta, certe tamen minus idonea extiterit [p]. Quomodo hujusmodi fœtus in utero, vel jam lucis usura fruentes, vitam censeas agere potuisse, nisi suscipias, tantum liquidi nervei ex spinali medulla, hoc temporis, ad partes vitalibus & naturalibus functionibus consecratas, per nervos indidem emissos venisse, quantum hisce actionibus utcumque expediendis sufficerit; præsertim cum, sensuum fide & testimonio, sola spinæ medulla a labe & vitio immunis atque illibata hujusmodi misellis dumtaxat relicta fuerit ac residua. Neque id obscurum fuit atque incognitum b. SCHULZIO, disertissime planissimeque scribenti: *Clarius dicam, quid sentiam in hac re. Dum cerebrum, cerebellum ac medulla oblongata, quantum ejus intra cranium est, fuerunt absumpta & colliquata, oportuit sane nobilium nervorum, qui par vagum constituunt, & tantas in viscerum muniis recte exsequendis partes sustinent, usum corrumpi. Et cum intercostalis prima initia etiam sint intra calvariam: idem utique fatum habuerunt. Quoniam autem inter par vagum & intercostale crebræ sunt communicationes: & intercostali ex nervis spinalibus, circa singula vertebrarum internodia, rami accedunt & implantantur: vero mihi simillimum videtur, per has vias factum fuisse, ut partes non omnino caruerint omni a nervis invehendo fluido, quamquam parcius & malignius id acceperunt, quam factum fuisset, si omnia integra mansissent* [q]. Neque dissentit alter similis existimationis & dignitatis testis, Illustr. *de* HALLER, qui itidem aperte fatetur, cerebri morbos & deformationes id dumtaxat evincere, dari vitam quantumvis minimam, & posse eam superesse mortalibus vel cum maximis viscerum principum morbis [r]: & aliquanto post pergit, in plerisque istis exemplis, quibus cerebrum in infantum calvaria desideratum fuit, solam medullam spinalem, cordis, pulmonum reliquorumque vitalium viscerum nervis liquido nerveo implendis, hacque via dictis nunc partibus rigandis, suppeditare potuisse [s].

## §. XLVIII.

Ipsa postremo experimenta atque observata omnium velut oculis faciunt testatissima, medullæ spinalis nervos in motibus involuntariis perpetrandis primas & potiores, præ cerebri, habere partes. SENNERTUS hujus rei nobis perhibet testimonium, narrando, lanium quemdam sibi fuisse cognitum, qui boves mactaturus, eos non securi, ut alias fieri solet, percussisset, sed exiguum cultellum, qua parte caput colli vertebris annexum est, in spi-



[p] Tulpius Observ. medic. libr. I. cap. XXIV. Zacutus *Lusitanus*, prax. medic. admirand. libr. I. Observ. V. Bonetus libr. cit. libr. I. sect. XVI. Observ. XIV. pag. 385. & in additament. Observ. XI. & XII. pag. 394. & seq.

[q] Differt. citat, §. XVIII. pag. 25.

[r] Libr, adduct. Volum. II. not. a. ad §. CCLXXXVIII. pag, 610.

[s] Ibidem pag. 612.

nalem adegiſſet medullam; unde iſti quaſi attoniti ſtatim concidiſſent [*t*]. Idem quoque hic Auctor ſimilis cujuſdam meminit experimenti a BOHNIO etiam frequentius adminiſtrati, pro enecandis ſine magno ſtrepitu canibus, exercitiis anatomicis deſtinatis [*u*], dum ſcilicet acus major aliudve cuſpidatum inſtrumentum inter os occipitis & vertebrarum cervicis primam, aut primam inter & ſecundam, eorum medullæ ſpinali profunde fuit infixum, illos poſt aliquot epilepticas concuſſiones mox attonitos ſuccidiſſe fuiſſe ſpectatos, medulla hoc in puncto quamvis exili vulnerata. Sic quoque jam antiquitus, eos boves, GALENUS notavit, ſtatim eſſe collapſos vita occidente, quorum ſpinalis medulla in origine fuit icta ac læſa [*x*]. Illuſtr. *de* HALLER quoque ex DAMPIERI Itinerario tradit, Braſilianorum eſſe moris, ut boves mactaturi, acuto ferro, in cervicis ſpinali medulla alte defixo, eos occidant, unde ſtatim conciderent mortui [*y*]: quod idem multoties quoque meiſmet oculis in Ruſſia, ubi ſimillimus mos boum mactandorum invaluit, comperi. Illuſtr. *van* SWIETEN quoque teſtis eſt, in junioribus canibus idem celebratum eſſe experimentum pari ſemper eventu [*z*]. Id quod etiam laudatus *de* HALLER non de canibus ſolum, ſed de piſcium etiam genere confirmat, quippe qui vulnerata ſpinali medulla omnes pereunt [*a*].

## §. XLIX.

Enim vero vel iſta exempla, quæ de ſpinalis medullæ vulnerationibus atque offenſionibus, litteris conſignata, in Medicorum ſcriptis occurrunt, ad unum fere omnia in eo congruunt, vix quemquam vivum evaſiſſe, cui ſpinalis medulla potiſſimum ſuperna in parte percuſſa fuiſſet atque eliſa. Sic SCHNEIDERUS repentina morte eos occubuiſſe cognovit, quibus proceſſus oſſis occipitis condyloides de cavitatibus primæ colli vertebræ dimoti fuerunt ac depulſi. Id quod etiam hominibus eveniſſe, prima vertebra atlante, ab altera, epiſtrophæo dicta, diſcedente, MAUCHARTUS teſtatum facit [*b*]. Quamquam is ruſticus plurimos dies ſupervixiſſe BONETO dicitur, qui ex arbore decidens cervicis vertebram ſecundam prope atlantem habuit luxatam, antequam hac luxatione ſit extinctus: ipſe tamen hujus obſervationis Auctor, qui PANAROLUS eſt in *Pentecoſt. II. Obſerv.* 26, non diffitetur, alios, ſimili vertebrarum luxatione affectos, brevi temporis ſpatio ſe vidiſſe mortuos [*c*]. Neque vero multi ſudoris eſſet complura hujuſmodi

[*t*] Lib. cit. Tom. III. lib. V. part. IV. cap. 3. p. 371. Item Galenus de Hippocr. & Platon. placit. lib. II. cap. 4. in fine Charter. Tom. V. p. 97.
[*u*] Libr. cit. ſect. I. pag. 70.
[*x*] Libr. de Hipp. & Plat. decr. libr. VII. cap. 3.
[*y*] Libr. cit. Volum. IV. not a. ad §. DC.
[*z*] Libr. adduct. Comment. in §. 170. Aphor. Boerhaavii not.
[*a*] Ibidem pag. 595.
[*b*] Diſſert. de Hern. incarcerat. Coroll. I.
[*c*] Libr. citat. libr. IV. ſect. VI. Obſerv. I.

modi exempla, ex Obſervatorum locuplete penu deprompta, in medium proferre, quibus abunde conſtitit, quam triſtiſſimi, læſionis, medullæ ſpinali illatæ, ſemper fuerint exitus, ſi hic exempla coacervare animum induxiſſem, nec jam hodie apud omnes in confeſſo foret, graviores hujus partis percuſſiones per ſe lethalibus eſſe annumerandas. Nam Medicorum princeps & parens, HIPPOCRATES, ſpinalis medullæ vulnera jam inter lethalia declaravit [*d*], cui alter teſtis ſuccedit, *Corn.* CELSUS, pariter hujus medullæ ſauciationes inſanabilibus accenſens, ex quibus homo ſervari nequit [*e*]. Nec abludunt illis FALLOPIUS [*f*] & FORESTUS, *ſi ſpinalis medulla*, aiens, *vulneretur ad ſui principium, neceſſario ſequetur mors* [*g*]. In quam eamdem quoque ſententiam loquitur WELSCHIUS, quod ſpinalis medullæ vulnera ſimpliciter & abſolute lethalia eſſent, præſertim ſi in ſuperiore parte contingant [*h*]. Ipſe quoque Illuſtr. Vir *van* SWIETEN his, qua graviſſimis, qua veriſſimis innuit verbis: *Ex notabili autem læſione medullæ ſpinalis ſuperioris evaſiſſe aliquem, quantum novi, non conſtat ullis obſervatis* [*i*]. Cujus etiam ſententiæ itidem Illuſtris *de* HALLER his præclaris ſubſcribit verbis: *Satis ita puto apparebit, cerebelli vulnera & vitia magis periculoſa eſſe vulneribus cerebri, minime vero perpetuo cordis motum ſupprimere vitamque. Sed de medullæ ſpinalis vulneribus nullum dubium eſt, quin maxime funeſta ſint* [*k*]. Quam ergo tam funeſti exiſtimaveris tamque triſtiſſimi exitus, qui ſpinalem medullam, ſi in ſui principio intra colli vertebras quoquo pacto fuerit læſa, ſemper manet, veram cauſam; & unde eam deducendam autumaveris, huic medullæ primas & præcipuas in vitalibus functionibus adminiſtrandis abjudicaturus?

## §. L.

Qua quidem ratione cum tot, tantis tamque certiſſimis rerum atque experientiæ teſtimoniis, SCHULZII & HALLERI, Virorum in medendi ſcientia facile principum, ſuffragatione inſuper ſubnixis, omnium velut oculis pateat, ex ſpinali medulla iſtos nervos, qui vitalibus & naturalibus corporis viſceribus ſenſum & motum præſtant, longe frequentiores, quam ex cerebro latius ſumpto, exeuntes ad dictas modo partes pertingere: unicuique promptiſſimum jam erit perſpicere, ſpinalis medullæ præcipuas atque adeo primas eſſe in vitalibus & naturalibus negotiis conficiendis & continuandis



[*d*] De morb. libr. I. Charter. Tom. VII. p. 532. & Prrorhetic. libr. II. cap. II. Charter. Tom. VIII. pag. 819.

[*e*] Libr. V. cap. 26.

[*f*] De vulner. in genere, cap. IV.

[*g*] Obſervat. Chirurgic. libr. VI. Obſerv. IV. in Schol. & libr. VIII. Obſerv. IV. in Schol. item lib. IX. Obſerv. III. in Schol.

[*h*] Libr. citat. cap. III. pag. 48.

[*i*] Comment. & loco cit. pag. 254.

[*k*] Libr. citat. Vol. IV. not. a. ad §. DC. pag. 594.

dis partes; cerebello autem cum oblonga medulla fecundas, & cerebro pressé dicto tandem tertias. Supra enim uberius expedivi ac fusius, universos ex oblonga medulla emergentes nervos, & a cerebro, & a cerebello fibris condonari; sed illos, qui indidem orti ad corporis capiti subjectas contendunt partes, paucioribus a cerebro, copiosioribus vero a cerebello adornari, veri esse simillimum. At vero cum, horum nervorum, velut nervi vagi & imprimis trunci intercostalis, magna esset gracilitas atque exilitas, consentaneum esse, eos solos minime esse suppeditaturos in vitalia viscera tantum nervei liquidi invehendo, quantum satis est ad ea justis motibus cienda & agitanda, nisi suo in itinere complures nervorum cervicalium propagines sibi adjungerent socias, quippe quarum partes in hisce visceribus movendis præcipuæ essent. Rem vero ita ferre, tum pluribus experimentis tum practicorum observatis usque adeo dilucide & perspicue me expediisse mihi persuasum est, ut neminem facile futurum esse putem, qui hoc in dubium incertumque sit vocaturus. Quoniam itaque de *cerebelli & oblongatæ medullæ læsionibus* hactenus demonstratum dedi, eas subinde *non tam repentinam* vulneratis arcessere *mortem*, quam huc usque pluribus medentium fuit persuasissimum, quid? quod nonnulla ipsius cerebelli vulnera, etiamsi cum jactura substantiæ ejus corticalis conjuncta, interdum tamen feliciter persanata fuisse; nihil amplius restat, quam ut de *cerebro* etiam *presse & anguste sumpto*, quod ego mihi, *de sanabilibus* subinde *cerebri* dicturus *vulnerationibus*, consulto extremum proposueram, planius magisque perspicue expediam, nec ejus plagas sauciatis semper lucis usuram eripere.

§. LI.

Quoniam vero nulla re homines ad consentiendum facilius, nisi experimentis, argumentis omni luce clarioribus, ducuntur, non alienum erit nec injucundum, nonnulla, a Viris magnam sui famam gloriamque in medendi doctrina consecutis, in viventibus animalibus celebrata, in medium proferre, quo iis evidentius liqueat, nec a cerebri labe & ruina animantibus tam subito vitam fuisse ademptam, quam id fieri forte existimari posset, sed per complures horas, imo totos dies, iisdem haud insolenter intemeratam permansisse. De istis quæ VIEUSSENIUS in variis canibus tentavit, experimentis jam supra me dixisse memini, quibus omnium oculis patuit, lacerato, quin evulso universo cerebro, ita ut cerebellum intactum manserit, animalia ista ad plures horas satis commode respirasse eorumque cor satis nervose palpitasse [*l*]. Pari ratione PERRAULT totum canis cerebrum frustulatim dissecando cranio exemit, animali hoc per totam horam supervivente: ubi primum vero cerebellum similiter discindendo corrupit, illico illud expirasse tradit [*m*]. Ex compluribus quoque istis experimentis, jam supra a nobis adductis, quæ doctissimus ZINNIUS in canibus adornavit, perspicuum

[*l*] Libr. & loc. supra adduct.
[*m*] loc. ante citat.

cuum eſt, cerebro licet acuto inſtrumento pertuſo, eos tamen per longum tempus ſatis vegetos adhuc vixiſſe [*n*]. Illuſtris quoque *Abrah.* KAAV-BOERHAAVE ſimilia in ejuſdem generis animantibus inſtituit experimenta, cerebri corticem, intacta ejus medulla, primum cultelli cuſpide pungendo, deinde quoque medullam pari modo lædendo & diffringendo, qui, eo non obſtante, complures horas vitam vixerunt quamvis languidam [*o*]. Sic quoque WILLISIUS [*p*] & HOFFMANNUS [*q*], ille in gallina, hic autem in cane, cerebrum clavo ingenti transfixerunt, animalibus his ſuperantibus. MOLINELLUS quoque ſiniſtra cranii parte vivi canis aperta, ejuſdem lateris cerebri lobum, quam magnus eſt, totum indidem abſtulit, cane ad tempus ſupervivente, niſi quoque ejus latus hemiplegia fuit tantum affectum, ſiniſtro ejuſdem latere contra & ſenſuum & motuum integritate uſo ac fruito [*r*]. CHIRAC quoque cani dimidium excidit cerebrum, nihilo ſecius is artus moviſſe & obambulaſſe proditur: quid? quod cranio totum evulſit cerebrum, ſalvis ſenſibus & reſpiratione [*s*]. Quibus proinde experimentis, quorum, ſi uſus fuerit, majorem recenſere poſſem copiam, haud ſane obſcure elucebit, vitam animantibus diu ſupereſſe poſſe, cerebro quantumvis graviter percuſſo vel ſauciato.

## §. LII.

Confirmant hoc quoque iſta exempla, ubi cerebrum abſceſſibus, ulceribus, aliiſque id genus vitiis, in penitioribus ejus receſſibus occultatis, exeſum, corruptum & devaſtatum; aut etiam in infantibus, ab aquarum vi ac mole in cranio concluſa, colliquefactum velutque in nihilum redactum fuit repertum, ægrotis hujuſmodi diutius opinione in vivis manentibus. Cujuſmodi exempla quamplurima paſſim in Obſervatorum ſcriptis relata leguntur. Sic DIEMERBROEKIUS habet obſervationem de ægroto quodam, cujus in ventriculis anterioribus plus ſemilibra puris fuit inventa, cui nihilominus & integra mens, & motus incolumes, ad uſque extremum halitum fuerunt [*t*]. WEPFERUS quoque hiſtoriam mulieris cujuſpiam adducit, cujus in cerebro corpora ſtriata exulcerata in ventriculo dextro ſunt conſpecta, a quodam abſceſſu ad ovi magnitudinem accedente, quæ tamen uſque ad mortem exquiſito videndi & audiendi ſenſu prædita fuit [*u*]. De abſceſſu natibus cerebri inſidente, puris pleno, quo puella per quatuor menſes, ſine ulla

[*n*] Differt. citat. Part. I. Experim. I. VI. & VII.
[*o*] Libr. cit. Cap. VII. §. 325.
[*p*] Anat. cerebr. pag. 67.
[*q*] Libr. & loc. ante citat.
[*r*] Commentar. Academ. Scientiar. Bononienſ. Tom. I. pag. 139. Petit lettre à un medecin I. obſerv. 2.
[*s*] Philoſ. Tranſact. n. 226. p. 461.
[*t*] Anatom. corp. hum. lib. III. cap. X. pag. 394.
[*u*] Tract. de Apoplex. Hiſt. XIV. pag. 397. 401.

ulla febre, conflictata eſt, videatur BONETUS [x]. FERNELIUS quoque prodit, cerebri ſubſtantiam in coriario quodam in abſceſſum fuiſſe converſam, unde magna puris copia per multos menſes ſtillavit, qui tamen neque febre corripi viſus eſt, neque cibi faſtidio multum premi, neque extenuari [y]. De humore purulento, viſcido, in utriuſque cerebri ventriculis deprehenſo, qui cauſa lethargi, in apoplexiam denique cedentis fuit, reſpiratione nihil vitii inde capiente, quamdiu ægrotus in vivis fuit, confert. WEPFERUS [z]. De milite, haſta in ipſa cerebri ſubſtantia læſo, qui ſanatus, amplius ſeptem hebdomades aliis ſanus ſerviens ægris, demum hebdomade octava ſubitanea morte extinctus eſt, in cujus capite una cerebri pars corrupta, putrida & conſumpta fuit inventa, mentionem facit BONETUS [a]. Haud fere diſſimilem narrat hiſtoriam *Thom.* BARTHOLINUS, de apoſtemate in cerebro, vulnus capitis ſecuto, pure copioſo abundante, quo æger die ſeptimo expiravit, ſine delirio, paralyſi & pulſu febrili [b]. Ac profecto difficilius exitum, quam principium ampliſſimi hujus dicendi campi invenire mihi liceret, omnes iſtas obſervationes, in Auctorum monumentis paſſim obvias, de cerebro variis abſceſſibus & ulceribus obſeſſo, aut aliis peregrinis corporibus oppreſſo, vel aquarum abundanti copia obruto & in liquamen velut mutato, quo nihil impedimente, ægrotis vita ſatis diuturna fuiſſe ſcribitur, in medium prolaturo; conſulat Obſervatorum monumenta, cui volupe eſt animum ſuum pluribus hujuſmodi obſervationibus legendis explere & ſatiare, mihi enim majora & potiora ſuperſunt perſequenda, quæ proinde breviter colluſtrare operæ pretium erit.

## §. LIII.

Ut vero etiam aliquibus obſervatis, ex arte chirurgica depromptis, declaremus, vel graviſſima cerebri vulnera, cum haud mediocri tum corticalis, tum medullaris ſubſtantiæ detrimento ſubinde conſociata, reapſe aliquando fuiſſe perſanata, ægrotis ſibi ſuperſtitibus & priſtinæ ſuæ haud inſolenter valetudinis proſperitatem recuperantibus; haud inconſulte acturi nobis videmur, ſi quædam iſtarum cerebri plagarum exempla delibemus, quæ omnino fuerunt curata. Ex numero eorum, qui inflicta cerebri vulnera aliquando ſanata viderunt, primus prodeat GALENUS, qui ſuiſmet ſe oculis uſurpaſſe vulnus cerebri notatu dignum in adoleſcente quodam Smyrnæ, celebri quondam Ioniæ urbe, refert, quod, quamvis in alterum anteriorum ventriculorum penetraverit, tamen feliciſſime fuit ſanatum [c]. Cui nec mul-

[x] Libr. cit. libr. I. ſect. I. obſerv. XLVI.
[y] Libr. de Lue vener. cap. VII.
[z] Libr. cit. Hiſt. XVII.
[a] Libr. cit. libr. I. ſect. XIII. obſerv. XIX. §. 2.
[b] Centur. II. hiſtor. 34.
[c] Libr. VIII. de uſu part. cap. X. & comment. in Aphor. Hippocrat. comment. 18.

multum abluſiſſe videtur illud vulnus, cujus THEODORICUS, Chirurgus quidam, meminit, quod ventriculo cerebri poſteriori (tertio, an quarto? de eo ſiletur,) incuſſum & curatum fuiſſe fertur [*d*]; id quod quamvis dubitet *Guido de* CAVLIACO, ipſe tamen ingentia cerebri vulnera, cum ejuſdem ſubſtantiæ diſpendio, interdum conſolidata eſſe concedit [*e*]. Teſtatum hoc facit exemplo cujuſdam a ſe viſi, cujus occiput ita vulneratum fuit, ut parva quædam portio ſubſtantiæ cerebri eo exiret, vulnerato ex hoc vulnere convaleſcente. Commemorabiles quoque extant obſervationes apud *Gregor.* HORSTIUM, de magnis & profundis cerebri vulnerationibus, feliciter ad cicatricem ductis, quarum altera, ſatis alte ad cerebri interiora pertingens, ſine gravioribus accidentibus brevi fuiſſe ſanando ſublata commemoratur: altera vero cum jactura portionis cerebri, nucem juglandem æquantis, itidem, cum magna multorum admiratione, ſauciato ſuperſtite, coaluiſſe [*f*]. BRASAVOLUS quoque teſtis eſt, quempiam, cujus cerebrum vulnere ſauciatum fuit, tanta quamvis ejus ſubſtantiæ quantitate amiſſa, quantum eſt parvum gallinæ ovum, tamen evaſiſſe & per triennium ineptum ac fere ſtupidum ſupervixiſſe. Et, quod magis mirandum eſt, militem vidit, cui fere dimidium capitis cum ſua cerebri portione ablatum eſt, quem nihiloſecius ex hoc tam graviſſimo vulnere convaluiſſe perhibet [*g*]. Quocum CARPUS concinit, loquens: *Quod contingat, cerebrum lædi & ſanari, tenet* CONCILIATOR *diff.* 181. *etſi aliqui tenent contrarium, hoc eſt, quia pauca viderunt & minus credunt; credo ego mihi ipſe, & fateor, quod vidi uſque ad hunc diem ſex homines, a quibus notabilis quantitas medullæ cerebri evixit, & ſanati ſunt, de quibus duo paſſi ſunt paralyſim unius lateris: tamen vixerunt per duos annos* [*h*].

## §. LIV.

Nec deſunt aliorum graviſſimorum Medicorum, qui a noſtra ætate propius abſunt, quin etiam noſtra hac memoria ſuperſtites florent, teſtimonia, ſenſuum & obſervationum fide abunde comprobata, quæ huic rei fidem faciunt. BOHNIUS enim ſua ipſius experientia teſtatur, fœminam quamdam in capite vulnere incredibilis magnitudinis, longitudine ſpithamam æquante, quod ab occipitio per ſiniſtra tempora & frontem ad uſque naſum pertigit, fuiſſe ſauciatam, cum aphonia ſenſuumque fere omnium per biduum intermiſſione, febre tamen non adeo magna, quam, aliqua quamvis cerebri portione extrita ac deperdita, tamen intra aliquot hebdomades fuiſſe ſanatam ſcribit [*i*]. Cui alter teſtis ſucc edit, *Joann.* MUYSIUS, qui



[*d*] Libr. II. cap. II.
[*e*] Bohnius libr. cit. ſect. I. pag. 35. & Foreſtus obſerv. chirurg. obſerv. II. in ſchol. p. 12.
[*f*] Libr. conſult. & Epiſt. de re medic. var. ſect. XVII. pag. 493. & ſeqq.
[*g*] In comment. in Aphor. Hippocr. 18. libr. VI.
[*h*] *Marcellus* Donatus libr. V. cap. IV. pag. 547.
[*i*] Libr. cit. ſect. II. cap. 180.

itidem vulnerati cujuſpiam meminit, cujus ſinciput ligone uſque adeo vehementer fuit vulneratum, ut præter ingens cranii fruſtum, injecto ligone avulſum, una haud mediocris cerebri quantitas abrepta fuiſſet, quem nihilominus tanto vitæ periculo defunctum eſſe, relicta quamvis hemiplegia, aſſeverat [*k*]. HILDANUS quoque obſervationem affert de puero, cui inter ludendum ſiniſtra oſſis frontis pars percuſſa eſt, unde peſſimis ſymptomatibus tentatus fuit: poſt binos menſes, quum mali vis in dies ingraveſceret, trepano cranium perforavit, quo facto, ſtatim magna puris copia cum impetu per foramen factum erupit. Poſtea vero ipſa cerebri ſubſtantia, quæ coërceri nequivit, ex eodem foramine emergere incepit, quæ circumjecto filo & conſtricto ablata eſt. Sed mox ſimilis ſubſtantia inſtar fungi, altitudine trium digitorum, ex eodem foramine ſuccrevit, quæ ſimiliter, atque antea, filo circumligato ſublata fuit. Id quod eodem modo ſæpius peractum eſt, ita ut omnes reſecti fungi fere pugni magnitudinem exceſſerint, puero hoc nihilo magis priſtinam ſuam ſanitatem recuperante [*l*].

## §. LV.

Iſte etiam caſus, quem Dn. D. BEHRENS peculiari ſcripto typis mandandum curavit & publicandum, hic loci memori pectore notari meretur. Equiti gregario, in dextra frontis parte, ſupra oculum, ab equo calces remittente ingens vulnus, plus binos pollices longum, & unum latum, incuſſum eſt, cum tanta ſanguinis effuſione, ut vulneratus ſuo ſanguini velut innatare ſit viſus, iſto oſſis fruſto, quod ex cranio excuſſum erat, minutim diffracto inque, plurimas feſtucas diffiſſo, quæ in ipſo cerebro alte defixæ hærebant. Incipiente ſuppuratione, qua cætera oſſis frontis fruſtula, huc uſque, propter cutim ea adhuc obtegentem, non obſervata, ſenſim pedetentimque cum ipſa cute ſeparata ſunt, ipſum vulneris orificium quinquies tanto majus ſeu amplius, quam primo aſpectu, demum cognitum fuit. Ex hoc vulnere primis diebus binæ cerebri portiones, quarum unaquæque amygdalam æquavit; procedente vero ſuppuratione paulatim plures, excretæ ſunt, præterquam quod ſuppurando puris ſpecie in dies ex cerebri ſubſtantia extritum fuit, quemadmodum id ex cavo illo, a ſuppuratione in cerebri ſubſtantia reliquo, apparuiſſe fertur. Miles hic primis a ſauciatione diebus rationis uſu omnino caruiſſe commemoratur, elapſis vero aliquot diebus ſenſim ſenſimque animus ei rediit. Durante etiam ſuppuratione neque febre, neque convulſionibus, nec vomitionibus aliiſque id genus malis laceſſitus fuit, præterquam quod ex curatione percepit. Exactis tandem aliquot menſibus priſtinæ ſanitati reſtitutus ad legionem illam, in qua ſtipendia equo faciebat, reverſus eſt, ubi conſueta ſua munia pari modo, atque ante, expedire dicitur [*m*].

§. LVI.

[*k*] Prax. ration. chirurg. Decad. V. obſerv. I. pag. 218.
[*l*] Obſerv. chirurg. centur. IV. obſerv. III. pag. 287.
[*m*] Obſerv. de vulner. cerebri non ſemper & abſolute lethal.

## §. LVI.

Notatu quoque digna ea mihi videtur hiſtoria, a Dn. D. *Dan. Gottl.* THEBESIO litteris prodita, de quadam vidua, quam ſommo alto occupatam nefarius homo ingenti malleo, fabris murariis uſitato, adortus, compluribus in dextro capite vulneravit plagis, in ipſius cerebri ſubſtantiam penetrantibus, unde ſanguis tam abundantiſſime effuſus, ut ſuo in ſanguine quaſi nataſſe fuerit ſpectata. In ſuperiore & media oſſis ſincipitis dextri parte terna vulnera, præter cæteras plagas præcipua magnitudine conſpicua, intuentibus oculis obvia facta ſunt, ex quorum maximo, transverſi digiti lato, & dimidii longo, ſpectabilis cerebri portio ſingulis arteriarum ictibus extuberabat: alia vero bina, eaque minora vulnera, in antica magis hujus oſſis parte infixa, itidem cerebri quid cranio expulſi atque extantis oſtendebant. Verum enim vero quod ex hac graviſſima cerebri ſauciatione, quam hoc loco latius proſequi, nec temporis exiguitas, nec Diſſertationis anguſtia permittunt, ad noſtros facit uſus, eſt, ut compendii faciam, inſignis iſta tum medullaris ſubſtantiæ copia, inter ſuppurandum in dies minutatim ex cranio excuſſa, quæ, ſi totius molis, cranio per omnem curationem exeuntis, rationem inieris & ſubduxeris, tanta fuiſſe perhibetur, quantam vix cochlear majoris formæ capere potuiſſet. Deinde quoque obſervatu dignum eſt, quod hæc ſaucia ſemper omnium ſenſuum & mentis fuerit compos, nec febre primis diebus, nec convulſionibus, nec aliis quibuſvis gravioribus malis tentata ſit vexataque, præter aliquam ſomnolentiam; quemadmodum etiam ciborum appetentia ipſi perſtitiſſe ſcribitur ſatis bona. Noviſſime etiam commemorare convenit, hanc graviſſime percuſſam quatuor & decem hebdomadum ſpatio priſtinam recuperaſſe valetudinem [*n*].

## §. LVII.

Quibus igitur hactenus enumeratis obſervationibus, quæ tot tantorumque doctiſſimorum Virorum oculis teſtatiſſimæ ſunt factæ, ea ſubtexere liceat, quæ egomet ipſe, triennio circiter exacto, mea ſolius experientia deprehendi in variis periculoſiſſime vulneratis, curationi meæ commiſſis, cum in noviſſimo iſto eoque cruento & luctuoſo bello, quod Gallia adverſus Auſtriam in Belgio geſſit, Chriſtianiſſimus Rex me militum valetudinario, ſeu noſodochio, quod Bruxellæ conſtitutum erat, primarium & ſuperiorem Chirurgum præfeciſſet, ubi copia mihi facta fuit, innumerabilibus graviſſime conſauciatis ac multis iiſque periculoſiſſimis vulneribus confoſſis militibus, qui magno quotidie numero eo confluunt, manus ferendi & adhibendi auxiliatrices. In hoc tanto numero, qui ſe mihi tradidit ſanandum, erat quidam



[*n*] Vid Epiſtola gratulat. caſum rariorem de multiplici atque enormi capitis vulneratione exhibens, quæ Diſſertationi, de *Conſenſu pedum cum inteſtinis*, ab Illuſtri Præſide publici juris factæ, in calce adjecta eſt.

dam captivus, natione Anglus, *Ritſchit Watthens* nominatus, miles gregarius, triginta quinque annos natus, macilento corporis habitu & temperatura cholerico-melancholica, cujus caput, in prælio Laufeldenſi, prope a Trajecto ad Moſam facto, in ſiniſtro oſſe bregmatis, haud procul a coronali ſutura, ſupra ſic dictam ſquamoſam, acinace uſque adeo fuit vulneratum, ut non ſpectabilis quædam pars ſolum dicti oſſis ſincipitis, (cujus diameter binas cum dimidia habebat uncias,) ex cranio avulſa, & κροταφίτης muſculus ſuperne diſſectus deprehenderentur; ſed haud mediocris etiam corticalis & medullaris ſubſtantiæ portio, dimidii pollicis craſſa, de cerebro ſublata conſpiceretur, cum ſubſequente largiſſimo ſanguinis ex vulnere profluvio, deciſis vaſis, per hunc muſculum diſſeminatis, ſuum ortum potiſſime debente. Nihil mihi magis curæ fuit cordique, quam ut ſtatim cruoris torrentem convenientibus ſtypticis eo conſilio adhibitis ſiſterem, & vulnus hoc periculoſiſſimum pro eo, ut uſus fuerit, deligarem. Ægrotus hic gravibus ſymptomatibus omnibus, cerebri vulnera alias comitari ſolitis, velut delirio, ſenſuum amiſſione, convulſionibus, aut epilepſia, aliiſque hujus ſortis, immunis fuit, præterquam quod febre corripiebatur, in dies leniter invaleſcente, quamvis tempeſtivam ſanguinis in brachio miſſionem non neglexerim, quæ febris tamdiu ſauciato inſidias tendere advertebatur, dum ſauciata pars ſuppurare inciperet; ſuppuratione autem bene procedente, febris ſenſim decreſcens abiit. Illud vero, quod admiratu digniſſimum, eſt iſta magna jactura, quam cerebrum durante ſuppuratione fecit: ſiquidem a vero nihil aberravero, ſi dicam, facile plus ſubſtantiæ corticalis & medullaris, quam duo cochlearia, quibus adulti homines ad juſcula hauriendaututuntur, continere valent, ex cerebro ſenſim pedetentimque extritum eſſe ac deperditum; præter iſtam portionem, quam antea prædicavi cædendo ablatam fuiſſe. Quamquam vero hic ægrotus tantam cerebri ſui vim ac molem perdidit, tamen, poſtquam novem hebdomades effluxerunt, ex graviſſima hac ſauciatione explicatus, ſalvo & ſuperſtite ſenſuum omnium & rationis uſu, ad patrios lares rediit.

## §. LVIII.

In eadem quoque fortuna fuit alius ejuſdem gentis miles gregarius, nomine *James Ziwwers*, vix quadrageſimum ætatis ſuæ annum ingreſſus, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, amplioris & obeſi corporis, qui in eadem pugna multo gravius priori ac periculoſius ſauciebatur. Namque caput ejus inverſæ bombardæ manubrio ab hoſte tam vehementiſſime percutiebatur, ut, excepto tanto tamque vehementiſſimo ictu, ſtatim in terram defluxerit, mentis & ſenſuum uſu illico ceſſante; quin etiam ſanguine tanto impetu ex inflicta plaga eruptionem faciente, ut brevi poſt in noſtrum noſodochium delatus, mihi plurimum negotii faceſſeret, priuſquam ſanguinis flumen inhibere ac ſuſtinere valuerim. Inhibito itaque ſanguinis profluvio & ipſo cranio

altius

altius curatiusque inspecto, os bregmatis dextrum tribus distinctis locis diffractum, & tot foraminibus esse pertusum, deprehendi. Ossea hæc fragmenta, ex parietali osse excussa & avulsa, quorum quodque paulo majus illo aureo nummo, Ducatum quem vocant, erat, partim in cerebri cortice, partim in crassa tantum meninge defixa hærebant, præterquam quod tertium eorum dumtaxat exterioribus capitis integumentis adhuc quodammodo annexum conspiciebatur. Quo perspecto, curæ maximæ mihi fuit, ut ista duo ossea frusta seu fragmenta, quorum alterum in cerebri substantia profunde demersum videbatur, alterum vero duræ tantum matri infixum, indidem eruerem. Externo igitur cutaneo vulnere sectione usque eo dilatato, ut aditus mihi eo patuerit expeditior faciliorque, fragmentum illud, quod cerebro illisum profundeque incussum hæsit, adhibita omni circumspectione, volsella prehensum, quam lenissime blandissimeque potui, extraxi. Simili quoque ratione alterum, acuminata sui parte duræ matri infixum, quod nexibus quibusdam ipsi parietali ossi adhuc erat illigatum, indidem emovi, tertio, integumentis exterioribus capitis adhærescente, cultelli acie ab iis reciso. Quibus itaque remotis, ipsum cerebrum, cum lacerata crassa meninge, oculis meis se clarius objecit spectandum, quod tanta cruoris, e diruptis meningum vasis effusi, vi ac mole obrutum inveni, ut verendum esset si is indidem instrumentis chirurgicis educeretur & tolleretur, ne sanguinis profluvium recrudesceret. Idcirco optimum factu ratus, totum cruoris inde expurgandi & dimovendi negotium ægrotantis naturæ committere, ipsis vulneribus, jam satis explicatis & patentibus, blanda duntaxat balsamica indidi, emplastrum de beton. iisdem superponendo, ac toti capiti calida fomenta, ex herbis nervinis & cephalicis concinnata vinoque incocta, quam creberrime adhibendo. Unde factum est, ut die tertio suppuratio eorum ex voto succederet, cujus beneficio omnis ista sanguinolenta crusta, quam cerebro obductam fuisse supra dixi, paulatim separata est atque e cranii cavo exturbata, qua sublata demum satis notabilis hiatus in cerebro, ad interiores hujus recessus se extendens, in conspectum venit, qui suppurando sensim major est redditus: quia, perseverante ejus suppuratione, tanta, tum corticalis, tum medullaris substantiæ portio in dies minutatim cranio exivit, quanta, (si universas cerebri particulas, quas natura ægroti inter suppurandum singulis diebus per calvariæ fracturas emolita est, ad unam summam retuleris,) tria fere cochlearia comprehendunt. Quo nomine etiam haud mirum est, hunc vulneratum tam acerbis & gravissimis symptomatibus, velut perpetuo delirio, intensiore febre & convulsivis subinde etiam motibus detentum fuisse, quibus omnibus, si a febre discesseris, superior sauciatus caruit, quia, præter hanc vulnerationem, ei tota cerebri moles simul tam violentissimo percussionis impetu quam vehementissime fuit commota & concussa. Verum enim vero, expulso eo, quod de cerebro erat corruptum, & vasculis in dicto hiatu recrescentibus, febris, quæ ægrotum nostrum huc usque perpetuo detinuit, sensim sensimque consenescere observata est, & vulneratus meliusculus

culus esse cœpit, inque dies quoque, cibi appetentia pedetentim rursus invalescente, pristinas corporis vires paulatim recuperavit, usque dum omni periculo tandem defunctus, atque omnino curatus, ex nostro valetudinario salvus atque incolumis dimissus est. Amplius vero quatuor & decem hebdomades in hoc vulnere consumptus est.

## §. LIX.

Binis hisce observationum, de cerebro exitiosis quidem vulneribus affecto, tamen aliquando sanabili, subnectere placet historiam militis in Gallia nati, nomine *Pierre du Buisson*, qui in obsidione urbis munitissimæ *Bergen op Zoom* saxi alicujus ictu in dextro bregmatis osse ita lædebatur, ut insignis cranii portio, ex eo diffracta atque evulsa, in cerebri substantiam intorqueretur, cum jactura quadam cerebri: siquidem ejus tantum per cranii aperturam inde excidit, quantum ad nucis juglandis magnitudinem accedit, vix ullis notatu dignis symptomatibus saucium hunc invadentibus. Ego illius plagam per aliquot dies quam diligentissime obligavi, omnibus malis, quæ ei accidere potuissent, sollicite antecapiendis, quo tempore etiam satis belle habuit. Verum nescio quo casu fiebat, ut vulneratus hic jussu tribuni illius legionis, sub cujus signis militabat, ex nostro nosodochio fuerit Gandavum transportatus. Nihil itaque certi ego ipse de eventu curationis affirmare possum, nisi quod ab aliis fando accepi, eum ex gravi hac læsione omnino fuisse curatum, & pristina valetudinis prosperitate frui. Tandem quoque non possum, quin hoc loco vel istius observationis meminerim, quam ab Excellentissimo atque Experientissimo Viro, Dn. *Foussadier*, Augustissimæ & Potentissimæ Imperatricis Russiæ principe & primario Medico vulnerario, (cujus amicitiæ fructu jucundissimo, me, qui huc usque in Gallia & Germania peregrinatus sum, caruisse vehementer doleo,) quondam audivi, cum Chirurgus superior Russicæ cujusdam legionis essem, qui, quæ singularis ejus in me est humanitas, mihi omni asseveratione affirmabat, quempiam militem, cui plurimum & corticalis, & medullaris substantiæ cerebri vulnere inflicto fuisset demptum & dissipatum, a se esse percuratum. Nec arduum foret complura alia de grandissimis cerebri vulnerationibus, quæ prosperi quandoque & optati exitus fuere, exempla, non minus ex veterioribus, velut ex *Nicol.* MASSA, CARPO, *Franc.* ARCÆO, *Joan. de* VIGO, VALERIOLA, NICOLO, cætera, quam ex recentioribus, in medium proferre, nisi veritatis vis per se tam magna esset, ut parum aut nihil subsidii externi requirere videatur.

## §. LX.

Nihil itaque amplius restat, quam ut hoc loci etiam ante oculos ponam, quænam cerebri vulnera proprie mortifera sint censenda? cur nonnulla haud ita

ita difficilis deprehendantur ſanationis, aliis, quantumvis perſæpe exiguis, vel certe mediocribus, homini tamen ſaucio interitum exitiumque molientibus, atque adeo fatali neceſſitate inferentibus? quid cauſæ ſubfuerit, cur iſti vulnerati, quorum cruentis vulneribus manus memet auxiliatrices admoviſſe antea memoravi, intentatam ſibi mortem effugerint atque indemnes evaſerint? Verum enim vero cum haud quaquam animum induxerim oſtendere, quæ ſint mortalia cerebri vulnera? ſed ſolummodo non cunctas ei ingeſtas plagas funeſti ſemper eſſe eventus: nihil ſane eſt, quod in hujuſmodi quæſtionibus enodandis diutius morando, & tempus, & operam fruſtra conteramus, maxime cum earum omnium haud difficilis ſit explicatio, dummodo ea, quæ de cerebri compage in ſuperioribus latius expoſita leguntur, item egregia iſta experimenta, fide & integritate tantorum, tam doctiſſimorum virorum abunde teſtata, curatius expendantur, atque ex interno ſuo pondere juſte æſtimentur. Ne igitur in hoc ampliſſimo differendi campo longius excurramus, quam id, & temporis ratio, & magnitudo Diſſertationis, ferunt, ex eo nos recipiemus & lucubrationes noſtras concludemus.

FINIS

IX.

# DISSERTATIO MEDICA
DE
# FUNGO CEREBRI,

*Quam Præside*

GOTHOFREDO SAND

*M. D. ET P. P.*

*Defendet*

GEORGIUS ALB. STOLTZ

*INSTERBURGENSIS.*

Regiomonti 7 Decembris anni 1700.

## J N I.

IMmerito a Conrado Tigurino de *Scriptorib. Chirurg.* & Renerio Solenandro *Conſ.* 24. *Sect.* 4. uti refert & aſſentitur Marc. Aurel. Severini *Efficac. Medic. l.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. tantæ mollitiei accuſari Germanos, ut turpi morte mori malint, quam generoſo animo unam dolorificam ſuſtinere operationem chirurgicam, verum reddere poterit vir generoſus & maxime ſtrenuus Dominus Vice-Colonellus, Otto Erneſtus de Rautern, in Abbarten, Deutſch-Wilten, Gurgenau, Plenau & Glugenſtein, Dominus hæreditarius triginta & unum annum natus, ſtaturæ mediocris, habitus carnoſi & firmi, temperamenti bilioſi, ſeſqui annum maritus, alacer & vegetus, unius filiolæ tum parens: qui 24. Auguſti, anni ſupra milleſimum ſexenteſimum, nonageſimi quinti, cum in Brabantia functione militari ſe abdicaſſet, in patriam redux, ut ſibi obviam properanti Dominæ Conjugi anteverteret, noctu milliaria noſtratia (germanica) cœlo adeo intempeſto & frigido, ut ex eo etiam refrixerit (quam refrigerationem mali hujus occaſionem fuiſſe, ipſe Dominus patiens autumat) confecit; ad prædia ſua, & ſuos reverſus, dulcibus ab iis, & chara præprimis Conjuge amplexibus exceptus fuit. Mox vero intolerabiles eum capitis invaſerunt dolores, ſeptimanas ſeptem continuas, indeſinenter affligentes, quibus deſinentibus octiduo circiter poſt, vertigo multum moleſtiæ exhibuit, quæ tamen poſt tranſmiſſi a Dno. Licent. Godſched medicamenti uſum, evanuiſſe videbatur; immanes autem iſti dolores, hebdomadibus vix tribus elapſis, iterum ingruerunt, diebus quatuordecim, caput atrociter lancinantes, quare etiam contra dolores remedia quæſiturus, iter ad nos (Regiomontum) iniit, in medio vero itinere, cum ſex milliaribus ad huc Regiomonto, Abbartam (quod etiam prædium Domini Patientis eſt) ventum eſſet, caput totum adeo intumuit, ut ad preſſus, veſtigia primores digitos alta, relinquerentur, aſt tumor hic in abſceſſum, ovi gallinæ Calecuticæ bene magni, magnitudinis, triduo fuit ſupra verticem collectus, qui Emplaſtro, per noctem impoſito, emollitus, die ſubſequente gladiolo ſeu Lancetta apertus, multum puris fudit; & licet tumor quatuor quinqueve dierum intervallo, diſparuerit, indeſinenter tamen ichor ſeu ſanies tenuis, ex eo promanavit, neque ad coalitum, quamvis probe deligaretur, & convenientia Emplaſtra ac Epulotica imponerentur, niſi poſt anni quadrantem, perduci potuit. De hinc, elapſis diebus quatuordecim, denuo, eodem quidem in loco, tumor, magnitudine minoris ovi, extuberavit, quare, cum Balneatoris Gerdavienſis ſibi haberet commendatam experientiam, Wilkeimum, prædium beati fratris ſui germani, Domini Wilhelmi Alberti de Rautern, ſupremi, aulæ Brandenburgicæ, Mareſchalli ac Capitaneatuum Neuhauſen & Labiau Satrapæ, dimidio milliari ab arce Gerdaven diſtans, ſe contulit, ubi ex tumore, (emplaſtro ab accerſito Balneatore iſto, veſperi impoſito) mane rupto, pus magna vi erupit, ſubſtitit illic Dominus Patiens ſex ſeptimanas integras, promiſſis, ſe intra tem-

pus hoc ſanatum iri, fretus, cum vero tempus hoc præteriiſſet, nec aliquid opis, quamvis quotidie deligatus eſſet, ſentiret, Chirurgus inſuper ipſe morbo corriperetur (morbum fuiſſe ſimulatum ſuſpicor) tertium ſibi Chirurgum, Dominum Bartholomæum Fuchs, Raſtenburgo adſcivit, cui ſoli cum ſe concredere dubitaret, eum ſibi comitem itineris elegit, hucque Regiomontum cum eo venit; acciti fuerunt, Dominus Joannes Godſched, Med. Licent. & P. P. ac Auguſtinus Groſmann ut & Carolus Joſephus Viviani Roma Italus, Chirurgi, qui inſpecto & examinato malo ſupra verticem, qua parte ſuturæ Coronalis & Sagittalis ſibi committuntur, parvum invenerunt foramen, per quod ſtylus, longitudine digiti, ſub cute, occiput verſus, adigi potuit, qui ad extremitatem meatus offendens, cutem aliquantulum elevavit, quapropter eouſque eam incidendam eſſe, ratum fuit viſum, facta inciſio atque delegata die iſta (*erat* 13. *Septembris anni* 1696.) ob hæmorrhagiæ metum, reſolvi non potuit, ſed ſequens medicamentum fuit ordinatum, quod ℞. *Trifol.* ▽*tic. Beccabung. Menth.* ⊖ *volatil oleoſ. mac. an.* ʒ*ii Spir.* ✱ *ci Caſtor. ſuccinat.* ʒ*iß.* M. D. S. *Haupt-und Magen-ſtärckende* Miſtur, *wieder die Flüſſe und den* Scorbut, *davon* 50. *Tropffen auf* 1. *mahl, in etwas Wein oder anderm Trincken.* Ut ut etiam ſequenti

*Die* 14. *Septemb.* ſcilicet, panniculus carnoſus cum Pericranio & huic adnato Perioſteo, cultro inciſorio perſcinderentur, Caries tamen in Sutura Sagittali nondum fuit obſervata.

*Die* 15. Seu tertia ab adventu ejus, ſupra foramen excreſcentia quædam in conſpectum venit, quæ tamen, quod facillime ſepararetur, habita fuit nullius eſſe momenti, quare poſtero mane.

*Die* 16. nempe, acceptis ſecum Emplaſtris convenientibus, & Balſamo vulnerario, domum revertit: applicata fuerunt Emplaſtra, præmiſſis ex Balſamo inunctionibus, debitæ quoque deligationes quotidie fuerunt inſtitutæ, uſque dum, quatuor hebdomadarum ſpatio elapſo, cum ad coalitum vulnus perduci nequiret, ſed foramen in Calvaria, potius continue, pus funderet, comite itineris, modo nominato Chirurgo Raſtenburgenſi accepto, quo vitæ & ſanitati ſuæ conſuleret, iter ad nos, Regiomontum, relegeret; acceſſit autem

*Die* 11. *Octobr.* Convocatis itaque die ſequenti Dn. Medico & Chirurgis ſupra nominatis, de re videbatur eſſe, unum adhuc advocare Medicum, interea a Dn. Medico, decoctum hoc præſcriptum fuit. ℞. Raſur. Lign. Saſſafr. Guajac. Santal. citr. an. ℥*i.* Rad. Sarſaparill ℥*ij.* Lapp. Maj. ℥*ß.* *Gialapp.* ʒ*v.* Rhabarb. ʒ*iij.* Fol. ſen. f. ſt. elect. ℥*ß.* Sem. aniſ. fœnic. a. ʒ*vi.* Cort. ⊙rant. Cinam. a. ʒ*iij.* Galang. Maj. ʒ*ij.* ex inciſ. & contuſ. f. l. a Spec. D. S. *Nützliche* ſpecies *zum Tranck.*

*Die* 13. Dn. Adamus Harweck, M. D. & P. P. etiam fuit adjunctus; pro inveſtigando itaque malo, Dn. Groſmannus, foramini pus fundenti, ſtylum per Calvariam, ſeſqui digitum plus minus, oblique licet, immiſit, & ad quippiam duriuſculum renitens illiſit, quod illico retulit, addens, Calvariæ

variæ craſſitiem tantam eſſe non poſſe, quanta quidem ſtyli immiſſi longitudo cerneretur, ad interiora itaque penetraſſe eum, eſſe manifeſtum; nec tamen Cerebrum vel Meningem, nec Calvariæ interiorem laminam id eſſe, ad quod offenderet (niſi deſquamatum laminæ hujus fragmentum, duræ matri incumbere, conjecturandum foret) Cerebro enim durius, mollius oſſe reperiri: quo ergo, quid lateret intus, pateſceret, Trepanum adhibere ſtatuerunt; facta propterea tunc fuit in crucem inciſio, ita ut foramen, in medio præter propter, relinqueretur, & labra vulneris a Cranio, quo ſic denudaretur illud, avulſa & reclinata fuerunt, ſanguine ſatis large effuſeque profluente, pro quo ſiſtendo, ſtuppa ſufficiente impoſita, deligatio conveniens adminiſtrata fuit, Trepani vero applicatio, in diem perendinum, certas ob rationes, fuit dilata: certam tamen, in cibis aſſumendis, Diætam, & pro potu ordinario, decoctum modo recenſitum, injunxerunt, addito pro duabus doſibus, pulvere ſequenti: ℞. Pulv. *Epilept. March. Bezoardic. Sennert. alb. Specif. Cephalic. D. M. Corall. rubr. Sangu. Dracon. opt. a gr.* XII. *M. Div.* in 2. part. æqual. D. S. *zwey ſtärckende Edel-Hertz-Pulver, davon* j. *in etwas Suppen.*

*Die* 14. Dominum Joannem Dietericum Heſſe, magni, quod hic Regiomonti eſt, Electoralis Noſocomii Magiſtrum, Dni. Licent. Godſched ſocerum, tum temporis decumbentem, viſitabam, præter amicos alios & Dn. Licentiatus aderat, qui dum inter nos colloquebamur, modo de Dno. ægroto relata, ibidem referebat, ſimul a me, quid de malo hoc ſentirem, poſcens; ſciſcitante vero me, quis in effluente per foramen materia, cernere-tur color, non rubrum eum, ut ex diploë emanantem eſſe ſanguinem conjecturandum ſit: ſed bene concoctum & perfectum pus id eſſe, quod effluebat, aiebat: ad quod ego inquiebam, me ex dictis colligere, nihil niſi abſceſſum, Cerebro ſeu duræ Matri adnatum, gravia hæc ſymptomata excitaſſe, qui, collecto in ſe ſanguine, per putrefactionem in pus cocto, vomica ſurſum verſus rupta, pus fuderit, pure vero exitum non inveniente, eum tamen ſibi parante, acredine ejus oſſa bregmatis pereſa, ſicque per fiſtulam ſeu foramen illud, viam patefactam fuiſſe, quo nido ſuo ad cutem erumpens, iſtum tumorem, ovi gallinacei indici magnitudinis, formaverit, hanc etiam cauſam eſſe, quod vulnus non coaleſcat, ſed indeſinenter adhuc pus ſtillet. Objiciebat contra Dn. Licentiatus, loci hujus, pro Apoſtematis generatione ineptitudinem; cum enim certum foret, pus non, niſi ex ſanguine, per diſſolutionem a maſſa ſanguinea alienato, atque per ſanguifera vaſa, ad locum depoſito, ibique calore ſuo privato, fieri poſſe, vaſa vero adeo ampla, nec in Calvaria, nec Meningibus inveniantur, abſceſſum etiam, & ſic quoque pus, his & ſimillibus in locis, generari non poſſe, veri eſſe ſimillimum. Ad quod ego reſpondebam: Si de ſtatu naturali modo adducta intelligenda forent, non habere me quod contradicerem, de ſtatu præternaturali vero notum eſſe, ſæpe talia in eo contingere, quorum generationis ratio, ſagaciſſimos etiam Phyſicos lateat; neque putandum,

absurdum esse, statuere Abscessus seu Apostemata, ad Cerebrum & Meninges nasci posse, propterea quod sanguini ad has partes advehendo, vasorum ejus capacitas facile sufficiat: præterquam enim quod ampliores arteriarum Carotidum rami, Meningi duræ, ejusque Duplicaturæ seu Falci, varias arterias largiantur, paulo infra quoque Choroidem subjacere plexum, qui totus ex innumeris arteriis, a Carotidibus Cervicalibusque oriundis surculis, inter se complicatis, sit contextus, per quam innumerabilium vasculorum copiam, sanguis satis copiosus, toti Cerebro affundatur, ut ita apostemata quam facillime istic generari posse, satis sit perspicuum, interim me experturum, num die crastina, post Trepanationem, rem, prout opiner, sint offensuri.

Post horam, hujus diei vespertinam tertiam, inspecto vulnere, cranium denudatum, inque ipso, Suturæ Sagittalis, & Coronalis concursu, mali sedes comparuit, ipsumque os, asperum & scabrum, carneque spongiosa & ad magnitudinem unguis minoris accedente, obsessum, fuit repertum, atque stylus in Cranii foramen adactus, alte penetravit: resecta itaque carne luxuriante, vulnus deligatum fuit: ipse Dn. ægrotus vero, tam vesperi, quam sequenti mane, pulverem accepit præcedentem.

*Die* 15. supra nominati Dni. Medici & Chirurgi convenerunt, atque primum Trepanum jam applicassent, nisi in crastinum operationem hanc differendam esse, tum labia vulneris Trepanum impedientia, tum obstacula alia id dissuasissent. Unde diductis magis labiis, & excissa, quantum potuit, carne spongiosa, deligato vulnere, quietem ægroto, & usum pulveris de die 13tia Octobris, injunxerunt: nocte exacta, quam varia insomnia, ob instantem Trepanationem interturbaverant.

*Die* 16. Trepanum primum (1) adhibitum fuit, atque perforato Cranio, excissum osticulum (*a*) exemptum, tota sua interiori lamina (*b*) cariem passum, sub ipsa Calvaria vero, ad Matrem duram, fungosa caro, (*c*) per totum foraminis spatium & latius adhuc expansa, ut & pus ad latus foraminis dextrum (*d*) promanans, in conspectum venerunt. Singulis res hæc altiorem peperit meditationem; quo enim affectus hic rarior, eo etiam gravior, curatuque difficilior habitus fuit: visum est propterea è re esse, plures accersere Medicos, & cum consilio aggredi curationem: interea tamen, mistura sequens, cum speciebus pro decocto, loco potus ordinarii capiendo, fuerunt ordinata. ℞. ▽. Ceras. nigr. ℥ii. lil. convall. c. v. ℥i. Borrag. Bugloss. Rosar. Cinam. s. an. ℥ii. Syr. fl. Tunic. Pœon. an ʒvi. acetosit. Citr. ℥j. *ocul.* ♋. *Præp. Specif. Cephal. D. M. Pulv. Bez. Sennert. alb. an.* ʒß. *Cinnabar.* ♁ *ii.* ♃*i. S. Hertz und Haupt sterkende Mixtur davon dann und wann, biß* 2. *Löffel voll.* It. ℞. *Rad. Chin* ℥j. *Sarsaparill.* ℥ij. *Cichor.* ℥j. *Sem. fœnicul.* ʒiij. *Cerefol.* ʒiß *Coriandr.* ʒij. *Cort. Cinam.* ʒj. *Fruct. Dactyl. recent. num. v. ex* concis. & contus. f. l. a Spec. D. S. *Kräuter zum Tranck.*

*Die* 17. Symptomata nulla observata, nec fungus immutatus apparuit, ex

ex vulnere fragmenta quædam offea exempta, ſtylus, latus dextrum verſus, ſub Cranium, minus vero ſiniſtrum verſus, adigi potuit; vulnus itaque deligatum debiteque munitum fuit, & Cereviſiæ potus, Decocto Paſſular. addito, conceſſus; unde alvus laxior reddita: conceſſus quoque pro recreandis ſpiritibus, vini caliculus; veſperi eadem vulneris facies obſervata, eademque cura continuata.

*Die* 18. Et ego ad Dn. ægrum, pridie illuc vocatus, acceſſi, & præter ſupra nominatos Dn. Medicos atque Chirurgos, etiam Venerandum Facultatis noſtræ Seniorem, & tum temporis Decanum, Dn. D. Georgium Woſeginium P. P. Ordinarium Secundum, ut & Dn. D. Philippum Jacobum Hartmannum, P. P. M. Extraord. illic offendi: reſoluta itaque per Dn. Auguſtinum Groſmannum (qui & reliquas per curationem totam, operationes Chirurgicas perfecit) deligatione, in conditionem ſeu ſtatum mali inquiſivimus, quo probe perſpecto, vulnus denuo deligabatur, adhibitis prius (quod etiam in deligationibus reliquis omnibus factum eſt) fomentis, ex præſcriptis die 16ta, a primis Dominis Medicis, ſpeciebus, ſacculis interpaſſatis & vino incoctis ſequentibus ℞. *Herb. Betonic. Salv. Roſmar. Stœchad. Meliſſ. Citr. Flor. Roſar. rubr. Lavendul. Pœon. an. p.* 1. *Sem. aniſ. Fœnicul. Coriandr. a.* ʒj. *Cinam. acut. Mac an* ʒiß. *Ex conciſ. & contuſ.* f. l. a Spec. D. S. *Kräuter zu Säckchen in Wein gekocht.*

His peractis, de cura recte inſtituenda conſultabamus, caſum venerando noſtro Dn. Seniore ad artis præſcripta, proponente, qui, quod tum oſſiculum per Trepanum primum extractum, tota interiore ſua lamina & ad latus ſiniſtrum, tum & oſſa Bregmatis ſuperius magnam partem carie confecta cernerentur, ſub Calvaria vero, fungoſa caro, ſuper matre dura expanſa obſervaretur, & neutrius curatio citra exciſionem inſtitui poſſet, de ulterius applicandis Trepanis, nobis omnibus aſſentientibus, conſilium dabat.

*Die* 19. Nihil tentatum, niſi quod tria carioſi oſſis fruſtula, (quæ Dn. Patienti in manum tradebantur, forcipe inciſoria fuerint abſciſſa. Inciſio vero, ſeu cutis ſeparatio, in diem poſterum differebatur: comedit bene, noctem vero, forſan (ut & ipſe Dn. Patiens putabat) propterea, quod ſuſtinendorum poſtera die dolorum maximam animo impreſſerat acerbitatem, habuit inquietam.

*Die* 20. Diſciſſa cute, & inciſionum labiis, (*e*) cum Pericranio a Calvaria extrorſum avulſis, pro applicandis Trepanis ſufficiens ſpatium parabatur, larga ſubſequente hæmorrhagia, omnes tamen has effrenati doloris vehementias, tam incredibili cum animi robore perpetiebatur, & cohibebat coercebatque intra ſeſe Dn. Patiens, ut nullas voces indecoras, nec gemitum aut ſuſpirium ederet, imo caput, toto operationis tempore, per ſe, ſine ullius adjumento, adeo immotum tenebat, ut nec latum culmum ſitu ſuo id moviſſe, vere dici poſſit: facta inciſione, in conſpectum veniebat caries, in Sagittali Sutura (*f*) a Coronali (*g*) incipiens, atque Occiput (*h*) ver-

verſus tendens, cum protuberantia in fine ſpongioſa, (*i*) vulneri magna ſatis linamentorum diſcerptorum, ſeu ſtupæ quantitas imponebatur: per diem ut & noctem, ſenſit Dn. Patiens, in inciſionum labiis, dolores adurentes punctorios, qui & appetitum proſtraverunt, ſomnum item interceperunt. Sequenti

*Die* 21. ſcilicet, iterum convenimus; ſtupa de vulneris medio auferebatur, reliqua vero, in inciſionum extremitatibus puta, quod firmius, & quaſi conglutinata is adhæreret, nec ſine ſubſecuturæ hæmorrhagiæ periculo avelli poſſet, intacta relinquebatur. Horis promeridianis, Cariei, in Sutura Sagittali, longitudinem circino dimetitus ſum, quam, ut (*k*) monſtrat, inveni. Cibum melius ſumpſit, ſomnum etiam melius capere potuit, qui profundus fuiſſet, niſi ob dolorem, ex impreſſione labiorum vulneris, quoquo verſus caput inclinaret, incitatum, ſedendo dormire coactus fuiſſet.

*Die* 22. Ob Dn. Groſmanni, ſtatim, facta matutina deligatione, iter unius diei rus ſuſcipientis, abitum, Trepani applicatio adhuc procraſtinanda fuit, a meridie bene habebat, niſi quod quandoque a doloribus punctoriis, alternatim illapſis, mox tamen evaneſcentibus infeſtaretur; in abſentia Dn. Groſmanni, Dn. Viviani & Fuchs, circa veſperam, fomenta ex vino calido, adhibuerunt, Oleo Roſaceo caput inunxerunt, & deligationem perfecerunt, cœna & ſomnus modicus ſubſequebantur; hic tamen, ob dictam modo cauſam, aliquoties fuit turbatus.

*Die* 23. Trepanationi deſtinata erat, ad Dn. ægrum, ut operationi adeſſemus, congregati eramus omnes, ſella, cui Dn. Patiens inſideret, dum operationes perficerentur, ſuo loco erat collocata, menſulæ, ad hoc accommodatæ, Trepani partes, Manubrium ſcilicet ſeu vertibulum, ut & Modioli, tum mas tum fœminæ, vectis item & reliqua ad operationem hanc ſpectantia, decenter erant impoſita, cunctaque parata. Antequam vero quiſpiam noſtrum adveniſſet, primus omnium acceſſerat ad Dn. ægrum, vir Pl. Rev. Dn. Dietericus Farver Sel. El. Brand. Concionator Aulicus, & Eccleſ. Reformat. quæ hic Regiomonti Pruſſorum eſt, paſtor prim. qui de affectu hoc, ejuſque cura, ordine retulerat, & tota urbe pervulgatum, & a viro, eruditione experientiaque excellentiſſimo, qui curatiſſime rem hanc totam expendiſſet, ſe intellexiſſe, malum hoc tale eſſe, quod ſanari non poſſit; curamque adhibitam omnem, opprobrio & ignominiæ medicantibus ceſſuram; hunc ægrotos tractandi modum nimis aſperum eſſe ac diabolicum, ac propterea ad Diabolum in Italiam, unde lectiones hæ apprehenſæ & ad nos allatæ ſint, relegandum eſſe: plus quam certiſſimum eſſe, ægrum ſub ipſa operatione, animam expiraturum; quare ſe, a viro iſto admonitum eſſe, ut ipſe Sacerdos, ſaluti animæ ejus, tanquam oviculæ ſuæ, proſpiceret, ipſumque ad mortem præpararet; & quæ ejuſmodi fuerant alia; quibus auditis Dn. Patiens, qui hactenus, plus ſatis animoſe quoſcumque etiam acerbiſſimos dolores perferre, apud animum, imperterritus, conſtituerat, præter

morem

morem ſuum tacitus, quaſi re atroci percitus, & a propoſito averſus, videbatur, ac quaſi magni aliquid ſecum volvens, ſtabat; aſpiciebant ſe invicem adſtantes reliqui, ac inter ſe muſſabant; ego, quid ſibi vellet hæc cunctatio neſcius, quid expectaremus, & quare nondum opus aggrederemur, interrogabam;

Ad hæc, ad me converſus, vir modo nominatus Pl. Rev. num adhuc in propoſito, de admovendis trepanis, perſiſtendum eſſe putarem, ex me quærebat; quod cum affirmarem, & nos etiam propterea, ſtatuta hac die & hora, ut de conſtituti, poſt maturam conſultationem, conſilii ſententia faceremus, conveniſſe, dicerem; objiciebat hic, ſine maximis doloribus operationem hanc perfici non poſſe, & nihilominus tamen, remedio eam eſſe non poſſe, quare potius prognoſtico naturæ (ut loquebatur ipſe) relinquendum eſſe hoc negotium, cenſebat, cum ſatius ſit, ſic paulatim æquo animo vitam expectata morte finire, quam immenſis dolorum cruciatibus confici, atque vita defungi; regerebam ego ad hæc propoſita; ſi prognoſtico naturæ Dn. Patiens relinqueretur, nihil certius ipſius interitu expectandum eſſe; prout enim indubitatum ſit, ex naturæ debilitate ac errore; ſanguine nempe corrupto & ad Cerebri Meninges extravaſato, malum hoc fuiſſe generatum, ita quoque negandum non eſſe, naturam ſe ſola, a Medico non adjutam, ei mederi non poſſe; porro, præterquam quod malum hoc partem prænobilem, Cerebrum ſcilicet, ſpirituum animalium officinam atque nervorum originem, occupaverit, (quapropter eo periculoſius æſtimandum ſit) Calvariam inſuper etiam invaſiſſe cariem, de cujus natura conſtet, eam, malum tale eſſe, quod, ſemper ulterius ſerpendo, partem quam occupavit, ſine mora, mox totam pervadat, nec niſi ferro & igne ſe tolli ſinat, ut propterea metuendum ſit, ſi omni ope deſtitutus Dn. Patiens relinqueretur, brevi Calvariam totam, carie adeo confectum iri, ut cortici cucurbitæ non abſimilis ſit evaſura.

Verum enim vero, nondum his acquieſcebat vir hic Pl. Rev. ſed dilemma quoddam ſe propoſiturum, & quid ad illud reſpondere poſſim, experturum, pergebat; erat illud ſequens: poſito, inquiebat, certum eſſe, quod modo ex tua dominatione percepi, quod & nemine diſſentiente, Medicos omnes affirmare, aſſeruit, quod ſcil. ſi prognoſtico naturæ Dn. Patiens relinquatur, ipſe mori neceſſe habeat; certum tamen quoque eſt, & negari non poterit, operationem hanc Chirurgicam, ſine acerbiſſimorum dolorum illatione, perfici non poſſe; & quamvis etiam ſuſtineatur, mortiferam tamen eſſe, ut eam perferens, nihilominus e vita diſcedere habeat neceſſum; cum autem utrinque, utrumcumque etiam horum eligatur, interitus Dni. Patientis, & ſub trepanatione quidem, cum immenſis doloribus, citra eam vero, ſine horum ullis, is expectandus ſit, omittere eam, quam inſtituere, ſane longe ſatius fore, putabat.

Percepta hac, viri hujus ſententia, ſequentia regerebam; ad primum quod attinet, dicebam, firmiſſimo illud ſtare talo aſſertum, & neminem, quam

leviter etiam in Medicina verſatum, latere poſſe, cariem, ut paulo ante jam dictum, malum tale eſſe, quod naturæ errore & debilitate quidem excitetur, ſua vero ſponte, iterum ſanari nequeat, ſed ferro potius & igne auferri poſtulet, ut hinc plus quam certiſſime conſtet, ſi prognoſtico naturæ, Dn. Patiens, ſine cura relinqueretur, diem ſuam extremam, certo certius eſſe ſubſecuturam: nec tragici hujus eventus diuturnam ſibi promittendam eſſe moram, addebam, ſed velle me tempus ponere longum, annum ſcilicet integrum, cum vix ad quadrantem ejus, ille ſe ſit extenturus, neque opinandum eſſe, & tunc, tanta cum animi quiete & tranquillitate, uti cernebatur, Dn. Patientem vita defuncturum, ſed verendum, ne graviſſima ſymptomata, ut febris putrida, convulſiones, epilepſia, apoplexia, deliria, furores, & id genus alia præcedant.

Secundum vero quod concernebat, in totum negabam trepanorum uſum adeo eſſe internecinum, ut necem alicui attuliſſe eum, fuerit obſervatum: de trepanis poſſe me veriſſime aſſeverare, ſæpius me vidiſſe, quod ea requirentibus, adhibita fuerint, tantum tamen abeſſe, ut quemquam inde mortuum fuiſſe, unquam obſervaverim, ut contra, ſingulos & omnes in priſtinam ſanitatem reſtitutos fuiſſe, ſancte atteſtari poſſim: neque cogitandum, nos, temere & nullo conſilio, hic aliquid ſuſcepturos eſſe, ſed prævia deliberatione de conſilii ſententia, qua ſtatutum ſit, Dn. Patienti, non niſi hoc modo conſultum iri, nos cuncta facere velle; non leve etiam in arte noſtra levitatis, non dicam ignorantiæ, indicium eſſe, nec Medicum decere ſic facile bene cœpto deſiſtere: in mentem tunc mihi veniebat de verbis Hippocratis 2. *Aph.* 52. *omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedant ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, manente eo, quod ab initio viſum fuit*; quæ ex aphoriſmorum libello, quem mecum portare ſoleo, prælegebam, ſubjungens; ſi ſecundum rationem facienti, etiamſi omnia ſecundum rationem non ſuccedant, ad aliud tranſeundum non ſit, quanto minus mutandum conſilium erit, ubi nondum vel quicquam infructuoſe inchoatum, nedum dubitandum, quin eventus proſper ſit ſubſecuturus. Porro, duo ſimul, quod probe notandum foret, hic ſe nobis offerre mala, monebam; alterum meningis duræ ſarcoma fungoſum eſſe, cariem calvariæ, alterum: utrumque curationem ſibi poſtulare peculiarem; utrumque vero & trepanorum adhibitionem requirere; de fungoſæ excreſcentiæ etenim latitudine, in quantum nempe ea ſe extenderit, cum non conſtet, in eam ante omnia inquirendum, & tum, medicamentis ei opitulandum eſſe, cum vero, citra bregmatis exſectionem, nec latitudinem detegere, neque medicamenta ei adhibere, detur, trepani applicationem eſſe quam maxime neceſſariam, cuivis eſſe in propatulo, parilem quoque alterum malum, quod calvariæ caries ſit, in amotione ſui, requirere curationem; cum namque (ut ſupra jam expoſitum ſit) os cārioſum, in gratiam redire cum ſano, non poſſit, nihilque omni cura & ſtudio, niſi prius demortuum, aut exuratur, aut exſecetur, proficiamus, ignem tamen, nec actualem nec potentialem, malo huic admovere conve-

niat,

niat, propterea, quod intra cranium illud oriundum ſit, atque ſic perfacile ſit conjecturare, cariem, geminam quidem cranii laminam peredisse, eam tamen, magis per internam quam externam, extentam esse, hincque neceſſario per trepanum, vitioſum auferendum esse, indubitate remanere. Poſito itaque (non tamen conceſſo) trepanatione hac, nihil in fungi ſanatione expediri posse, (tale quid namque audentes, abſurdum expedire velle, divulgatum erat) ſatis multum tamen nos præſtitisse, haud diffitendum fore, ſi operatione hac, ſolummodo calvariam carie liberaverimus, cum tamen nihilo ſecius ſola & unica hac, ſimul carnem fungoſam totam detexerimus, pro cujus curatione, trepanatio, ſeu præparatoria tantum, viam nempe ad eamdem parando, neceſſario requiſita fuisset. Perſuadere præterea nobis, pergebam, ne a propoſito averteremur, conſtantem Dni. Patientis animum, quo voluntarie ad ſuſtinenda trepana fit propenſus; perſuadere idem, & conſtitutionem ejuſdem corporis firmam, qua ad calvariam uſque corpus totum bene ſe habere, ac ſanum esse, conſpiceretur, bene eum inſuper dormire, cibum & appetere & bene concoquere, alvum in excernendo, debitum præſtare officium, ſomnum nullatenus obſervari læſum, deesse & quævis ſymptomata alia, non levi ſane argumento, viſcera, tum nutritioni, tum reliquis naturalibus functionibus dicata, in incolumi adhuc permanſisse ſtatu. Denique ut in ſententia perſeveremus, nobis calcar addere, & ſpem bonam prælucere, tot per trepanationes feliciſſime ſanatorum exempla, quibus fretus, nullus dubitem, noſtrum etiam Dn. Patientem in numero esse per trepana ſanandorum.

Hæc a me dicta, magnam viro Pl. Rev. movebant admirationem, ut palam profiteretur, ſe perſuaſione viri illius eo inductum fuisse, ut pro certo habuerit, trepanum, ſine internecione Patientis, adhiberi non posse, quodſi vero, ut modo audiviſſet, exempla videlicet per trepana ſanatorum proſtare, verum ſit, de quo & ipſe non amplius dubitaret, rem ſane longe aliter, ac ſibi imaginatus ſit, ſe habere, nihilque esse, quod amplius contradiceretur. Ipſe etiam Dn. Patiens, ſermones noſtros interpellens, in ſequentia erumpebat: (*In Jeſu Nahmen, ihr Herren, ich hab mich in ihre Gervalt gegeben, ſie machen mit mir, wie ſie es gedencken zu verantworten*) Domini mei, ſubdidi me poteſtati veſtræ, peragite in me, in JESU nomine, quæ a vobis defenſum iri, confiditis; atque ſellæ, huic negotio apparatæ, inſidens, Dnum. Chirurgum, de officio ſuo intrepide exequendo cohortabatur: opus igitur aggreſſi fuimus, atque ſecundum & majus trepanum (2) fuit applicatum, cum ſucceſſu optimo, & ſumma ægri tolerantia, qui nec de ullis conquerebatur doloribus; ſolito tamen major quantitas ſanguinis, per ipſum trepanum, cum ad Diploën deventum esset, ad cochlearia tria vel quatuor circiter, ſubſequebatur; ipſum os exſciſſum vero, firmum ac ſanum, ac valde craſſum, (l) niſi quod aliquo modo, in inferiori tantum lamina, ut (m) monſtrat, carie arroſum esset, reperiebatur: ipſum trepani foramen,

(n) floridus adimplebat ſanguis, cui linteolum, oleo roſaceo imbutum, atque ſtupa, quantum ſufficiebat, imponebantur.

Ad tertium trepanum progredi, vetabat dolor oculi iſtius lateris, nempe ſiniſtri, quem ſub ipſa terebratione fere dimidia, & ad ſingulas quoque trepani adactiones, Dn. æger perſentiebat; tum &, quod differri illud ſi foret poſſibile, ipſe poſtularet, quia ſe viribus ad aliud ex alio ſubſequens, perferendum, imparem futurum putabat; facta itaque deligatione convenienti, inturbatus relinquebatur. Prandium, ob appetitum proſtratum, fuit exiguum. Hora ſecunda promeridiana. ad inſtituendum trepanum tertium conveneramus, quoniam autem dolores oculum vehementiores invaſerant, qui necdum intermittebant, ſed ad qualemcumque; in facto modo foramine, preſſionem, augmentabantur, in craſtinum illud differre, conſultum videbatur: reſoluta faſcia, ſcrobiculus trepani, (n) fluido ſimul & florido ſanguine plenus, inveniebatur, facta itaque debita deligatione, præter quod aliud quid occiperetur, die hac Dn. æger ſinebatur; manſit incœnatus, & noctem traduxit inſomnem, quod ingraveſcentibus oculi ſiniſtri infeſtaretur doloribus, qui circa tempus matutinum, aliquantum remiſerant.

*Die* 24. Cum ſucceſſu optimo inſtituebatur trepaniſatio tertia, (3) ſanguinis tamen, pari ut in ſecunda, ubi ad Diploën perveniebatur, ſubſequente quantitate, conſtanter pariter hanc, ut antecedentem, & ſine magnis doloribus, Dn. Patiens perferebat, ſub ipſa terebratione tamen, dolores in utroque oculo incidenter affligebant, qui tamen ſtatim, cum operationis fine quoque finiebantur; gratulabatur ſibi de ſucceſſu bono Dn. Patiens, ſpe ſubſecuturæ felicis curationis fretus, hinc dextra ſua, meam, ſub ipſa terebratione, prehendens & premens, bene negotium, ad me inquiebat, Deo auxiliante ceſſurum, & obtrectatoribus noſtris probro futurum, confido: *Ich mercke, es wird durch Gottes Hulffe gut gehen, allen unſern Feinden zu Spott und Schande.* Peracta trepanatione, modo debito deligabatur. Oſſiculum exemptum, nulla carie infectum, ſed lamina ſua tam exteriore (o) quam interiore (p) ſolidum, omnibuſque partibus incorruptum deprehendebatur. Prandium fuit modicum: poſt meridiem, de aliquali ſolum virium imbecillitate conquerebatur; cœna fuit brevis, vel nulla potius; noctem habuit inſomnem, ob dolores, in foramine præprimis ultimi trepani, & circa frontem perceptos fere continuos; circa noctem mediam circiter quoque ſiti vexatus, adeo, ut de decocto ſumere fuerit neceſſitatus: ſequens etiam balſamus, quo nares & tempora, ſub ingreſſum lecti, ad ſomnum conciliandum, linerentur, præſcriptus fuit: ℞. *Extr. Opii Croci an.* ℈ß. *Ol. ſtillat. Mac. gt. vj. Nuciſt. q. ſ. f. l. a.* Unguentum D. S. *Stärckender Balſam, zum äuſſerlichen Gebrauch.*

*Die* 25. Ut ad bidui ſpatium, in exſcindendo reliquo oſſe, ceſſaremus, petiit, quo tempore vires ſe recuperaturum, ſibi habebat perſuaſiſſimum; quare, deligatione tantumdem facta, quieti relinquebatur; ante prandium ad ſeſqui horæ ſpatium, dormivit, ceſſarunt pridie allapſi dolores, & prandit

ſatis

ſatis bene, poſt meridiem ſatis erat vegetus, niſi quod bis, terve, circa frontem imprimis, pungentes, mox tamen evaneſcentes, perciperet dolores, cœnavit ſatis bene, noctem habuit quietam, nec ullos capitis dolores ſenſit.

*Die* 26. Mane, capitis dolores, ad oculos & frontem imprimis ingruentes, non tamen diu, (dimidiam horam circiter) durantes obſervabantur; facta fuit deligatio, poſt etiam ſatis bene pranſus fuit; poſt meridiem ſequens, a Dno. Viviani ſubminiſtratum, applicabatur defenſivum, quod ℞. *Ol. Roſar. Myrtillor. Succ. Plantag. Solatr. an.* ℥*j. Bulliant omnia ſimul, ad conſumptionem ſucci, poſtea colentur & demum adde; Sangu. Dracon. Terr. ſigillat. Bol. armen an* ʒ*iij Santal. alb. Myrtill. an* ʒ*j. Acet. alb.* ℥ß. f. l. a. *Linimentum.* Cœnavit largiter, noctem vero inſomnem fere, ſine ullo tamen capitis dolore, peregit. Operationibus his abſolutis, ſeorſum collocutus mecum Dn. Patiens, ſe, reliquos Dnos. D. D. excepto Dno. Lic. Gottſched, Medico tunc ſuo ordinario, abdicaturum, mihi expoſuit, voluitque ut de meo conſilio, reliqua perficeretur curatio, utque ad finem uſque huic præeſſem, a me popoſcit.

*Die* 27. Serrulis rectis, interſtitia foraminum, modiolis factorum, diſcindere tentabatur, ob ſerrularum autem ineptitudinem, duæ tantum lineæ (q) ſeu delineationes, pro inſtituendis ſectionibus, accommodiſſima, ductæ fuerunt, leviter tulit omnia Dn. Patiens, poſt vero, ante prandium, iterum per ſemi horam, ad oculos, capitis ſenſit dolores, pranſus tamen eſt ſatis bene; poſt meridiem bona fuerunt cuncta, ad horam quartam uſque, ubi forcipe inciſoria, aliquot fruſtula oſſis, inter primi & ſecundi trepani foramina, exempta, foramina item exterſa, & deligatio facta fuerunt, cœnavit bene, & ſine dolore, cum aliquali ſomno noctem traduxit.

*Die* 28. Tam ante, quam poſt meridiem, nihil fere, ob ſerrularum commodarum defectum, præter deligationes, inſtitutum fuit; interim ſatis bene ſe habuit, ſatis bene comedit, atque bene dormiendo, poſtquam ad horam nonam uſque nocturnam, ab amicis & cognatis, ſecum cœnantibus, blandis converſationibus exhilaratus eſſet, ſine dolore, quietam habuit noctem.

*Die* 29. Mane, ſerrula magis aptata, in utroque latere, (q) per Diploën uſque, cum ſumma Dni. ægri tolerantia, linea, ſeu deſignatio diſſecandi cranii ducta, aliquoties quidem dolores excitati fuerunt, qui tamen paulo poſt evanuerunt: pro fungi exſiccatione, in trepanum primum (1) (per illud enim is potiſſimum excreſcebat,) *Decoctum Divinum*, quod habet Scultet. *Armament. Chirurgic. Obſerv. XIX. p. m.* 216. *ſequens* fuit immiſſum: ℞. *Vin Malvatic.* ℔. *j*ß. *Roſar. rubr. p. j*ß. *Betonic. Matriſſylv. Pimpinell. Centaur. Stœchad. arab. an. p. ij. Rad. Ariſtol. long. Ireos. Flor. Cort. Thur. an.* ʒ*ij. Bulliant omnia ad conſumptionem duarum partium, ſed roſæ ebulliant ebullitione unica*) *& colentur. Colaturæ addantur Mellis Roſarum optime deſpumati* ℥*ij. M.* Exinde cibum bene cæpit; ſatis alacris poſt meridiem reperiebatur, fuit deligatus, adhibito iterum decocto dicto, ſecando tamen nihil

quam tentatum: cœnavit bene, noctemque habuit tranquillam, cum somno modico.

*Die* 30. Serrula iterum adhibita fuit, atque ubi interior quoque lamina perfecta videbatur, quamvis cohæreret adhuc, vectis per primum trepanum (i) parti finistræ, (r) super fungo, submittebatur, (simulac enim extra fungum, dura mater in secundi aut tertii trepani foramine, quam levissime tangebatur, intolerabiles excitabantur dolores,) sursumque pars illa, ad futuram sagittalem (f) usque effringebatur, quæ, qua faciem exteriorem, (r) & interiorem, (s) cariosa plane inveniebatur; postea, fungi, quæ per sagittalem excreverat pars, (i) sine ulla doloris perceptione, & spatula quidem, seu ferro hebete, separabatur: pariter & dextra calvariæ pars, (t) vecte elevabatur, quæ extrinsecus, (u) integra, intrinsecus, (x) magna ex parte carie derosa spectabatur, interiori etiam sua lamina, fungo tam firmiter adnata erat, ut erui non posset, & forfice abscindi eam oporteret, unde dolores acerbissimi, & in toto Cerebro, & ad oculos imprimis, inducebantur, ut etiam Dn. æger, (qui alias dolores quoscumque per operationes cunctas, insensibilis quasi pertulerat,) exclamare cogeretur, (*ave, ave, mein linckes Auge umb Gottes Willen, ihr Herren, was macht ihr?* ah, ah, sinistrum meum oculum, per Deum, Domini, quid agitis? sanguis etiam, ob separationem illam, large profluebat, quare immisso prius decocto sculteti, fascia imponebatur, atque quo sanguinis fluxus supprimeretur, hac die non solvebatur, sed circa vesperam defensivum reiterabatur; sensit eo tempore immanes, quales toto quatuordecim dierum spatio non afflixere, dolores, qui ad noctem usque, donec somnus ingrueret, perdurarunt, quapropter cœna etiam modica tantum fuit; subsecutus tamen est somnus bonus & reficiens, absque ullis imaginibus aut insomniis, unde mane

*Die* 31. Satis alacer reperiebatur, facta fuit consueta hora 8va deligatio, præmissa inunctione decocti sculteti: post deligationem, non leves iterum illapsi sunt dolores, ad prandium usque, durantes, qui tamen intra prandendum, quo cibus, in satis magna quantitate acceptus fuit, evanuerunt, ita ut horis promeridianis, Dnum. ægrotum satis vegetum invenerimus: ad vesperam, iterum capitis dolores persensit, ad somnum usque affligentes, unde cœna exigua, & somnus interturbatus subsecutus; nocte in media, satis vehemens exorta fuit hæmorrhagia, ut pro coercenda ea, Dn. Fuchs Chirurgus, qui iisdem in ædibus commorabatur, fuerit accersitus.

*Die* 1. *Novembris*, Soluta ligatura, ad finem ultimæ incisionis, (y) in sinistro latere, sub incisione, dissecta prominens vena hunc effudisse sanguinem, reperiebatur, quod tamen, ab ipsa incisionis die, nondum contigerat: impediebat hæmorrhagia hæc, quo minus apertura debite extergeri posset, & carptis filamentis obturari postulabat, facta itaque fuit cita deligatio, prandium habuit mediocre, aliquales tamen, non adeo vehementes vero, capitis dolores sensit, cum aliqua virium imbecillitate: post vespertinam quartam, instituebatur deligatio, sinistro tamen latere relicto intacto, ob hæmor-

hæmorrhagiæ metum, adhibendo decoctum ſculteti; cœna fuit mediocris, ſubſequentem etiam veſperam & noctem ſine doloribus tranſegit, ſomnolentus quidem, ſomno tamen ſe non dedit, ob hæmorrhagiæ metum, quia caput ſiniſtrorſum lecto imponere metuebat, donec primo diluculo, ſuadente Chirurgo Fuchſio (qui capite inſpecto, nullum erupiſſe ſanguinem invenerat,) in ſiniſtrum latus ſe inclinaret, & ſub ejus cuſtodia bene dormiret.

*Die* 2. Facta fuit deligatio, impoſito venæ in ſiniſtro latere, (quæ tamen nullum ſtillaverat ſanguinem,) pulvere ſtyptico: malum alias in eodem inventum fuit ſtatu, niſi quod ſupra denudatum os frontis; (2) & in ſecundo tertioque trepano, rubicunda puncta, (novæ recreſcentis carnis primordia,) ſparſim conſpicerentur: prandium habuit largum, totaque die bene ſe habuit, veſpere ingruente tamen, in ipſo malo, quodammodo mordicantem, ſenſit dolorem; cœnavit mediocriter, & quietam ſine doloribus, habuit noctem.

*Die* 3. Sine doloribus, alacer, totam peregit diem, probe prandendo ac cœnando. Mane, & ſic unica tantum vice, die hac, recenſito jam modo, fuit facta deligatio. (funda galeni dicta,) noctem, bene dormiendo, tranſegit, licet etiam aliquoties expergiſceretur, ſtatim tamen iterum obdormivit.

*Die* 4. Tota die, cuncta bene geſta, præterquam, quod poſt deligationem, per horæ fere ſpatium, dolores capitis non adeo leves, ſenſerit: una facta deligatio; per tuſſim aliquoties a ſomno, qui ſatis quietus fuerat, expergefactus: pro tuſſi infringenda, ſequentes, a Dno. D. Hartmanno, antea præſcriptas, accepit Rotulas: ℞. *Chocolat. opt.* ℥*iij. Syr. Violar. opt.* ℥*iiij. ad conſiſtent. coct. cum Sacchar. finiſſ. q. ſ.* ▽. *roſar. fragrantiſſ. ſolut. addatur ſub finem parum Sp. roſar. veri. f. l. a. rotulæ.* Nulla tamen ex harum uſu, percepta fuit tuſſis mitigatio.

*Die* 5. Modo priſtino & tempore conſueto, facta fuit deligatio; fruſtulum etiam fungi, obtuſo quidem inſtrumento, ſpatula nempe, ſeparabatur, quo facto, ſanguis ſtatim profluebat, & doloribus, levibus ſaltem, iiſque paucis, ad oculos decumbentibus, afficiebatur: alias omnia bona, niſi quod tuſſis continuaret. Circino obſervavi longitudinem interſtitii extremarum orarum, primi & ſecundi trepani, (α) ſignatam.

*Die* 6. Hora octava matutina, facta fuit deligatio, & pus inventum ſatis copioſum, fœtor etiam perceptus fuit, quare commodum fuit viſum, bis de die, deligationem inſtituere, quo vulnus crebrius expurgari poſſet: in trepanis etiam, nova caro accreſcere obſervabatur. In ſiniſtro ſeu ſecundo trepano quoque, (2) ſiniſtrorſum foveola, uſque ad Matrem duram, (cujus particula ſeparata ſurſum prominebat,) deſcendens, conſpiciebatur, unde, adeſſe ibi putredinem, ſuſpicabamur, quapropter mel roſatum, pauxillo Sp. vini miſtum, applicabatur. Dimenſus ſum circino, extremitatum trepani ſecundi (2) & tertii (3) diſtantiam, quam (β) monſtrat. Poſt meridiem, denuo deligatus fuit, modo, priori plane ſimili, bene habuit; aſt alvus, ſolito fuit laxior, quam lubriciatem tamen, Dn. Patiens, Saccharo, quod cum pyris recentibus aſſatis, contra tuſſim aſſumpſerat, adſcribebat, cum effec-

effectum talem ex dulcibus & saccharinis, in se, a tenera jam ætate, semper observatum sciret; dormivit bene; cœna pro more modica antegressa, a tussi aliquantum magis, molestatus.

*Die* 7. Mane ac vesperi, more solito, deligatio fuit facta: mane, duo frustula parva, a meninge dura separata, vesperi vero unicum tantum, eximebantur, comedit & dormivit bene, reliquaque omnia, satis bona fuerunt.

*Die* 8. Iterum, solito more deligatus fuit, longitudinem distantiæ, inter extremitates primi (1) & tertii (3) foraminis trepanorum, dimensus, eam, ut (γ) habet inveni. Foraminulis secundi trepani, per quæ, duræ Matris separatæ particulæ erant extractæ, ut & ei, quod ad sinistrum latus, in medio fere lineæ, a secundo ad tertium trepanum, detectum erat, stupa, melle rosato imbuta, indebatur; cæterum nihil fuit immutatum. Vesperi, parili modo deligatio expedita fuit. Cibum cum appetitu bono accepit, dormivisset etiam bene, nisi noctu advenientium, iterumque abeuntium rhedarum strepitu, de sommo excitatus fuisset.

*Die* 9. Bis deligatus fuit more solito; bene habuit, bene etiam cibum sumpsit. In vespertina deligatione, frustulum cranii desquamatum, intra primum & secundum trepanum, eximebatur. Nocte subsequente, quietus quidem fuit, non tamen multum dormivit, ob antegressum forte, ut ipse dicebat Dn. Patiens, somnum diurnum.

*Die* 10. Deligatus solito more fuit: iterum duo frustula, frontem versus separata, exempta fuerunt: cibo usus fuit sufficienti: vesperi sine deligatione nova relictus, bene dormivit.

*Die* 11. Sub deligatione matutina, iterum ad frontem, duo superioris laminæ fragmenta, seu desquamata officula, exempta fuerunt: tota die bene habuit, circa vesperam deligatus fuit: & cum ventriculi imbecillitatem metueret, meo persuasu, haustulum Sp. vini seu vini adusti, accepit; comedit bene, bene quoque dormivit, ad horam usque decimam; post eam, somnus fuit interturbatus.

*Die* 12. Mane, iterum exemptum fuit frustum desquamatum cranii bene magnum, (♪) ultra dimidium primi trepani occupans, nihil præterea die hac tentatum. Cætera quoque, bene se habuit.

*Die* 13. Omnia sicut antea, sic satis bona, præterquam, quod post deligationem, ingentes circa oculos, & in ipso malo non leves dolores, ad prandium usque persenserit, qui post prandium tamen, post unius horæ somnum, in totum evanuerant, vesperi deligatio tantum sicca, imposita stupa, fuit facta: noctem postea habuit bonam. Pro cruditate ventriculi corrigenda, suppeditatum fuit quod ℞. ▽. *Mastich. Cinam. s. vin. Elix.* ⊙ *rant. an.* ℥j. ▽. *Menth. s. Chamomel. an.* ℥iß. *Tinct. Propr. Mynſ.* ʒiij. *Syr. Papav. rh. Jujub. an.* ʒiij M. D. S. *Haupt- und Magen*, Mistur, *davon nach Belieben Löffel weise.*

*Die* 14. Bis, eodem iterum modo, deligatus fuit, mane etiam frustulum

ossis

ossis in medio fere primi & secundi trepani separatum, extrahebatur. Probe comedit, dormivit etiam bene, nec dolorem ullum percepit.

*Die* 15. Mane, Dnus. Viviani, ob Dni. Grosmanni abitum, deligationem perfecit, adhibito decocto consueto, ex sculteto desumpto, utet aliquanto mellis rosati, idem & ipse fecit vesperi. Comedit bene Dn. Patiens, quamvis aliquantum sensisset dolorum, perbelle tamen dormiverat.

*Die* 16. Bis, mane nempe & vesperi, deligatus, stupa balsamo rulandi imbuta, antea imposita: de reliquo, cuncta bene gesta; ipse Dn. Patiens, totam per diem hilaris, noctem etiam habuit satis quietam.

*Die* 17. Eodem modo cuncta peracta, circa noctem tamen, iterum dolores super oculis sensit, duas aut tres horas circiter, ad somnum usque durantes, post mediocriter dormivit, sæpe tamen somnum, tussis sat valida, turbavit.

*Die* 18. Bene habebat, ut ante, ita & nunc deligatus, vesperi sicca tantum facta fuit deligatio, sola imposita stupa & consueta fascia; post quintam vespertinam, prope a suis ædibus, ad germanam suam Dnam. sororem, Illustriss. Dni. Wolffgangi Christophori, S. R. Imp. Dapiferi Hæreditarii, S Elect. Brandenb. Summi vigilarum Præfecti Chiliarchi, Fortalitii Pillaviensis Gubernatoris, nec non Capitanei Balgensis, relictam Dnam viduam visere, primo ubi per morbum illi pedem domo efferre licebat, ivit, in noctem mediam ibidem commoratus; bene comedit, nullosque sensit dolores, optimeque dormivit.

*Die* 19. Nihil fuit immutatum, cunctaque bene gesta; circa noctem sub ingressum lecti, numero septem hujus formulæ, deglutivit pilulas. ℞. MP. ☿ *ar. Querc. de Succin. Crat. an.* ʒß. *Resin. Gialapp* ℈ß. *Aloes rosat. Troch. alhandal. Rad. Turpeth. an. gr. v. cum. Spirit. Rorismarini fiant Pilul. ex scrupulo no. IX. de* ☉ *D. S. Haupt-Reinigungs-Pillen, davon gegen die Nacht* 5. *biß.* 9. *Stuck.*

*Die* 20. Sicca tantum stupa imposita, deligabatur, malo tamen antea, melle rosato, parum Sp. vini myrrhati addito, eluto; in sinistro item latere, laminæ superioris, separatum frustulum, fuit exemptum; bene habuit, prandio suas Dnas sorores & amicos excipiens: vesperi, sicca tantum stupa imposita, & deligatio facta, fuit: eo in loco, ubi sub matutina deligatione, frustulum illud ossis exemptum erat, floridus confluebat sanguis, qui stupa abstergebatur; acceptæ pridie, vespere pilulæ, post prandium demum operationem suam ediderunt, quatuor alvi dejectiones causantem; cœnavit post & dormivit bene.

*Die* 21. Mane, carni novæ, in primi trepani latere dextro, quoniam hæc depressior reliqua, nec æque feliciter ac ista, accrescere cernebatur, quo paria incrementa sumeret, balsamus Rulandi imponebatur, isti vero mel rosarum, Sp. vini myrrhato imbutum, superlinebatur, osticulum pariter, in linea recta dextri lateris (ζ) separatum, volsella evellebatur: vesperi, mo-

do ſimili facta fuit deligatio, comedit bene die tota, circa noctem quoque, alvum dejecit, noctemque habuit quietam, cum ſomno reficiente.

*Die* 22. Bene habuit: in deligando nihil fuit immutatum, veſperi fragmentum oſſis parvum, in dextris, ad trepanum tertium, (η) exemptum fuit; bibit poſtea chocolatam, & ſub veſperam, ac lecti ingreſſum, ſyrupum de farfara accepit, nec tuſſi per noctem multum vexatus fuit.

*Die* 23. Fruſta tria oſſis, ad ſiniſtrum, ſecundi trepani, latus, deſquamati, non adeo parva, (θ) exempta fuerunt, circa veſperam autem, quoniam in vicinia commorantem Dnam ſororem ſuam, Lib. Baron. S. R. Imper. Dapiferi Hæreditarii Dnam viduam, viſitatum, domo exiverat, deligari non potuit; cæterum bene habuit, bene etiam, & maximam partem a tuſſi & doloribus immunis, dormivit.

*Die* 24. Oſſis, ad tertii trepani latus ſiniſtrum, ſeparati portio, (ι) eximebatur: deligatio, ſicuti mane ita & veſperi, adhibito tantum ſupra nominato melle roſato, fiebat; tuſſis in totum fere intermiſerat, cibum ſub prandium ut & cœnam, bene cepit, ac totum diem, ſatis vegetus tranſegit, totamque dormivit noctem, a tuſſi vix vexatus.

*Die* 25. More ſolito, ſicut die antegreſſa, bis fuit deligatus, nihilque immutatum, niſi quod ſub deligatione veſpertina, iterum ad tertii trepani latus dextrum, particula ſeparati oſſis, fuerit eruta; quamvis etiam hac die, tuſſis aliquanto increbuiſſet, bene tamen edit, beneque dormivit.

*Die* 26. Nihil fuit innovatum, tuſſim tamen magnam partem remiſiſſe, obſervatum.

*Die* 27. Mane, ſicut antea, vulnere melle roſarum myrrhato illito, perficiebatur deligatio; carni tamen recenti, quæ oſſi denudato ſupercreverat ad primam (κ) & ſecundam (λ) inciſionem, propterea, quod mollior juſto, & aliquomodo fungoſa, inventa fuit, lene cauſticum, linteolum ſcilicet, alumine, ⊕lo & pauxillo æruginis æris, in ✝to vini coctis imbutum, ac ſiccatum, imponebatur, quod circa horam veſpertinam quartam, eſcharam in duobus his locis, & citra ullum quidem ſenſum, jam induxerat, in craſtinum tamen ſic immotum relinquebatur, & caro nova reliqua, melle roſarum myrrhato, inungebatur: bene ſe habuit Dn. Patiens, cœnavit etiam bene; poſt cœnam, dominam ſororem ſuam, Baroniſſam Truchſeſſiam de *Waldburg*, ejus in ædibus, viſitavit, ad aliquam partem noctis ibi commoratus, poſtea dormivit placide, nullam tuſſis ſentiens moleſtiam.

*Die* 28. Mane, eodem modo fuit deligatus, exceptis tertia & quarta inciſionibus (μν) quibus cauſticum antedictum imponebatur, eſchara item nondum ſeparari poterat; veſperi pariter, eſchara relicta, & tantum melle roſarum myrrhato, totius aperturæ caro, humectata fuit; perbene habuit, optime comedit, cubitum cum iviſſet, paulo poſt obdormivit, & ſomno ita ſopitus fuit, ut nec vigilis per noctem, ante ædium fores, ſub cubiculi feneſtra, horas ſingulas, & paſtoritia buccina & concitata voce, intimantis

cla-

clamores animadverterit: ante ſomnum tamen, aliqualem aurium, ſeu in capite, ſenſit ſuſurrum.

*Die 29na. & 30ma.* Bene ſe habuit, neque aliquid in deligando immutatum aut obſervatum fuit, præter quod iſta mane, ad ambo vulneris latera, cauſticum ſupra dictum, apponeretur, hac vero, eſchara ſeparata eximeretur.

Sequentibus menſis Decembris diebus cuncta in ſtatum naturalem magis magiſque vergere, ipſumque vulnus melius conſolidari, obſervabatur.

*Die 1. Decembris* itaque mane, ad latus dextrum, ex trepani tertii (3) foramine, oſſiculum eximebatur, & melle roſato, ut antea, illito, fiebat deligatio; veſperi vero, ſine inunctione, deligatio perficiebatur, ita, ut tantum emplaſtrum diapompholygos, pro generanda cute, circumcirca imponeretur; qui deligandi modus, etiam immutatus ad diem uſque octavum, retinebatur. Habuit bene Dn. Patiens, nec alias, toto hoc octiduo, aliquid notatu dignum occurrit, niſi quod

*Die 3tia*, Aliqualia novæ cutis initia, fuerint obſervata,

*Die 5ta.* Vero, ipſe Dn. Patiens, in carpento probe velato, ſub gelu acri, ſuam Dnam ſororem, Illuſtris, Dni. Wilhelmi de la Cave, Ser. El. Brand. Generalis Vigiliarum Præfecti, Dnam. conjugem viſitaverit, &

*Die 6ta* veſperi, Cauſticum antea deſcriptum, ad frontem luxurianti carni, imponeretur, ac

*Die 7ma*, nox aliquo modo fuerit turbulenta, cujus cauſam tamen, ipſe, alterationi animi adſcribebat, perceptæ ex caſu amici, qui, cum veſperi, ſub tempus deligationis, eum viſitaſſet, vulnuſque curioſo nimis oculo, luſtraret, ex horrifero hoc aſpectu, animo linquebatur, adeo, ut cunctis orbatus ſenſibus, ad inſtar demortui, in terram concideret. Inciderat mihi, ſimilis per omnia, apud Marc. Aurel Severini, *De Efficac. Medicin. lib. I. Part. II. Chirurgiæ quæ ad oſſa pertinet. Cap. 3. pag.* 137. notatus caſus, quem in ipſo authore legendum, Dno. Patienti, quo felicius ſucceſſuræ curationis ſpe, eo magis ſe erigeret, tranſmiſeram, cujus verba, quod lectu digna videantur, ex authore huc appono ſequentia: *Cæſar Bartholomæus Dominorum Avalos familiæ apud Regem Hiſpanorum procurator Madriti, cum implacabili dolore capitis afflictaretur, nullis ab internis nil ab externis remediis, quæ dico adhibuerat levatus, interdum quoniam doloris impatientia victus eſt, conſultum ſibi iri credidit, ſi, qua malum infeſtabat, & vis ſcalpri alte defigeretur, donec vitium inveniretur. Qua ſic apertura cutis & calvariæ confecta per hominem quem ad eam delegerat, atque enixe perſuaſerat, neſcio quis in cranio tumor & viror, ſub ipſo vero increſcens caruncula fungi modo reperta eſt; quibus vitiis & putrilagine deterſis liberatus a malo vir integre fuit.*

*Die 8va*, nihil prorſus in deligationibus immutatum, poſt matutinam tamen, ad prandium uſque aliquos capitis, habuit dolores, poſt meridiem vero, bene habuit, dormivit & ſatis bene.

*Die 9.* Mane, ad vulneris extremitates, maſſa emplaſtri opodeldoch, ad

cicatricandum, apponebatur, quod itidem vesperi factum, alioqui bene habuit Dn. æger, dormivit etiam satis bene:

*Die* 10. In deligationibus nihil fuit immutatum, atque adeo se habuit bene, ut ad quas modo actiones foret inhabilis, se nescire diceret, quieti tamen nocturnæ, tussis, quam ex frigidiore aere, post meridiem suam Dnam sororem Truchsessiam, in vicinia licet, tenuibus tamen tantum vestimentis vestitus, visitaverat, contraxisse se, ipse putabat, aliquomodo fuit incommodo, ad cujus mitigationem, Syrupum de farfara accepit.

*Die* 11. Bis quidem fuit deligatus, ast eodem, quo antea, modo, pro cicatricando vero, vulnerum oris, *pulvis ex Myrrha*, *mastiche*, *rad. ireos & lithargyrio*, aspergebatur: circa noctem, pilularum antea descriptarum, novem numero accepit, nulla tamen earum operatione succedente, tussi satis multum afflictus fuit.

*Die* 12. Modus deligationum modo dictus, tam ante quam post meridiem, idem fuit continuatus, nondum cessavit tussis, bene tamen comedit, dormivit etiam sic satis bene, ter ex assumptis pridie pilulis ad alvum dejiciendam, excitatus.

*Die* 13. In deligationibus nihil fuit immutatum, & Dn. Patiens, ob abitum Dnæ. conjugis, quæ, domum, necessaria domestica ordinatura, ad dies aliquot abierat, apud Dnam sororem Truchsessiam de Waldburg, per diem integram, commoratus fuit, bene alias habens, præter quod tussis fuerit exasperata, pro qua mitiganda, syrupum de farfara, & circa noctem, extractum anodynum, ex præscriptione Dn. Licent. Godsched accepit, quæ tamen nihil profuerunt, tussi perdurante.

*Die* 14. Sub matutina deligatione, causticum supra-descriptum, tribus in locis, carni increscenti, appositum fuit, & vesperi sicca tantum deligatio facta, atque eschara relicta; bene præterea habuit, tussis tamen fuit intensa.

*Die* 15. Mane, sicca deligatio facta, vulnus probe absterfum, & ab eschara purgatum fuit, cum post meridiem Dnum. Patientem, ego solus quidem visitarem, de tussi molesta adhuc conquerebatur, cæterum optime habebat, nocte etiam subsequenti, & tussis aliquantum remisit.

*Die* 16. Mane deligatus, carni in vulnere luxurianti, mel rosarum myrrhatum allinebatur, alias nihil immutatum, habuit bene, tussis quoque fuit imminuta.

*Die* 17. Nihil novatum, Dnus. Patiens post matutinam deligationem, in rheda velata, per plateas aliquot, suam Dnam sororem, Illustr. Dni. Generalis de la Cave Dnam. conjugem visitatum adibat, apud quam & prandit, & cœnavit, ac cum reduce facta Dna conjuge, ad decimam usque nocturnam illic se detinuit, dormivit postea bene, tussis quoque maximam partem remisit.

*Die* 18. Vulnus melle rosato myrrhato, & pro cicatrice inducenda, epulotico pulvere adhibito, deligatum fuit, cæterum bene habuit.

*Die* 19. Sicca tantum deligatio instituta fuit

*Die*

*Die* 20. Exiguum ossiculi fragmentum, circa secundum trepanum per carnem prominens, eximebatur, alias toto decem subsequentium dierum intervallo, nihil mutatum, usque ad

*Die* 30. Qua quidem etiam nihil mutatum fuit, Dnus Patiens tamen, quo anno jam exeunte, pro præstito, in gravi etiam hoc morbo, auxilio, divinæ clementiæ, debitas ageret grates, tota die hac, quæ anni ejus postrema erat dominica, cultui divino, penetrabili premente frigore, sacris in ædibus (quæ in arce hic Regiomonti sunt) capite quidem, fascia chirurgica obvoluto, & mitra pellicea operto, interfuit: in arce etiam apud Dominum supremum Burggrabium pransus, apud Dominum Cancellarium, non procul ab arce, cœnavit, nox subsecuta fuit quieta

*Die* 31. Seu anni ultima, ad posteriora sinistra, incisionis, labia, mane causticum, ob carnem luxuriantem, apponebatur; optime habuit, vesperi, ad epulum, a Dno Cancellario invitatus, in festiva hac recreatione, cum convivis aliis, in provectam usque noctem, fuit conversatus: bene insuper valuit, vulnusque singulos in dies coalitum fuit, & ita quidem, ut sequenti

*Anno* 1697. Nihil notatu dignum se obtulerit, præter quod singulis,

*Die* 14. & 16. *Januarii*, in medio fere vulneris, quod quasi nummi trium grossorum polonicorum magnitudinis (ξ) tum erat, minuta ossicula duo, tandemque

*Die* 23. Postremum, adhuc unicum, fuerint exempta, sicque malum hoc, paucos intra dies, sit persanatum. Hinc Dnus Patiens, gravi hoc malo, Dei gratia, liberatus, domum se recepit, atque ex eo tempore, sanitate, pristina firmiore, fretus, a vertigine, capitisque doloribus, quibus acerbe ante curationem infestabatur, immunis vivit; septimo etiam, ejusdem 1697. mi scilicet anni, mensis Octobris die, sibi natam filiam suscepit.

*Resolutiones aliquot quæstionum, quæ circa tractationem hanc moveri possent.*

*Pag.* 1. *lin.* 16. *Q.* I. *Num iter, noctu, aere existente frigido, institutum, mali hujus causa dici possit.*

℞. Aerem, causam morborum, & quantitate & qualitate fieri, præclare, jam olim, docuit Hippocrates, *lib. de Flatib. VI.* 1. cum autem qualitatis potius, quam quantitatis vitio, aër agat, ut Lud. Mercat. *Tom.* 2. *Oper. p.* 202. ostendit, & inter qualitates, calor & frigus primas teneant, conf. 3. *aph.* 1. iste porro, *ad agendum, omnium sit efficacissimus, tenuet, fundat, molliat, digerat, rarefaciat, & heterogenea separet*; hoc contra, *crasset, gelet, conglaciet, induret, & tam homogenea, quam heterogenea congreget, constipetque, ac ad motum inhabiliora reddat.* conf. *l. c.* Mercat. it. 1. *aph.* 13. & 14. *ac* 5. *aph.* 16. malum vero hoc, ex inflammatione, sicque spiritus orgasmo & excandescentia potius, quam oppressione ejus, originem suam, traxisse, constet: evidens est, aërem hunc nocturnum frigidiorem, causam ejus, proprie dici non posse. Quod si vero quis urgeat, frigus externum, poros quandoque ita occludere, ut perspiratio, seu fuliginum expulsio, inde

impediatur, calorque in unum cogatur, unde corpora adeo incalescant, ut non raro febris excitetur, ei litem non movebimus; aërem istum nocturnum, mali hujus causam per accidens, dici posse, concedentes.

*Ibid. lin.* 19. & 22. Q. II. *Quæ causa, quod intolerabiles capitis dolores, ad septimanas tres intermittentes, iterum ingruerint.*

℟. Quod septem septimanis continuis, dolores capitis Dn. ægrum afflixerint, propterea factum fuisse dicimus, quod eo tempore, sanguis ad cerebrum depulsus, illucque extravasatus, ibidem concoqui, & in pus converti debuerit, quod sine igne, seu calore naturali, præter naturam aucto, fieri non potuit; calore vero sic aucto, & sanguinem ad Meninges Cerebri depositum in pus coquente, quomodo has, non distendi & inflammari, erit possibile? ut inde abunde constet, quomodo unitas, seu continuitas Meningum, soluta fuerit, atque dolores hos intolerabiles induxerit; sensu quippe exquisitissimo, Meninges hæ præditæ sunt, ut harum aliqua læsa, non etiam exquisitissimos excitari dolores, ab omni ratione sit alienum. Sanguine vero jam cocto, & ad maturitatem puris perducto, ulcerisque tunica peresa ac rupta, immensos hos capitis dolores desiisse, absurdum non est; non enim aliter cum internis, quam externis comparatum est apostematis; de quibus, quod desinente inflammatione, post puris evacuationem, omnis etiam dolor, antea pulsatilis & urens, cesset, est notissimum, quare huic apostemati idem contigisse, non est dubitandum. Vertiginem vero hanc; post evacuationem accidisse, statuimus, inde, quod ex ulcere erumpens pus, cum non daretur exitus, inter cranium & Matrem duram collectum, in cavitate hac, (plerisque enim in locis dura hæc Meninx, cranio non adhæret,) substiterit, atque Meningibus incumbens, pondere suo, cerebrum compresserit, unde vertiginem inductam fuisse, non est mirum: quamvis enim de causis, vertiginem excitantibus, autores longe a se dissentiant, de eo tamen inter omnes convenit, causam propriam & immediatam non aliam esse, quam inæqualem, turbulentum, & inordinatum, cum humorum, tum spiritus, qui in Cerebro continentur, motum; sicut hoc præclare explicat Gal. *lib.* 3. *de loc. affect. c.* 8. Motum vero ejusmodi turbulentum & inordinatum, hic facillime pus Meningibus incumbens, easque pondere suo deprimens, producere potuisse, neminem latere poterit; atque inde etiam dolores capitis, tribus septimanis intermittentes, iterum ingruisse, arbitramur; dum enim pus, apostemate rupto, inter cranium & Meningem duram collectum, super hac consedit, & ulteriorem exitum sibi parando, bregmatis ossa, carie iis inducta, peredit, dolores cessarunt, quoniam Meninx dura, jam peresa fuit, & ossa tactus sensu carent; cranio vero pereso, dolores iterum ingruerunt, quia pus, per foramen factum, ad periosteum & pericranium, exquisitissimo sensu prædita, promotum fuit, quod, membranas has distendendo ac arrodendo, & dolores hos excitavit, & tumorem istum produxit.

*Inibi. lin.* 28. *Q. III. Quid Tumor? Quid Abscessus?*

℟. Voce tumoris, quodcumque, *quod est supra id, quod est secundum naturam*

*turam incrementum* comprehendi, ex Gal. *lib. de tumorib. p. n. cap.* 1. eſt manifeſtum, ſicut & id, quod *abſceſſus, tumor ſit per fluxionem factus lib. cit. c.* 3. ut hic ſub illo, ſeu ſpecies ſub genere contineatur: cum autem humoris confluentis, non una ſit conditio, pro diverſitate hujus, diverſimode etiam abſceſſus inter ſe diſtinguuntur; commode tamen, ſicut id Galenus *lib.* 14. *Meth. Med. c.* 12. innuit, duplex eorum genus conſtituitur: *unum, cum phlegmone in pus verſa, pus ipſum tanquam in ſinu aliquo eſt collectum: alterum, cum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis ſtatim ab initio, iſque alias ſpecie alius, cæterum omnino acris, in parte aliqua colligitur.* Humor talis concoqui & in pus verti ineptus, quoniam alius quam ſanguis eſt, inflammare partem, in qua collectus eſt, nequit, cum igne potius naturali ſit privatus, quam quod in eo præternaturalis incendi poſſit. *Frequentiſſima hujus morbi ſunt tria genera: Atheroma; Steatoma, & Meliceris, a ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum, dicta:* ut docet Gal. *loc. cit.* ſicut autem a ſimilitudine materiæ contentæ, quæ in pus verti non quita eſt, abſceſſus hi, ſua nomina ſunt ſortiti ita etiam abſceſſus, materiam in pus tranſmutabilem continens, proprie abſceſſio & abſceſſus, id eſt ἀπόςασις & ἀπόςημα dicitur. Vid. Galen. *in argumento Com.* 3. *in lib. Hipp. Quæ in Medicat. fiunt.* Qui etiam *in Finit. Medic. pag.* 97. definit; quod *abſceſſus ſit corporum ex phlegmone in pus traſmutatio* in quo ſignificatu & nos vocem abſceſſus accipimus.

*Pag.* 2. *lin.* 8. *Q.* IV. *quid pus ſit, & quomodo generetur:*

℞. Pus, non niſi in apoſtematibus, & quidem poſt inflammationem fieri, ex modo adductis patet: cum autem inflammationem parere, humor nullus, niſi ſanguis in partem depoſitus, poſſit, ſatis inde conſtat, pus nil, niſi putrefactum eſſe ſanguinem; putreſcere hic dicitur ſanguis, dum ſuppuratione, in pus concoquitur cruor: puris hæc generatio, Græcis Εκπύησις dicta, cauſam efficientem habet, naturam, quæ beneficio caloris nativi, omnibus, quæ in corpore noſtro ſunt, optimam, quam poteſt, formam inducere tentat; modus hujus concoctionis, πεπασμὸς maturatio dicitur, & media quaſi inter πέψιν & σήψιν eſt: ſicut enim πέψις, ſeu concoctio proprie dicta, eſt, cum beneficio caloris inſiti, nutrimentum in corporis noſtri ſubſtantiam convertitur; & huic contraria σήψις, putredo, cum ab alieno calore, inſitum vincente & profligante, corpus corrumpitur; ita media quaſi inter duas mutationes eſt πεπασμὸς maturatio, quando in benigniorem & meliorem ſtatum, humores vitioſi deducuntur. Cum enim ſanguis, in abſceſſibus extravaſatus, ſicque corruptus, caloris alieni particeps ſit, & in alimentum corporis abire non poſſit, in pus mutatur. Neque enim, quod non omnia optimam formam obtinent, in calore & natura, cauſa eſt, ſed in ſubjecta materia, quæ ad optimam formam recipiendam eſt inepta.

*Pag.* 2. *lin.* 29. *Q.* V. *Quomodo perioſteum & pericranium differant,* ℞. Præter cuticulam, cutem & pinguedinem, tres iſtas membranas, panniculum carnoſum ſcilicet, pericranium & perioſteum, calvariæ integumenta

conſ-

conſtituere, uſu jam eſt receptum: eſt autem panniculus carnoſus, membrana iſta valida, fibris carnoſis donata, ſenſu exquiſito prædita; toti corpori circumtenſa, quæ in homine pinguedini, in brutis vero plurimis, cuti, proxime ſubſternitur, quam, hac de cauſa horum plurima, mobilem habent, & muſcas, aliaque infeſta, motu iſto excutiunt; in homine tamen, excepta fronte & calvaria, hæc non movetur. Huic ſubjicitur pericranium, atque huic ſubjacens perioſteum, membranæ tenues, molles & nervoſæ, & propterea acutiſſimo ſenſu pollentes; quarum illa nervoſis fibris, per cranii ſerratas ſuturas, ad duram uſque Meningem dimiſſis, cum eaque unitis, magnum cum hac conſenſum habet, ut propterea multi, pericranium & omnia totius corporis perioſtea, a Meninge dura ſtatuant oriri: hæc tenuior quam pericranium, cranio firmiter connexa, huic, utet oſſibus reliquis, obtenditur, ut ejus beneficio, cum alias ſenſu tactus omnino careant, ſentire dicantur. Et ſicut cranio firmiter connectitur hoc cranii integumentum, ita etiam pericranio tam exacte jungitur, ut ſimul unam membranam conſtituere videantur; quam ſententiam Fallopius, Laurentius, aliique foverunt, quibus alii contradixerunt, propterea, quod perioſtea nuſquam muſculos ſupergrediantur, ſicut pericranium, muſculos temporales tranſcendit; & quod a perito anatomico, membranæ hæ, accurate ſeparari poſſint.

*Pag. 4. lin. 6. Q. VI. Quid ad morbum cognoſcendum excreti color faciat.*

℟. Cum affectum, tam qua exiſtentiam, h. e. *An & Ubi*, quam qua eſſentiam, ſeu *Quis & Qualis ſit*, non niſi ex triplici ſignorum fonte: *functione np. læſa*, *qualitate mutata*, & *excretis*, cognoſcere detur: utriuſque indicationem, hic, ſolum excretum exhibere poterit; quod naturæ diſſentaneum, totoque genere p. n. fuiſſe, ſolus color, qui, in excreto quocumque (ſive naturale, ſive præter naturam illud fuerit,) præ qualitatibus reliquis omnibus, maxime obſervandus eſt, conf. 4. *Aph.* 21. & 40. perſpicuum facere potuit. Quoniam etiam putandum non fuit, de eſſentia partis alicujus deceſſiſſe, quod hic excernebatur, cum nec ſanguis, nec ſolidi cujuſdam particula, ſed purum putum pus id fuerit; pus autem aliunde, quam ex abſceſſu ſuppurato, ac rupto, provenire non poſſit, ſatis evidens eſt, abſceſſum ſuppuratum, omnes has creaſſe calamitates, qui non melius, quam ex effluentis corpore, ſeu materia, ejuſque potiſſimum colore, potuit cognoſci, ut propterea de colore materiæ prorumpentis, inquirere, pro cognoſcendo hoc affectu, ſatis commodum fuerit.

*Pag. 4. lin. 9. Q. VIII. Quomodo ſciri potuerit, abſceſſum in Meninge fuiſſe, & quid pus coctum.*

℟. In parte interna abſceſſum, ex materia coctibili, id eſt ſanguine, extitiſſe, ex pure erumpente facillimum eſt cognoſcere; ſicut enim pus, niſi ex ſanguine, non vi, ſed a natura extravaſato, & in partem depoſito, fieri non poteſt; uti ſupra dictum, ita in parte, unde illud egreditur, ulcus eſſe, neceſſario ſequitur. Nihil enim aliud ulcus eſt, quam abſceſſus ſuppuratus, ſeu ad maturitatem perductus: nec aliunde *pus exit*, quam *ex ulcere jam ad ſanitatem*

*tatem ſpectante*, ut docet Celſus, *lib.* 5. *cap.* 26. *n.* 20. unde ulcus adeſſe, ubi pus eſt, & vice verſa concludere datur. Cum autem plurimum interſit, cognoſcere, num crudum, num coctum ſit, quod in abſceſſu continetur, ſiquidem apoſtema immaturum, vel vi, vel arte, apertum, niſi iterum coaleſcat; inſolitis corpus afficit doloribus, & ut recrudeſcat, eſt neceſſum, certa propterea obſervata ſunt, quibus ab immaturo, pus maturum diſtinguatur, indicia, quæ *l. cit.* recenſet Celſus, *pus melius eſſe* inquiens, *quo minus eſt, quo craſſius, quo albidius: itemque ſi leve eſt, ſi nihil olet, ſi æquale eſt.* Tali itaque in hoc Dn. Patiente, per calvariam egrediente pure, ulcus fudiſſe illud, haud difficille fuit indagare; pariter nec difficile fuit cognoſcere, in Meninge malum hoc fuiſſe: cum namque certo conſtet, pus, non niſi ex ſanguine, eoque ad partem qualitercumque cavitatem aliquam naturaliter habentem, per vias ordinarias, ſeu arterias, extravaſato & depoſito, fieri, & neque cerebro, minuſque adhuc calvariæ, vaſa adeo ampla, quam quidem Meningi duræ tribuantur, hac etiam in parte, præ iſtis, abſceſſum conſtitui potuiſſe, eſt veri ſimillimum: nec obſtat, vaſorum, in hac quoque Meninge reperibilium, anguſtia; ſufficit, amplitudinem eorum fuiſſe tantam, quæ pro ſanguine, ad abſceſſum hunc generandum ſufficiente, ſufficiendo, ſuffecerit; ut nihil ſtatum præter naturalem, qui & hic maxime conſiderandus venit, memorem, in quo plurima, ſagaciſſimis etiam naturæ ſcrutatoribus incomprehenſibilia, ſæpiſſime contingunt. Vid. *pag.* 4. *lin.* 25.

*Pag.* 4. *lin.* 17. *Q. VIII. Quomodo apoſtema generetur.*

℟. Quomodo apoſtema colligatur, optime declaraſſe videtur Hippocrates, quando *lib. IV. morb. XXV.* 21. ad ſimilitudinem modi, quo Scythæ butyrum parant, præ violentia ſcilicet calefacto & turbato humore, id fieri ſcribit. Ubi nimirum in ſanguinis maſſa, aliquid alienum aut heterogeneum continetur, hoc natura, ne præſentia ſua noceat, ſoluto glutine ſeu vinculo ſuo, id eſt ſpiritu, qui omnium vita & vinculum eſt, a toto diſſolvit, ac ſecedere facit. Hæc e vita diſceſſio, κατάλυσις, diſſolutio, præceptori dici ſolet: quoniam vero id, quod diſſolutum eſt, communione, quam cum toto habebat, privatur, hoc eſt, emoritur, atque eum in ſtatum abit, unde in gratiam redire cum natura, ſeu uniri iterum cum eo, a quo diſceſſit, nequit, ſupereſt, ut auferatur, quod fit, quando illud, quod diſſolutum eſt, & e vita diſceſſit, ſecedit vel abſcedit, quæ diſſoluti ſegregatio ἔκκρασις, id eſt alienatio per diſſolutionem, dicitur; & duobus fit modis; κατ' ἀπόκρισιν vel κατ' ἀπόςασιν, quorum iſta etiam ἀπόκρισις ſeceſſio ſimpliciter, ſicut illa ἀπόςασις abſceſſio, ut plurimum dicitur: & ſicut apocriſis eſt ecſtaſis conglutinati, ita apoſtaſis deglutinati, ſive ejus, quod ſeceſſionem fecit, & facere ſeditionem cœpit: quam ut præveniat natura valens, peccantem cogit humorem abſiſtere a maſſa ſanguinea, & abſcedere, vel extra corpus, vel aliam in partem; hoc enim Coo eſt ἀφίςαθαι. Quod ſi foras, dicitur apoſtaſis κατ' ἔκβυν ἢ ἐκβὴν per effluxionem cujus, omnis concitatim & confertim factæ fluxionis ſpecies, exemplum præbet. Quod ſi vero foras, vel emovere natu-

ra materiam languida, aut præpedita, nequit, vel emoveri materia se, per substantiæ modum non sinit, tunc fit apostasis κατ' ἀπόθεσιν, per depositionem, communiter absceſſus dicta: quoniam vero depositi humoris absceſſum facientis, conditio duplex est, ita ut vel fluxus is maneat, vel statarius fiat, prout vel quitus est, exitu facto, sponte aut sua dilabi, aut naturæ digeri, vel depositus coit, & in duritiam tum ipse cogitur, tum quam occupavit partem cogit, cedere loco nescius, nisi mobilis denuo factus concoctione, vel corruptione; hinc est, quod pro diversitate materiæ, absceſſuum alii suppurabiles sint, alii ad suppurationem perduci non possint: constituunt vero genus suppurabilium, quorum materia sanguis est, hic enim depositus, inflammatione facta, in pus transmutatur, quo facto, ejusmodi absceſſus, apostema & ulcus dicitur; ut ex Gal. *lib.* 14. *Meth. Med.* 12. *sub Q. III.* vidimus.

*Ibid. lin.* 19. *Q. IX. Quid per locum intelligendum.*

℟. Vocabulum loci, non uno apud authores venit nomine, præterquam enim, quod locus dicatur, quicquid continet corpus; statum etiam seu conditionem rei significat, prout variæ loquendi formulæ prostant, quibus res bono vel malo stare loco dicuntur: quandoque pro tempore & occasione accipitur: aliquando genus seu generis dignitatem denotat; sicut infimo, summo, nobili, ignobili, equestri loco aliquis natus dicitur. Non raro quoque loci muliebres, sunt, ubi nascendi initia fiunt, sive uterus; genitalia item loci vocantur. Apud medicos vero in usu est, corporis humani partes, loca nominare: sic in scriptis Hippocratis liber unus, cum inscriptione *de locis in Homine*; & apud Galenum sex, *de locis affectis* reperiuntur; quorum primum hic, his verbis incipit: *non solum recentiores medici, sed veterum quoque non pauci, corporis particulas, locos nominare consueverunt*; in quo significatu, nos etiam vocem loci, hic accipimus.

*Pag.* 5. *lin.* 3. & 17. *Q. X. Quid fungosa & spongiosa caro.*

℟. Nullam non in corpore partem solidam, & auctæ & imminutæ magnitudinis morbo, obnoxiam esse, quotidiana testatur experientia. Duobus autem modis, magnitudinis incrementum fieri, etiam est in propatulo; vel enim pars per suas dimensiones, easque aut aliquot saltem, aut omnes, æqualiter augetur, vel a decubitu unius partis in alteram. Quod si contingat secundum dimensiones suas partem augeri, accidit id ab humore, in substantiam diffuso: ubi notandum est, quod hoc magnitudinis incrementum fit, vel ob materiam utilem, vel inutilem. Ob utilis humoris copiam, sanguinem scilicet copiosius affluentem, augetur magnitudo in iis, quorum corpora carne & pinguedine nimium aucta, præter modum crassescunt; ob inutilem vero materiam, augetur magnitudo, si qualitate peccet & vitiosa sit, unde varia tuberculorum & ulcerum genera procreantur. Atque huic magnitudinis incremento, etiam fungi seu spongiosæ excrescentiæ annumerantur, qui nihil sunt aliud, quam excrescentiæ quædam, quæ, carnis mollis speciem præ se ferunt, & instar fungi partibus adhærent, quapropter & fungi nominantur,

tur, frequentius membranis cerebri, nonnunquam tamen & aliis partibus annaſcuntur. Conſ. Galen. *Comm.* 3. *in* 3. *de Morb. vulgarib.* 49.

*Pag. eadem lin.* 15. *Q. XI. Quid trepanum & quis ejus uſus,*

℞. Trepanum, ſeu trypanum, terebra, a τρύπα foramen, & τρέπω verto, dictum, quod nempe terebra, vertendo, foramen fiat; inſtrumentum eſt chirurgicum, ex terebrarum genere, quo, pro parte, in medio oſſe, excidenda, utuntur. Hodie operatio hæc cranio fere propria eſſe dicitur, antiquitus, cæteris quoque oſſibus, communis fuit. Componitur autem duabus ex partibus trepanum, alteram, manubrium ſeu vertibulum vocant, modiolum alteram, manubrium, exciſum habet foramen, quo mediante, modiolorum apex, quotieſcumque horum commutatio requiritur, prompte excipitur & extrahitur. Modiolus, illa ſcilicet trepani pars, quæ circa os circumvolvenda eſt, Græcis χοινίκιον dictus, ferramentum cavum, teres, imis oris ſerratum, denticulatumve eſt; (unde ſerræ potius, quam terebræ genus, quidam eſſe ſtatuunt;) Recentiores aliud adhuc modioli genus uſurpant, quod non cavum, neque ſerratum, ſed alatum eſt; figuræ ejus vid. apud Ambr. Paræum l. 9. c. 18. Modiolus porro duplex eſt, alter mas, qui in medio clavum habet, ut in principio circumvolutionis, calvariæ firmiter inſiſtat, eique veſtigium imprimat, alter clavum non habens, propterea fœmina appellatur: fœminæ ejuſdem exacte magnitudinis cum mare eſſe debent, atque plures fœminæ in omni operatione, quo aliquoties mutari poſſint, ne vel ſcobe pleni, vel ex circumrotatione crebra calefacti, operationem retardent, quapropter & aliquoties refrigerandi ſunt vel in aquam frigidam, vel ol. roſaceum, immerſione. Imprimis vero rectus perforationis locus eligendus eſt: quare perforatio non fiat ſuper pericranium, ſed in oſſe bene denudato, nec in loco ſuturarum, ne lacerata Matre dura, inflammatio excitetur: neque ad tempora & ſinciput, cum ea parte, interne vaſa diſcurrant, quibus ruptis, inter cranium & cerebri membranam ſanguis, cum vitæ periculo, effunderetur. Præcipue vero notetur, non in ipſa carie, ſed adſtante oſſe ſano, trepanum inſtituendum eſſe, ne in lamina interiore caries, in qua eam latius, (quod ibidem initia ſua ſumpſerit) expanſam eſſe, conjecturandum eſt, relinquatur, Conſ. Celſus *l.* 8. *c.* 3. Hipp. VI. Aph. 18.

*Ibidem lin.* 16. *Q. XII. Quid ſit caries.*

℞. Vulnera ac ulcera putrida, quidam medicorum, cariem nominarunt, ut videre eſt apud Lud. Mercat. qui *Tom.* 2. *Oper. p.* 664. *de Morb. Gallic. l.* 2. *c.* 7. ſcribit: *Quædam ſunt ulcera, quæ citra præcedentem morbum, ſolum cauſa ſeu virulento humore exedente & depaſcente carnem fiunt hanc cariem nuncupamus*; idem & repetit *in fine cap. cit. & cap. ſeq.* Hæc & Galeni videtur fuiſſe ſententia, qui *l.* 4. *Meth. Med. c.* 5. *vulneribus iis, quibus cariem, quam ſphacelum vocant, inſtare eſt metus* purgationem totius corporis convenire docet. Melius tamen vitium hoc a Galeno, aliis in locis, oſſibus tribuitur: ſicut *l. de Cauſ. Morb. c. II. Fractionem & cariem; cum in oſſe ſolvitur continuitas; ulcus autem ac vulnus cum in carne hoc fit, appellari* ſcribit. *Autho-*

*ri finit. medic.* apud Galen. *isagog. p.* 97. *Caries pertusio* ( comminutio ) *est ossis, ex corruptione*, bene *ex corruptione* additur; nam *non extrinsecus adveniunt, sed ex ipso corpore ortum habent hujus ægritudinis causæ*; sicut monet Galen. *l. de caus. morb. c. II.* Propterea etiam caries comparatur chymicorum calcinationi, cum res coagulatæ, per res corrodentes, in calcem reducuntur. Galeno *l.* 5. *de loc. affect. c.* 5. & *l.* 4. *meth. med. c. II.* dicitur diabrosis seu anabrosis, quæ est solutio continuitatis, ex erosione ab humoribus mordacibus introducta. *Affectui nomen* ( ut habet *finit. author l. c.* ) *ab accidentibus foraminibus datum est, quæ τρήματα appellantur, quasi πρηδὰν quidam existat.* quod & habet *l. de caus. morb. c. II.* Ulceri igitur plurimum respondet caries, & sicut illud in partibus mollibus, ita hoc in duris est; & sub uno genere, diabrosi seu corrosione, puta, comprehenduntur. Quod si enim *quid suæ substantiæ parti per vim deperiit paulatina exesione, diabrosis dicitur: tam in dura, quam in molli parte diabrosis autem duas species habet, ulcus & cariem: ulcus est diabrosis carnis, caries, diabrosis ossis*; inquit Joh. Ant. van der Linden. *Meletem. medic. Hippocrat. p.* 210. Hinc caries definitur; *morbus solutæ unitatis, in partibus duris, cum deperditione substantiæ, a re corrodente proveniens.* Conf. Jac. Pancrat. Bruno. *dogmat. medic. general part.* 2. *c.* 5. *dogm.* 8. *p.* 142.

*Pag.* 8. *lin. ultima Q. XIII. Num caries non nisi ferro & igne auferatur.*

℞. Si quis affectus est, de quo Hipp. 8. *Aph.* 6. *Quæcumque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet*; dici possunt, sane caries est; de qua, quomodo nempe ferro & igne curanda sit, nemo facile Chirurgorum scribere neglexit: ut non melius quam dicto modo, id est, exsciissione & exustione eam tolli posse, jam apud omnes sit in propatulo. Sunt equidem, qui multum opis, a medicamentis externe applicatis, sibi promittunt: nec desunt, ( & quidem Chirurgorum non infimi ) qui multum iis se præstitisse profitentur: quorum sententiæ equidem non obrogamus; non tamen in carie perfecta, quæ os totum jam peredit (in qua semper certior ferri & ignis effectus observatur, ) sed incipiente tantum & superficiaria, ejusmodi medicamenta locum invenire, concedentes. Ubi insuper notamus, quod usum, quem medicamenta talia præstant, eum, vi qua pollent deletili & ignea, edant; ut propterea & in his curationibus, cariem igne auferri, non inepte dici possit.

*Pag.* 10. *lin.* 25. *Q. XIV. Quid ignis actualis; quid potentialis.*

℞. Ignem, qui in Chirurgia adhibetur, cauterium appellare, apud artis peritos, jam olim in morem venit: sicut autem καυτήριον a καίω, quod Græcis uro, incendo, significat, dicitur; ita omnia, quæcumque urendi vim habent, voce hac intelliguntur: cum autem vim urendi alia statim, simulac adhibentur, sicque ipso actu, alia vero, elapso aliquo tempore cum potentia, eam habeant, exserere expertum habeatur, hinc ignis etiam, & sic cauterium quoque, aliud actuale, aliud potentiale dici, usu in arte receptum est:

eſt: ignis actualis fere ſemper inſtrumento ferreo ingnito, quod cauter nominatur, infertur, quapropter diverſarum figurarum ferramenta tum pro inurendis fonticulis, tum variis, variis de cauſis comburendis corporis partibus, a peritis Chirurgis ſunt excogitata, de quibus paſſim videri poſſunt Chirurgiæ ſcriptores. Prout autem cauterium actuale ab igne actu tali ſuam denominationem ſortitur, ita potentiale non quidem ignis actualis, ſed res quævis conſtituunt, *quæ* ut Galenus. *lib.* 5. *de ſimpl. medic. fac. c.* 15. definit, *ignis inſtar corpus colliquant, & ſæpe Eſcharas, hoc eſt cruſtas, ritu cauterii efficiunt*: cujuſmodi ſunt; lixivium, calx viva, auripigmentum, ſandaracha, chalcitis, Euphorbium, & id genus alia, quæ idcirco etiam eſcharotica & cauſtica appellantur. Inde *& affectiones cauſticæ, & cauſtica excrementa*, id eſt, *urentia* dicuntur, *quarum virtus eſt, morbum & acutum & periculoſum & velocis judicationis reddere*; ut habet Galenus *Comm.* 2. *in I. Prorrhetio. Hipp. n.* 60.

*Q. XV. Num hujuſmodi curationes dolorificæ cerebri, ad venerem incitandam aliquando aliquid facere poſſint.*

℟. Doloribus in venerem quemquam ſtimulari poſſe, ſi quis aſſereret riſum facile alicui concitare poſſet: a riſu tamen facile ſibi temperabit, quiſquis intellexerit, probatiſſimos authores medicos paſſim docere, experientia compertum eſſe, verbera & plagas ad morborum aliquando facere curationes, imo quoſdam eſſe, qui in venerem virgarum plagis ſtimulentur, aut in libidinem verberibus accenſi deſpument; partemque illam, qua viri ſumus, ad flagelli numeros ſonoſque inſurgere: ut teſtimoniis authorum non proletariorum non vice ſimplici id uſu veniſſe Excellentiſſ. Joh. Heinric. Meibom. *Tractat. Epiſtolari: de flagrorum uſu in re venerea & lumborum renumque officio. Ad V. Cl. Chriſtianum Caſſium* oſtendit; ex quo unicum prodigioſæ libidinis, notabile huc tranſcribo exemplum, cujus verba ipſiſſima hæc ſunt: *dum Lubecæ hic ago, civis quidam Lubecenſis, butyri & caſeorum propola, in platea habitans, quæ a molendinis nomen invenit, propter alia facinora, ob commiſſum adulterium, ad Magiſtratum delatus, cauſaque cognita, urbe excedere, ac ſolum vertere juſſus fuit. Meretricula, cui is adſueverat, coram ſenatoribus judicio criminali præfectis, quos vulgo die Gerichts-Herren vocant, confeſſa eſt, nunquam illum acrius, quam virgis prius ſecundum dorſum ab ſe difflagellatum, arrexiſſe & virum ſe præſtitiſſe: officio vero peracto, niſi, denuo flagris cæſum, vix ultra quidquam patrare potuiſſe. Adulter ipſe, idem primo quidem negare: ſerio tamen & ſevere interrogatus, non inficias ire. Teſtes do ipſos Judicii criminalis id temporis Senatus nomine præfectos, Thomam Storningium & Adrianum Mollerum, amicos meos etiamnum, ut noſtri, ſuperſtites.* Addit loco citato, laudatus modo edecumatæ eruditionis vir, de cauſa monſtroſæ hujus rei, opinionibus minus probabilibus rejectis, ſuas rationes & ſententiam, quæ tamen omnes eo tendunt, ut *lumbis, quatenus ex vertebris, muſculis, renibus, venis, arteriis, nervis conſtituuntur, rem omnem tribuat; ita tamen, ut venis & arteriis ſeminariis principatum adſcribat, quæ & materiam ſemini tribuant,*

*albescentemque humorem, qui vel semen jam sit, vel mox futurus, in se contineant, & a se ad testes amandent*; unde concludit, *flagra dorso sive lumbis inflicta*, quia *partes semini generando dicatæ, ac semen ad genitales partes deferentes ab iis incalescunt, in venere excitanda aut libidine multum posse*: erudite sane pro ista seculi hujus ætate, quam sententiam equidem non admodum aspernamur, plurimum tamen nervis, iisque non ex quinque lumborum vertebris ad renes missis, ut scribit nominatus modo author, (cum hi non ex dorsi spina, sed a sexti paris plexu & ramo stomachico, eosque exiguos dumtaxat, recipiant) sed promiscue omnibus, utpote spiritus animales, ad tactus instrumentum, membranas, vehentibus, adscribimus. Quod si vero flagrorum incussu lumbos, ut ex partibus suis, sicut modo dictum, constituuntur, refrigeratos verisimile est rursus incalescere, ac materiæ seminali fervorem conciliari, accedente præsertim partium verberatarum, dolore, qui facit ut uberius sanguis spiritusque attrahantur, donec calore, ipsis etiam generationis instrumentis communicato, male feriatæ voluntatis desiderium expleatur, & natura etiam invita, atque ultra modum potentiæ suæ vi in flagitia adigatur; quanto magis meningibus cerebri leviter vellicatis, partes genitales, (quarum longe major ac cujusvis alterius partis cum cerebro consensus est,) ad venerem incitari, dicendum erit: & enim ut hic sententiam antiquorum medicorum, qui semen ex succo quodam e cerebro & spinali medulla deciduo, confici, illincque ad genitalia procedere tradiderunt, taceam, stabile tamen manebit, alteram prolifici liquoris partem, spiritum animalem scilicet, e cerebro per nervos in testes profundi, quod ex eo manifeste patet, quod cerebro magnus cum testibus sit consensus, & quod cerebrum, nervi, omnesque nervosæ partes ab immoderato coitu plurimum lædantur, & debilitentur, lassitudo & virium dejectio atque aliqua etiam tristitia subsequatur, visus conturbetur, tremorque membrorum accedat. In cerebri item affectibus, genitalibus adhibita remedia, non parum opis afferunt; sic narium hæmorrhagiam frigida & refrigerantia testibus applicata sistunt: *in phrenitide, testiculi, actu & potentia agentibus refrigerandi sunt*, monente Arnoldo Weickardo *l.* 1. *c.* 2. *Thesaur. Pharmaceutic. pag.* 20. Idem & *l. c. p.* 32. in melancholicis & maniacis, si alia omnino non juvent, castrationem tentare suadet; eamdem operationem manualem, aliquando & in epilepsia aliquid emolumenti afferre testatur: qui animo linquuntur, ex compressis moderate testibus ad se redeunt: fœminæ, quas uteri strangulatus angit & præfocat, vellicata pube, excitantur; idem hoc remedium contra apoplexiam & epilepsiam (istam præsertim ex utero) prodesse perhibetur. Accedat quoque huc consideratio tabis dorsalis, de qua Hipp. *II. de morb. XLIX.* refert, quod *a medulla fiat, & maxime veneri deditis obtingat, quod ea affecti, licet cibum bene capiant, tamen consumantur, sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri dicant, gonorrhœam, onirogmum, ac alia veneris ludibria patiantur, caput gravetur, & aurium sonitu corripiantur*; ex quibus symptomatis Diemerbrœck *Anatom. lib.* 1. *c.* 27. *p.* 261. e

cere-

cerebro & ſpinæ medulla ſpiritum quemdam ad ſeminis confectionem per nervos affluere ſatis patere hincque poſt nimium coitum debilitato cerebro, defluxum ſpiritus non ſatis cocti, ſed crudi, ( qui enumerata mala producat, ) e cerebro fieri concludit, *cum propter partes ſpermaticas, a nimio coitu nimis debilitatas, & minus retinentes, tum quod iſte crudus & parum excoctus ſpiritus per nervos affluens, ſubſalſus & nimis acris ſit, ſuaque acrimonia vellicando & titillando, debilitata genitalia ad ſeminis profuſionem irritet.* Quod ſi vero crudi & acres ſpiritus nervos vellicando ad ſeminis profuſionem ciere partes genitales queunt, quare non & unguenta ac emplaſtra, nervoſis partibus maxime, & ipſis Meningibus impoſita, idem præſtare poſſe concedendum erit, præſertim cum in quibuslibet ad ſanationem tendentibus vulneribus, vellicans ejuſmodi titillatio & pruritus percipiatur: & hanc ob rationem etiam coitum venereum dici parvam epilepſiam, ( quod ſcilicet in coitibus genitales & reliquæ partes, non ſecus ac in epilepſiis magnis, aliiſque convulſionibus fit, convellantur, ut propterea ſemen excernatur, ) innuit Galenus, *lib.* 14. *de uſu part. c.* 10. ſic ſcribens: *quantum ad ea, quæ in vaſis continentur excernenda, ipſe partium velut ſpaſmus, qui in coitu venereo accidit, habeat momenti, ex magnis epilepſiis, & eo affectu, qui γονορροία, id eſt invitæ ſeminis effluxio nuncupatur, diſcas. Siquidem in vehementibus epilepſiis quod corpus totum vehementer convellatur, & cum eo partes genitales, ſemen idcirco excernitur. In gonorrhoeis autem ſola vaſa ſpermatica afficiuntur. Quæ igitur tenſio in prædictis affectibus vaſis iis accidit, ea & in coitibus cum iiſdem accidat, ſemen excernunt.*

FINIS.


e
e
e



# GEORGII AUGUSTI LANGGUTH

*Prof. Vitembergensis*

Programma

# DE SINUS FRONTALIS VULNERE *SINE TEREBRATIONE CURANDO*

8. Octobris 1748. habitum.

---

EX iis in capite locis, qui, quoquo modo male affecti, modiolum, illud inferiore sua parte in orbicularem serrulam circumductum ferramentum, admittere nec possunt, nec debent, frontales sinus in primis nominandi sunt. Excusat illos, tum ipsa eorum structura, tum ferri, non secantis, sed lacerantis indoles. Structuram horum sinuum, quos alii pituitarios, cum MORGANIO, [o] vocant, accuratissimam, ex ALBINI [p] elegantissimo libro, de ossibus corporis humani, discendam tibi relinquimus. Quæ te nunc scire, nostra interest, illa fere ad hoc redeunt: sunt isti sinus frontales duæ magnæ cavæ cavernæ, ad drachmas tres fluidi alicujus capaces, [q] ex diductis, ad radicem nasi, glabellam vocant, & superciliorum capita, ossis frontalis tabulis, formatæ, extus intusque sæpe inæquales, diversa laminarum crassitie sublatæ depressæque, non nunquam parvis magnisque laminulis varie discretæ, membrana pituitaria, nudissimis tenerrimisque nervulis exquisitissime sensibili, vestitæ, & ad utrumque septi narium latus, foraminibus, clare conspicuis, [r] patentes. Ex his, quod os terebrari non sinit, primum est, tenuis illa & inæqualis ejus fabrica. Dum tenuis, exterior sinus frontalis lamina, est, terebræ, aliqua tamen vi, ut foret, applicandæ, valide satis resistere non potest, nec declinare, ne illam comminuas & plane destruas. Sed inæqualitate sua, illaque externa, efficit, ut modiolus ipsam ubique æqualiter comprehendere nequeat; interna vero, ut citius in alio loco, in alio tardius, illam perrumpat, & cellularem ejus, sed occultam, texturam violenter aboleat. Gravior atque periculosior hæc noxa futura esset, quam quæ exterius ossi, dum finditur frangiturque, in-



[o] Adversar. Anatomic. VI. 89.
[p] Boerhaave *Prælect. Acad.* V. II. §. 19.
[q] Loc. cit. §. 19.
[r] Palfyn de *Ossibus*, cap. 14.

ferri possit. Alterum, quod terebrationem ab hoc sinu prohibeat, impedimentum, membrana pituitaria suggerit. Isthæc, interni sinus cavernosæ superficiei, tanquam ossa investiens membrana, firmissime adhærescit; sed omni periosteo longe est sensibilior, vel aeris etiam contactum, sine insequenti sternutatione, singultu, acuto dolore, convulsione etiam, ferre nescia. Quod si igitur, dum calva terebratur, tam male ab omni, leviori quoque, duræ matris laceratione metuendum est; quod si, dum membrum vitiatum amputare paras, periosteum in osse sano summa sollicitudine circumcidere, nec serrula illud tentare, debes, ne non tolerabiles cruciatus crudelissimus excites, & in vitæ discrimen, quem sanandum accepisti, adducas: quanto minus, serratum modiolum, in membranula, tota nervea, orbiculatim rotare, ipsosque nudissimos nervulos dentato ferramento petere & dilacerare conveniet? Quid aliud hoc esset, quam crudelissima, quam vere detestabili, chirurgia, experimenta per mortes agere? Ad duplicem hanc, quam sinus frontales a terebratione habent, excusationem, alia quoque, partem a modo, quo vitiari illi possunt, partem, a fine, quem, ossa modiolo exscindentes, consequi annitimur, petita accedunt. Potest utraque sinum efficiens tabula, externa facilius, interna difficilius, adhibita exterius violenti injuria, lapsu ex loco altissimo, percussione, vulnere penetranti, plumbea glande, ipsum non omnino perrumpente, noxam suscipere, findi, frangi, comminui. Potest etiam ab interna causa, male affici, collecto tenaci muco urgeri, polyposa concretione distendi, carie exedi, seu spinam ventosam concipere. Omnibus his affectibus aut mederi possumus, aut omnem illi medelam respuunt. Exterior tabula, fissa, fracta, comminuta, quoquo modo vitiata, terebratione non indiget. Nudati ossis laminæ a sana illius parte sponte secedunt; festucæ facili negotio removentur; sic, quæ peregrina in ipso sinu hærent, sine laborioso conatu, eximi, curari facillime possunt. Fac vero etiam, sinum hunc angustiore apertura patere, quam ut, exempli causa, glandem plumbeam, in ipso hærentem, commode ejicere possis; fac summam necessitatem tum abs te exigere, ut acceptum vulnus, pro eo, quod satis sit, dilates, partemque ossis cum adnata ipsi membrana removeas: tum quidem, in tam desperata causa, nihilo secius a serrati modioli applicatione te abstinere, sed majorem potius, secantemque forcipem, ad hoc negotium artificiose aptatum, adhibere, unoque ictu membranam cum osse discindere, me quidem judice, debebis. Secari & præscindi, ipsi etiam nervi, possunt; divelli & dilacerari non possunt. Sed ad interiorem tabulam, quomodocumque læsam, terebra pertingere, illamque exscindere, si posses etiam, ob præsentissimum mortis periculum, non licet. Et, quod ad morbos, sinum a causa interna tenentes, pertinet, illi aut sine ferro curari debent, aut plane relinqui. Atque hoc quidem salva conscientia. Citius enim hominem tollunt, quam certo cognoscuntur.

Confirmat, quæ ita disputavimus, exemplum vulneris, quod sinui frontali inflictum fuit, sed sine ferramento, sine terebratione, curatum est. In

eo

eo ſanando medentis officio præclare functus eſt Cl. noſter Candidatus, efficacioris medicinæ peritiſſimus: quam Ejus in illa peritiam Diſputationis Inauguralis argumentum inter alia non obſcure loquitur; caſumque, in rarioribus habendum, jam commemorandum, hoc modo nobiſcum communicavit: Miles gregarius, quadraginta annorum, ſanus cætera, robuſtuſque, violenti lapidis jactu in fronte vulneratur, illud continuo multo ſanguine cruentum eſt, & exquiſitiſſime dolet. Opem ipſi ferre vocati, illud in tumorem elatum, inflammatumque, ſacculis, ex herbis cephalicis, paratis, & ex calido vino expreſſis, fovemus, & ex inciſa vena ſanguinem mittimus. Altero die illum reviſentes, diſcuſſo tumore, tabulam ſinus frontalis dextri externam, ruptam, & minutatim fractam, deprehendimus. Deligamus vulnus, ut decet, vulneratumque, leviter febricitantem relinquimus. Tertio die redeuntes, minutula oſſis ramenta ſtatim, reliquas feſtucas, intra octo dies, omnes removemus; per orbiculatam aperturam, pollicem latum, latam longamque, & membranam pituitariam, & ſinum ſiniſtrum pariete ſeparatum, commode diſtinguimus; primis autem diebus, quamvis vulneratus calido in loco degeret, ſub vulneris deligatione, leviori etiam aëris contactu, ſemel iterumque ſternutantem, leviter convulſum, ſingultuque concuſſum, obſervamus. Inter hæc vulnus paulatim callo clauditus, ſed fovea quædam in medio relinquitur; vulneratus autem, tertio menſe ſanatus, brevi poſt, glande plumbea ictus, in acie, glorioſus cecidit.

Proſtant & alia non nulla, non minus notari digna, eorum exempla, quibus, ex vulnere frontalis ſinus graviter decumbentibus, auxilium ſine ferro latum eſt; alia etiam, eorum, qui per triennium, imo per decem & ſeptem annos, trochleam ſclopeti, abſque inſigni ſanitatis diſpendio, in ſinu frontali geſtarunt, perque nares tandem, poſt integros triginta & ſeptem annos, adhuc bene valentes, feliciter excreverunt. Sed ſatis de vulneribus, deque illis medendi efficaciori ratione.

FINIS.

XI.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

## MORBIS PRÆCIPUIS SINUUM OSSIS FRONTIS ET MAXILLÆ SUPERIORIS, ET QUIBUSDAM MANDIBULÆ INFERIORIS.

*QUAM PRÆSIDE*

FRANC. DE ZIEGLER;

*Defendet pro doctoratu consequendo*

LUDOLPH. HENR. RUNGE

*Bremensis author.*

Rintelii 10 Decembris anni 1750.

# CAPUT I.

## §. I.

*Quædam ex Anatomicis de Sinubus præmittuntur.*

INter laminam anteriorem & posteriorem, Ossis Frontis reperiuntur fere semper duo cava, Sinuum Frontalium [ *a* ] nomine nota, quorum quodvis angustius factum in canalem osseum desinit, qui foramine in Narium meatum patulo oblongo terminatur. In Osse Maxillari superiori sub orbita Oculi supra dentes molares reperiuntur duo cava alia, multo majora, quæ in eumdem meatum Narium hiant similiter Sinuum Maxillarium sive Anthrorum Higmori [ *b* ] nomine insignita; licet VESALIO jam cognita. Membrana, quæ nares investit, Pituitaria SCHNEIDERI dicta, obducit & hos Sinus Frontis & Maxillæ superioris. Superbit eadem vasculis arteriosis [ *c* ], venosis & glandulosis [ *d* ] simplicissimis, quas recentiores Anatomici Cryptas vocarunt. Parat illa, & secernit ex arterioso sanguine per apparatum abruptum arteriarum exhalantium tenuem, limpidum atque blandissimum Vaporem, & glandularum harum ope humorem alium magis lentescentem & diutius adhærentem. Illud ita paratum liquidum mora, calore, absorbtione tenuioris lentescit magis in Mucum, qui in his Sinubus colligitur accumulatus, & per foraminula sua tandem exit, sive ob copiam nimis aggestam ex Sinubus plenis expellatur, sive ob variam corporis posituram inde elabatur, ac defluat in Narium caveam.

Hæc ex Anatomicis de Fabrica Sinuum horum præsuppono ut cognita: & de Mandibula inferiori, quantum ad præsens negotium spectat id tantum moneo, eam alveolis suis infixos dentes habere, & substantia medullosa gaudere interius.

*Morbi quinam in sinubus sedem habeant in genere.*

§. II. Diximus (§. I.) membranam pituitariam Narium esse eamdem & continuam illi, quæ utrosque sinus obducit. Morbi ergo omnes, qui in Membrana Narium possunt oriri, etiam sedem habere poterunt in membrana sinuum nostrorum. Quamvis vero Morbi Sinuum in genere similes illis sint, qui in naribus obtingere solent, differunt tamen ab iisdem ratione effectuum & Sanandi Methodi, cum ampla Narium appertura, angusta e contra sinuum excretoria sint. Mucus enim ille arterioso & glanduloso opere intra nares paratus, propter exitum amplum ex naribus, libere diffluere potest; illud autem liquidum, quod simili modo intra Sinus perficitur, propter angustiam aut obstructionem canalium excretoriorum facillime retineri, & exitus illi præcludi potest. Præterea longe aliis symptomatibus stipata mala viden-

[ *a* ] Palfyn Osteol. Tom. I. & II. Schneider. de catarrh. f. 1. p. m. 484.
[ *b* ] Delin. Palfyn Osteol. Tab. II. f. 2. & Drack. Anat. Tom. XVIII. f. 1. & 2.
[ *c* ] Delineatis in ea portione membranæ, quæ septum narium obducit, a Ruyschio Ep. VIII. Tom. IX. f. 6.
[ *d* ] Quarum excretoria in Septo observata pinxit Ruyschius l. c. f. 7.

videntur, ſi eadem in Sinubus Frontalibus, aliis, ſi in Sinubus Maxillaribus deprehendantur, cum non ſolum oſſa, quæ ſinus frontales efformant, firmiora ſint, magiſque reſiſtant, ea e contra, quæ Maxillares Sinus conficiunt, admodum tenuia minuſque reſiſtentia ſint: ſed & cum alveolis dentium molarium arcte jungantur, & ab iiſdem tenuiſſimo Septo ſeparentur, unde hi Sinus & alveoli a ſe invicem mutuo affici ac lædi poſſunt.

*Ordo tractandi eoſdem.*

§. III. In pertractatione Morborum Sinubus noſtris accidentium hunc ſervabimus Ordinem, ut (1.) eos recenſeamus, quinam in dictis his Cavitatibus poſſunt oriri.

(2.) Aliquos revera in iiſdem obortos ex domeſticis Experientiis atque Caſibus ſingularibus afferamus.

*Enumerantur Morbi Sinuum præcipui cum ſcopo Authoris.*

(3.) Denique Experientiis recenſitis Epicriſin ſubjungamus.

§. IV. Morbi, qui his ſinubus poſſunt accidere, ſunt (a.) Vulnera, quibus excipiendis ſatis expoſiti ſunt, vario modo inflicta. (b.) Fracturæ. (c.) Inflammatio. (d.) Abſceſſus. (e.) Polypus. (f.) Tumor Cyſticus. (g.) Carcinoma. (h.) Sarcoma. (i.) Exoſtoſis: de Vulneribus & fracturis non agemus: de quibuſdam reliquorum brevibus: de aliis prolixius diſſerimus.

*Inflammatio.*

§. V. Si in uno vel altero dictorum Sinuum, valde ſenſibilis dolor adſit, calens pulſanſque, ſuſpicio eſt, hic loci adeſſe Inflammationem. Quodſi dolor, pulſatio, calor, de hora in horam augeantur, cum accedente quadam febricula de præſentia inflammationis in his locis eo minus dubitandum. Quod ſi Inflammatio iſta tam per Venæ ſectiones, quam per alia appropriata tam externa, quam interna remedia intra 5. vel 6. dies reſolvatur, ſanata eſt Inflammatio, & hæc cava reſtituuntur in ſtatum integrum & ſanum. Quod ſi contrarium obtineat, Inflammatio abit in ſuppurationem & hæc mutatur in Abſceſſum.

*Cauſæ Inflammationis membranæ ſinuum.*

§. VI. Inflammatio Tunicæ Sinuum internæ non ſolum oriri poteſt a cauſis inflammationis in genere, ſed & in ſpecie, ſi ductus eorum excretorii, in nares patuli, vel obſtructi, vel concreti, vel compreſſi ſint: (1.) a muco craſſiori & tenaciori, *alterum* a coalitu poſt ulcus aut vulnus prægreſſum facto: *tertium* a Polypo intra nares, ductus excretorios comprimente, poteſt contingere. Quod ſi vero ductus hi excretorii obſtructi, coaliti, compreſſi fuerint, mucus, intra ſinus ſeparatus & effluere neſcius, jugi ſecretione facta, accumulabitur, Tunicæ Schneiderianæ vaſa premet, comprimet atque inflammationem cauſabitur, eo magis ſi repagula oſſea horum ſinuum dilatationi intus factæ, nimis reſiſtant; quemadmodum id ſemper in Sinubus Frontalibus contingit; aliquando etiam in Sinubus Maxillaribus, ſi & horum oſſa duriora aut craſſiora ſint. Quin Muci, hic ſecreti, nec per excretoria effluentis ſingularis quædam acrimonia irritando & coarctando vaſa membranæ ſuccingentis inflammationi anſam poteſt præbere.

*Abſceſſus & ejus effectus* lo

§. VII. Inflammatio ita nata, nec reſoluta, abit in abſceſſum. Rupto autem tali abſceſſu, materia abſcedens in caveam ſinuum, in quibus ſedem ſuam habet, ſe effundit. Effuſa hæc purulenta materies, ſi non ſuperet eam

Con-

consistentiam, quam mucus habet, glanduloso opere secretus, & per emissaria ex sinubus in narium aperturam effluens, eodem modo effluet per eadem emissaria in nares, neque alia mala causabitur. Si vero crassior materies purulenta sit, exire ob molem suam per emissaria nequit, sed obturabit eadem, & muco, per glandulas parato, similiter præcludet exitum.

*obturatio canalium excretoriorum sinuum in nares.*

§. VIII. Materies hæc purulenta, loco hoc diu clausa, incipit agere, vicina erodere, & exitum sibi parare; quod & locum habet in cavis firmissimorum crassissimorumque ossium, quemadmodum in spina ventosa aliisque in casibus luculenter apparet.

*Effectus alter erosio ossium coërcentium.*

§. IX. Quod si ergo ductus excretorii horum sinuum a materie purulenta crassiori obstructi fuerint, ita ut nec muco, per glandulas horum sinuum elaborato, exitus pateat; necessario sequeretur, sinus hos tam a purulenta materie, quam a muco, perpetim generato, successive impleri. Repletis ab utraque materie sinubus, successive ossea repagula, cavum sinuum formantia, extenduntur, & ultra pristinos terminos dilatantur. Intelligitur facile huic extensioni ea ossa, quæ cavum sinuum frontalium constituunt, utpote duriora, magis resistere, quam ossa sinuum maxillarium, tenuiora.

*Effectus tertius dilatatio ipsorum ossium ultra limites suos.*

§. X. Eadem hæc materies purulenta, per diuturnam remoram acris facta, erodendo viam sibi potest facere vel in caveam narium vel per ossis ipsius substantiam versus exteriora. Prius in senioribus facilius, posterius apud juniores in primis ætatis annis, ob ossa tenuiora facillime contingere satis intelligitur; quemadmodum etiam & ita factum fuisse suo loco per experientiam probabimus.

*Exitus materiæ purulentæ varius erodendo sibi factus.*

§. XI. In sinubus maxillaribus illud adhuc in specie notandum, quod, cum non solum ab alveolis dentium, sed & ab orbita oculorum tenuissimis tantum septis discriminentur, eadem materies, in sinubus his inclusa, nec per excretoria sua exitum inveniens, simili erosione eumdem sibi parare possit, vel in alveolos ipsos, vel in cavum osseum, quod oculum includit; prius eo facilius contingit, quoniam dentes respectu sinuum horum inferiorem locum occupant, unde materies hæc inclusa, secundum leges motus deorsum tendens, eo facilius alveolos dentium erodet, & viam & exitum inter, vel ad dentes sibi parabit.

*Exitus ejusdem in maxillari sinu hærentis in specie vel ad orbitam oculi vel ad dentes.*

§. XII. Dum vero hoc fit, necesse est, ut æger exquisitos dolores toleret, tam in sinubus his, quam in dentibus ipsis. Nec febris potest esse exigua, quin regione totæ malæ signa evidentia adsint oportet tumoris inflammatorii.

*Symptomata hunc exitum ad dentes comitantia.*

§. XIII. Quamprimum vero purulenta materies dicto modo viam sibi & exitum faciet, symptomata enumerata minuentur quidem, tamen, quia via, per quam exit, angusta tantum est, hinc effluxus materiæ purulentæ tantummodo parcus, non cessare prorsus eadem potuerunt. Quin, nisi per extractionem dentis via exitus materiæ purulentæ amplior reddatur, eadem justo maturius sese contrahet, effluxum puris impediet, & symptomata supra enumerata de novo resuscitabit, & continuabit, donec eadem hæc materies angustatam hanc viam sibi iterum aperiat.

*Qualitas materiæ sic effluentis acris & malignæ.*

§. XIV. Si materies hæc acris & maligna sit, ipsa ossa, sinum maxilliæ hujus formantia, & alveolos ipsos, in quibus dentes infixi sunt, & circa dentes effluens vel per se, vel post extractionem eorum fœtorem spargit, ut solent ova putrefacta.

*Alter modus generati in sinu maxillari abscessus ex alveolis dentium.*

§. XV. Quemadmodum vero pus, in sinubus genitum, per alveolos dentium aliquando exitum sibi parat, ita non minus possibile est, ut materies purulenta, in alveolis dentium genita, penetret in ipsos hos sinus.

*Effectus abscessus Sinus maxillaris sic generati.*

§. XVI. Quod, quemadmodum in §o præc. diximus, si fiat, ut materies purulenta, ex alveolis in sinum penetrans, ejusdem crassitiei sit, uti mucus per glandulas membranæ sinum obducentis, paratus, poterit eadem una cum muco exire per excretoria naturalia in cava narium; si vero crassior illa sit, accumulabitur in sinuum horum uno, & vel versus alveolos dentium iterum regurgitabit, & per eosdem exitum erodendo sibi procurabit, vel simili modo aliam sibi viam faciet, præprimis ibi locorum, ubi major sinuum tenuitas adest v. gr. sub orbita oculorum in regione naribus vicina, vel ab iisdem aversa sub osse jugali.

§. XVII. Quæcumque autem sit via illa exitus materiæ purulentæ, eadem non poterit esse non, nisi angusta, parum tantummodo puris transmittens; unde non solum depurari bene sinus ille nequit, sed & ob diuturnam remoram purulenta materies acrior reddita, ossa ipsa arrodere, fœtidum ulcus generare, quod in nares effluens Ozæna dicitur, vel ad minimum fistulam efficere poterit.

§. XVIII. Hi sunt effectus inflammationis & abscessus in sinubus frontalibus & maxillaribus præsentis. Progredimur ulterius ad reliqua mala & quidem *primo* ad polypum, quatenus sedem habet in sinuum horum uno vel altero.

*Polypi in Sinubus præsentia possibilis.*

§. XIX. Diximus superius, tunicam Schneideri, quæ nares investit, obducere quoque sinuum horum interiora; hinc eadem quoque mala, quæ in naribus sedem suam habent, locum quoque habere posse in dictis his sinubus. Non mirum ergo, cum polypus in naribus sedem habens, sæpius occurrat, nec sinus nostros ab eodem esse immunes.

*Diagnosis Polypi hic præsentis difficilis.*

§. XX. Signa diagnostica polypi in naribus præsentis manifesta quidem; at ejusdem in sinubus hærentis præsentia, non nisi difficillime detegitur, ob accessum manibus ac oculo denegatum.

*Effectus Polypi Sinubus inhærentis.*

§. XXI. Id vero est evidentissimum, quod si quidam in sinubus generatus *polypus*, in mole sua ita increverit, ut totum cavum eorumdem oppleat, necessario hi effectus sequantur: vel quod polypus intra ossea repagula inclusus, & in iisdem jugiter increscens, tandem ab osse coërcente nec cedente comprimatur, ita ut compressis vasis polypi circulus sanguinis per eadem sufflaminetur, unde inflammatio, suppuratio, abscessus, materiæ purulentæ varius exitus per vias in præcedentibus dictas. In sinubus frontalibus id eo certius fiet, quoniam ossa, eos formantia, his cedere nesciunt. Aliquando idem continget in sinubus maxillaribus, quando simul horum ossa duriora

vel

vel crassiora sint constituta. Si e contra hæc sinuum horum maxillarium ossa tenuiora sint, & flecti se patiantur, tum per incrementum perpetuum polypi eadem extendentur, polypo crescenti cedent, atque tumorem præternaturalem sensibus manifestabunt, & declarabunt una & evidenter, aliquid præternaturale in cavo horum sinuum ita dilatato contineri.

§. XXII. *Tumor cysticus*, cum in omnibus partibus mollibus corporis possit nasci, uti experientia illud testatur, ita non mirum, in sinubus nostris quoque eumdem posse oriri. Est autem tumor cysticus extensio & elevatio cutis, quæ sensim, sine sensu a parva admodum mole, successive sine dolore & sine mutatione coloris increscit, in loco, quem ex prima radice occupavit, quaquaversum mobilis, atque vel mellis instar pultisve, quin interdum caseosam materiem exhibet, semper in membrana quadam inclusa. Cum itaque talis tumor cysticus ratione parvæ suæ molis, sine dolore sensim increscentis, se habeat, instar polypi, necessario sequetur, eadem quoque mala ab augmento hujus tumoris intra sinus hos posse nasci, quemadmodum modo diximus, eadem oriri ab aucto atque increscente jugiter polypo. *Tumor Cysticus hic possibilis, & ejus effectus hic hærentis.*

§. XXIII. Ratione tumoris cystici id quoque notamus, quod iidem aliquando in alveolis dentium circa radices eorumdem nascantur.

§. XXIV. *Carcinoma* cum in narium cavo observetur, & in tunica mucosa glandulosa easdem investiente sedem suam habeat; hinc & intra sinus, utpote eadem membrana obductos, hoc malum poterit nasci; signa quidem, præsentiam ejusdem hic loci manifestantia, nulla quidem certa dantur, cum nec visui, nec tactui, nec instrumentis ad speluncas has aditus pateat: effectus ejusdem interim, si in rabiem agatur, erit: exedere & erodere omnia vicina sibique obvia cum vitæ insequente jactura. *Carcinomatis in Sinubus præsentia & effectus.*

§. XXV. *Sarcoma* in sinubus his generari posse ex modo dicta ratione quoque elucet, cum illud in narium cavo quandoque occurrat simili tunica obducto. Cum sarcoma sit durus carnosus tumor, qui quoties in gingivis observatus, quantum mihi constitit, semper cum carie ossis conjunctus sit; hinc facile licet assequi, quid fieri debeat, si tale sarcoma in uno vel altero sinu nostro sedem habuerit. Ossa enim, sinus hos formantia, si dura atque crassa adsint, vi in eadem agenti sufficienter resistant, tum sarcoma tale increscere amplius nequit, donec cavitas ipsa, in qua latitat, fuerit oppleta. Si vero pergat nutriri, tum in hoc statu ab osse coërcente pressum in inflammationem, hæc in suppurationem, dein in abscessum deducitur. Si abscessus ille in nares destillet, tum contumax pessimeque olens *Ozæna* generaretur; dum tam durum corpus, quemadmodum sarcoma est, partim admodum lente in putredinem resolvatur, partim exquisite fœteat; si in putredinem convertatur, quemadmodum experientia nos edocet, quamlibet partem corporis, quæ duritie sua ad illam ossium appropinquat, si in putredinem deveniat, eximie fœtere, adeoque ex sarcomate nata Ozæna talis certo certius deberet esse quam contumacissima, & tam fœtidissimi odoris, præcipue ob hanc quoque ratio- *Sarcomatis in Sinubus existentis effectus.*

nem, quod ſarcoma tale cum carie oſſis ſemper conjunctum, quemadmodum nobis ſufficienter conſtat, ſoleat eſſe.

*Exoſtoſis præſentia, cauſæ & effectus.*

§. XXVI. *Exoſtoſis*, quemadmodum reliquis corporis accidere quandoque poteſt partibus oſſeis, ita non mirum, eamdem in ſinubus noſtris utpote ex oſſea ſubſtantia confectis quoque obtingere aliquando poſſe. Eſt autem exoſtoſis tumor oſſis vel partis ejuſdem vel totius, poroſus aliquando, aliquando duritiem oſſis vel æquans vel ſuperans. Oritur eadem ex dilatatis quacumque de cauſa vaſculis, materiam ad os pro nutritione ejuſdem afferentibus. Cauſa externa, ut contuſio; vel interna, ut malum venereum, ſcorbuticum ſolet eſſe. Effectus ut ubique, ita & hic in ſinubus eſt deformitas in ſenſus incurrens, protuberantia verſus exteriora, nec non interiora prominens, & partes utrobique vicinas premens & removens, hinc varia inde mala & mira creans.

## CAPUT II.

EXplicuimus hactenus, quomodo morbi ſuperius enumerati, in ſinubus dictis ſedem ſuam habere poſſint. Accingo me ad ea, quæ ratione horum morborum, in ſinubus his occurrentium, per experientias mihi cognita ſunt. Deſtitutus propriis, eas adduco, quæ parenti in ampla & annoſa ſua praxi obviæ fuerunt, mihique communicatæ ſunt. Incipio autem a *ſinubus oſſis frontis*, dein ad eos *maxillæ ſuperioris*, tandem ad *maxillam inferiorem* progredior.

### *OBSERVATIO I.*

Ratione *ſinuum frontalium* in teneriori ætate poſt prævios capitis exquiſitos dolores, prægreſſamque febrem inflammatoriam, in loco oſſis frontis inferiore ſupra oculum non procul a naſo obſervatus frequentiſſime parenti tumor fuit, qui abſcedens, dein vero apertus atque exploratus manifeſtabat, ad cavum ſinus frontalis uſque pertigiſſe malum. Apertione facta ceſſabat febris, & exquiſitus dolor intra paucos dies. Primis diebus applicabatur vulneri tantummodo turunda balſamo oblita, ut bene ſuppuraret, donec omnis tumor & potiſſima pars doloris evaneſcerent, deinde turunda ſpiritu vini imbuta uſque ad fundum hujus ſinus immittebatur. Cum vero bene gnarus erat parens, hos ſinus in ſanum iterum ſtatum ſuoſque in uſus non poſſe redigi, ob tunicam mucoſam, per inflammationem, dein ſubſequentem ſuppurationem, pro parte deſtructam, ob oſſa, eoſdem formantia, in alium longe ſtatum redacta, ob ductum excretorium inutilem factum; e contra intelligebat, quamdiu pars quædam tunicæ hujus mucoſæ bona atque integra, partem muci ſeparans eamdemque per aperturam eliminans remaneret, perfectæ ſanationis ſpem nullam, fiſtulæ vero metum certo futurum eſſe, id ſibi negotii eſſe credidit, ut totum ſinum omnemque illum inveſtientem membranam prorſus deſtrueret, dein vulnus cicatrice obduceret. Hunc finem ut conſequeretur, aliquid contriti lapidis infernalis balſamo arcæi miſcuit, eodem

dem oblitam turundam fundo ſinus applicuit, & repetito per 10. dies hoc opere poſtea ſpiritum vini ſolum per aliquot dies adhibuit, donec exfoliatio oſſis ſequeretur, dein balſamicam eſſentiam in uſum vocavit, quibus factis ſanitas recuperabatur perfecta, niſi, quod cicatrix ſat profunda remaneret.

Res ita ſe habuit, ſi ætas tenella ſic affecta fuerat. In adultis autem, in quibus oſſa ſinuum craſſiora & duriora ſunt, in regione ſinuum frontalium dolor erat obtuſus cum parciori effluxu muci ex naribus, qui vero de die in diem increſcebat, donec tandem ita exquiſite ſæviret, ut ferri ab ægris non potuerit, una cum febre inflammatoria, ſimiliter ſucceſſive aucta, donec poſt IX. aliquando etiam poſt XII. dies ex nare, huic malo proximiori, multum materiæ purulentæ cum ſanguine mixtæ efflueret, & cum eadem doloris & febris vehementia minueretur. Si hæc ſymptomata dicta erant vehementiſſima; calidi rubicundique apparebant oculi, & in regione ſinus notabilis quidam tumor attollebatur. Remedia in hoc caſu in uſum vocata, erant V. ſectio, ſpiritus reſolventes fronti applicati, &, ſi dolor & reliqua ſymptomata nihilo ſecius non ſolum non remitterent, ſed increſcerent, cataplaſmata, quæ & emolliunt & reſolvunt fronti adhibita, illito prius dolente loco cum unguento anodyno & oleo Hyoſciami; ſi materies purulenta per nares efflueret, cum cataplaſmate & ſpiritib. dictis ſolum continuabatur, donec tumor omnis cum dolore ac febre evaneſceret, & parum tantummodo materiæ per nares efflueret. Quoniam vero in aliquibus acrimonia materiæ purulentæ cavum naris internæ eroſerat, & ægro dolorem creaverat, hinc ſæpiſſime mediante penna mucilaginem, ex ſemine cydoniorum & lini cum aqua ſalviæ paratam, intra nares illevit, donec effluxus materiæ & acrimonia evaneſcerent. In aliquibus præter ſpem recrudeſcebant ſopita diu ſupra enumerata mala; quæ vero renaſcentia per remedia iterum adhibita de novo fugabantur.

Quoad interna remedia V. ſectio etiam repetita, clyſmata diligenter injecta, methodus febri atque inflammationi curandis apta, locum hic habent; nec ſi febris jam abfuerit, & vires ægri increverint, decocta meracia incongrua ſunt, interpoſito aliquando purgante medicamento ex Mercur. dulci. Vidi hominem hoc malo laborantem, cui ex nare materia acerrima ſtillaret, qui per decoctum ex ligno Guaiaci, ſecundum methodum BOERHAVII paratum, & eo, quo illud commendat, modo in uſum vocatum, a malo ſuo immunis redditus & perfecte ſanatus fuit. Unde credibile eſt, idem illud decoctum in his malis non ſine fructu frequenter poſſe adhiberi. [a].

Quamvis vero omnes ægri ita affecti, ſanati fuerint abſque eo, quod Ozæna remanſerit, quod & ob liberum effluxum materiæ ex ſinubus his in nares non difficulter intelligitur, tamen poſſibile quoque eſt, ut in hoc loco fiſtula remaneat, quæ dein continuo ploret, & in nares ſtillet materiam quamdam,



[a] Vid. omnino commentar. Perilluſtris L. B de *Swieten* ad aphoriſmorum *Boerhavii* caput de morbis oſſium.

quæ fœtorem contrahere poteſt, præprimis, ſi diutius retineatur, vel oſſa inde infecta fuerint, eo magis, cum ob denegatum acceſſum fœtidum illud ulcus depurari recte nequeat.

## *OBSERVATIO II.*

Anno 1726. curæ parentis ſe committebat ſacrorum in loco, qui patria ab urbe parum diſtat, antiſtitis atque præſulis uxor, quæ tumore columbini ovi inſtar in ſiniſtra mala, ſub oſſe jugali protuberante, & egregiam alias ejus formam deturpante, laborabat. Tumor ipſe erat indolens, coloris a naturali non degeneris. Dentes molares omnes, præcipue tamen illi, qui ſub tumore hoc locati viſebantur, ſæpius & exquiſite doluerant, unde, quamvis juveni valde fœminæ pauci tantum dentes in ore ſupererant boni atque integri, reliquis vel jam evulſis, vel tamen adhuc carioſis, cæterum egregie valebat, & euſarca erat. Explorantis tumorem parentis, & medium ejus moderate prementis digito cedebat ille, ſonumque edebat, qualem ſolet tenuis Bractea metallica, ſi eadem intro prematur, quique etiam auribus percipi poterat, ſi digito, qui intro preſſerat, remoto tumor ſeſe in priſtinum ſtatum reſtitueret. Inſpicienti in os & tactu tumorem exploranti, apparebat ille inſtar ovi columbini inter genam ac gingivam, qui preſſus, eum, qualem diximus, ſonum edebat. Alius tumor in palato, gingivis lateri ſiniſtro vicino protuberabat, eumdem ſonum proferens, ſi premeretur, & ceſſante preſſione, ſeſe reſtitueret; tertius tumor locum habebat in nare ſiniſtra ad latus ſinus maxillaris ſiniſtri, qui eumdem ſonum dabat, ſi ope inſtrumenti intro premeretur.

Ex cognitis ſenſuum ope his omnibus concludebat, intra ſinus maxillaris ſiniſtri oſſeum cavum adeſſe liquidum quoddam debere, quod jugiter accumulatum, nec exitum inveniens oſſea repagula ſinus dilataverat, dilatando extenuaverat, ita ut potuerit, preſſione facta, non ſolum intropelli, ſed & ceſſante illa per vim ſuam elaſticam reſtitui cum ſonitu quodam. Ad præcavendum itaque incrementum tumoris hujus, & removendum eumdem, judicabat nullam aliam viam eſſe relictam, quam ut loco idoneo apertura fieret artificialis, per quam inhærens intra cavum liquidum exiret libere, & per quam idonea atque apta remedia una poſſint applicari.

Aptiſſimus huic aperturæ locus erat tumor inter malam ſiniſtram & gingivam, utpote cum hæc protuberantia maxime ſpectabilis viſui atque inſtrumento aditum apprime idoneum concederet. Lumini itaque obverſam ægram exponens, deduci malam a gingivis curavit mediante inſtrumento, a parente invento, & in icone expreſſo. Quo facto, perforavit dein mediante ſcalpello ſtabili atque acuto integumenta atque os ipſum, uſque in ſinus ipſius cavum. Vulnus factum ampliavit antrorſum & retrorſum, quam late id facere licuit, dein circumvertendo ſcalpellum, aperturam effecit quam ampliſſimam, quod commode ob tenuitatem dilatati oſſis fieri poterat. Ex apertura

ita

ita facta effluebat liquidum mucosum, quod cavo sinus hujus inhæserat, sed sine odore & sine sapore. Vulnus factum deligabatur mediante turunda spirit. vini humectata: sequente die bene se habebat ægra, & cum specillum cavum sinus exploraret, pertingebat illud usque ad orbitam oculi, quin ad reliqua ea loca, quæ tumida atque protuberantia observata fuerant omnia, nullibi os ipsum plane nudum deprehendens. Deligabatur vulnus ut die præcedenti. Nocte autem sequente ingruebat in regione tota sinus & dolor insignis atque tumor una cum febre; materia effluens ex vulnere acris erat, atque fœtorem spargebat. Febri quidem resistebatur per interna remedia; externe vero post injectionem mixturæ ex spirit. Lavendulæ cum melle rosarum combinatæ, ope Siphonis factam, applicabatur turunda eadem mixtura imbuta. Malæ vero imponebatur sacculus herbis resolventibus repletus, & spirit. vini camphorati irrigatus. Sequente die durabant symptomata dicta, & liquidum ex vulnere effluens putridum fœtorem spargebat; hinc vena secabatur, cataplasma resolvens & leniens applicabatur cum spir. vini camphorato humectatum; intra aperturam autem essentia cariophyllorum, cui aliquot guttæ spir. vitrioli erant additæ, injiciebatur, quibus factis intra paucos dies & dolor, & tumor, & fœtor, & febris evanescebant. Post adhibitam per XXIV. dies modo dictam medelam evanuerunt incommoda, quæ habuerat, fere omnia, quin non obscure animadverti poterat, dilatata sinus maxillaris ossa, sese paulatim contrahere, præprimis ibi locorum, ubi tumor versus nares, atque alter versus palatum protuberaverat. Quoniam vero dens caninus hujus maxillæ valde obliquus & fere transversus alveolo suo inhærebat, dentem eumdem extrahi curavit, qui pollicem & ultra longus visebatur, extractusque apparebat sanus, nisi quod fini radicis ejusdem carneum quid atque membranaceum adhæreret. Educto autem eodem ex alveolo suo, effluebat materies, in sinu contenta, & per aperturam ejusdem specillum in cavum sinus sine impedimento poterat intromitti usque ad orbitam oculi; nec sic tamen specillum attingebat os alicubi nudum. Altera ita facta apertura in cavum sinus maxillaris quoque penetrans, multum boni præstitit ad sanationem citiorem mali. Dum injectus per eam aperturam detergendi scopo liquor una cum materie purulenta ex altera apertura commode effluere posset, adeoque abscessus in hoc sinu contentus, eo melius detergi. Accidebat, quod nec necesse esset, priori aperturæ immittere turundam, unde materies perpetuo effluens ansam dabat dilatato ossi ad contractionem sui faciliorem, neque materies, utpote non retenta, ob moram fieri acris poterat, atque ossa erodere. Nec spem his de causis conceptam fefellit exitus, dum ad sensuum ipsorum testimonium sese contraherent successive de die in diem dilatata ossa in arctius spatium. Per XXIV. dies, quemadmodum dictum est supra, injiciebatur spir. Lavendulæ cum melle rosarum mixtus. Si fœtorem materies effluens contraheret, substituebatur essentia cariophyllorum, cui parca quantitas spirit. vitrioli erat addita; quæ vero in usum revocari non solebat, quamprimum materies absque fœtore effluere; postea sola essentia cario-

cariophyllorum per III. ſeptimanas injecta, & poſtquam ægra abhinc domum profecta fuerat, reliquum curæ ſimilibus remediis adhibitis peractum, interpoſita nonnunquam cum ſpirit. vitrioli remixta eſſentia hac, ubi materies male iterum olens illud requireret. Apertura ſcalpello facta coibat quidem citius abſque eo, quod fragmentum ab oſſe abſcederet; ſemeſtre tamen ſpatium effluxit, antequam omne malum & cum eo deformitas faciei prorſus evaneſcerent.

## *OBSERVATIO III.*

Eadem Præſulis uxor, cujus mentio facta obſerv. præced. præter tumorem illum in ſinu maxillæ ſuperioris habebat adhuc in mandibulæ inferioris latere dextro tumorem alium, & quidem in ea ſede, quæ duobus dentibus molaribus poſticis ſuppoſita eſt, magnitudine ovi columbini, durum admodum, atque indolentem. Dentes molares ipſi uſque ad radices carioſi. Doluerant antea ſæpius, non tamen vehementius, in regione tamen hac per longum ſatis ſpatium temporis continua, obtuſa quædam ſenſibilitas, percepta fuit. Dentes carioſi extrahebantur non ſine vi. Radices anterioris erant bonæ, illæ vero poſterioris in extremo ſuo habebant tumorem cyſticum, magnitudinis ut fabæ parvæ, qui, lanceola apertus, griſea craſſiori materie, particulari in membrana incluſa, repletus viſebatur. In alveolos extractorum dentium tertio die immittebatur linteum carptum eſſentia cariophyllorum humectatum; externe applicabantur lintea reſolvente ſpir. madida, poſt quorum uſum intra V. ſeptimanas tumor fere omnis evaneſcebat, & alveoli, ex quibus dentes exempti erant, conſolidabantur ſimiliter.

## *OBSERVATIO IV.*

Studioſus quidam hujus loci tumorem habebat in maxilla inferiori, & quidem latere ejus dextro in medio ſeriei dentium molarium. Tumor ille magis ſe manifeſtabat extrorſum, quam introrſum, magnitudinis majoris quam ovum columbinum, durus admodum, & intra annuum ſpatium ad hanc molem excretus. In principio dentes doluerant frequentius non tamen exquiſite; in tumore ipſo continuus quidam, ſed obtuſus valde dolor ſentiebatur. Dentes omnes erant boni, præterquam primus molarium. Quoniam vero tumoris mandibulæ ſedes non erat ſub illo aut prope ad illam, hinc credi non poterat originariam ſedem hujus tumoris in dente hoc quærendam eſſe, unde nec eumdem extrahendum eſſe judicabatur, ſed ſcalpello ſtabili inter gingivam atque genam non ſine vi addacto uſque in cavum hujus tumoris, & ſeparatis per vulnus factum partibus ab utraque parte a ſe invicem remotis, ut apertura magis patula hiaret, materies effluebat inſtar tenuis mucilaginis ſine ſapore atque acrimonia; quoniam vero ob ſedem ſuam materiæ huic liber exitus præcluſus, nec ille ope preſſionis, quemadmodum in abſceſſibus partium mollium, illi procurari poterat, hinc ſola injectione elui illa tantum-

modo

modo poterat. Quoniam vero jugiter affluens in hoc cavum humor, tamdiu in eodem hærere deberet, donec ex eodem mediante injectione iterum expelleretur, hinc mora illa incipiebat putrescere, & fœtorem contrahere, qui tamen per injectam tincturam aloës cum spir. vitrioli remixtam corrigebatur. Verum, quoniam per hanc injectionem materies hæc spissior & vulnus inflictum nimis arctari inciperet, constituebatur, ampliare de novo vulnus, & immissa turunda distendente, illud apertum detinere, quo cavum hoc eo melius detergi atque sanari posset. Deducta itaque mediante instrumento superius dicto, a dentibus gena, scalpellum intrudebatur usque in cavum, & lata plaga dissecabatur tumor ille, quousque intumescens os illud permitteret. Specilli ope cavum interius explorans nullibi nudum, sed membrana obductum illud inveniebat. Vulneri immittebatur turunda ex radice calami aromat. parata, & cum balsamo arcæi obducta. In usu harum turundarum continuabatur, nisi quod deinceps usque ad finem sanationis eædem cum balsamo peruviano oblinerentur, injecta ante applicationem earumdem essentia quadam aromatica, cui admiscebatur spir. vitrioli, si fœtorem materies contraheret. Hæ turundæ abbreviabantur successive, prout profunditas cavi imminuebatur, donec intra dimidium anni perfecta sanitas sequeretur, sine ullo incommodo relicto, absque ulla deformitate superstite, redacto osse in pristinos suos limites atque angustias priores.

## *OBSERVATIO V.*

Alio tempore dens caninus, præcipuæ cuidam matronæ hujus loci extractus, in radice sua cysticum tumorem exhibuit. Doluerat ille jam ab aliquot annis satis graviter, dein vero obtusius. Cariosus usque ad alveolum dens, singulari inde instrumento, hunc in finem parato, eximebatur, qui in extremo suo tumorem habebat instar pisi majoris rotundum, cujus superficies hinc inde cum pingui quadam substantia obducta erat. Ille tumor per lanceolam apertus indicabat satis, tumorem hunc alium haud esse, nisi cysticum; cingebat quippe eumdem peculiaris membrana, a materie crassiuscula ex albo flavescente, quam includebat, expansa. Post evulsum dentem, omnis dolor, quem antea perpessa fuerat, evanuit prorsus.

## *OBSERVATIO VI.*

In nosocomio patrio degebat fœmina per aliquod temporis spatium continua, miti, interpolatis vero vicibus vehementi Odontalgia in dextro latere maxillæ superioris laborans. Omnibus dentibus molaribus ejus lateris existentibus, sanis, solus primus usque ad radicem cariosus. Ultra annum tumor durus supra gingivam dextri lateris erat excrtus, & ad eam magnitudinem successive excretus, ut magnitudinem ovi columbini jam superaret. Quoniam tumor ille ubique æqualis, & modo supra dicto erat obortus, hinc judi-

judicabat parens, materiem tumori inhærentem, vel primariam ſedem habere in ſinu maxillari dextro, vel alveolo unius alteriuſve dentis molaris ejuſdem lateris. Ut exitum diu incluſæ materiæ pararet, eodem modo proceſſit, quo id factum fuiſſe in præcedentibus obſervationibus diximus. Materies exiens mucoſa ſimiliter erat, & inſtar mellis fluidi. Deligabatur vulnus cum turunda ex linteo carpto prima vice, dein injiciebatur duabus vicibus per diem aromatica eſſentia, cui, ſi olere inciperet materies addebatur ſpirit. vitrioli; turunda oblinebatur perpetuo cum balſamo peruviano, abbreviabatur illa ſucceſſive, ſi major anguſtia cavi hujus, & minor ejuſdem facta profunditas illud permitteret. Poſt ſemeſtre ſpatium abſoluta erat cura, nec ullum veſtigium alicujus tumoris aut fiſtulæ remanſerat: nullus dens fuerat extractus, cum carioſus ille nec omni adhibita diligentia extrahi potuiſſet.

## *OBSERVATIO VII.*

Sarcoma intra ſinus noſtros poſſe generari ſupra evictum fuit; præſentia ejuſdem hic loci difficillime vel plane non detegitur, ob acceſſum ſenſibus denegatum, & ob mutationem, in quam degenerat, ſi in putredinem reſolvatur, ſimilem illi, in quam membrana Schneideri ex aliis cauſis abſcedens, aliudve corpus in putrem materiem hic loci reſolutum deducitur. Unde nulla mihi ſuppetit obſervatio ſarcomatis in ſinu uno vel altero exiſtentiam certo docens. Cum vero morborum mandibulæ inferioris, quatenus analogiam habent cum illis in ſinubus obſervatis, mentio aliquando facta, non incongruum puto obſervationem ſarcomatis in maxilla inferiori parenti obviam factam hic loci annectere.

Laborabat miles præſidiarius ſarcomate in gingiva dextri lateris mandibulæ inferioris, dimidium pollicem longo, unum craſſo atque admodum duro, ſuperficiei glabræ atque rubicundæ. Sub dente molari poſtico incipiens, pertingebat uſque ad dentem caninum ejuſdem lateris. Dimidiata pars poſtica gingivæ arcte accreta, altera anterior in tota ſua peripheria erat prorſus libera. Ut exſcinderetur hoc ſarcoma, applicabatur inſtrumentum malam a dentibus abducens; parti anteriori ſarcomatis liberæ applicabatur uncus, mediante quo illa a gingiva abducebatur; dein ope ſcalpelli ſarcoma ipſum a gingiva ſeparabatur. Inter diſſecandum autem in medio ejuſdem reſiſtentia magna opponebatur cultro, ac ſi per os quoddam aciei via facienda eſſet, unde & in ſecando major vis adhiberetur oportebat. Poſt operationem factam, fundum ſarcomatis inveſtigans in medio vulnerati loci mobile os deprehendebat parens. Hæmorrhagia ſatis larga, operationem ſubſequens, ſedabatur plumaceolis, in aqua ſtiptica immerſis, dein applicabatur ſæpius omni bihorio in melle ſalviæ cum aromatica tinctura, illi mixta, & humectata ſimilis plumaceola; donec fragmentum oſſis ſe ſepararet. Reliquum curæ corroſivis, dein balſamicis adhibitis remediis peractum fuit.

## *OBSERVATIO VIII.*

Exoſtoſim in oſſibus, ſinus noſtros formantibus non ſolum, ſed & reliquis omnibus corporis humani partibus oſſeis accidere poſſe, experientia duce cognoſcimus, & quidem in radicibus dentis molaris poſtici, & in ſinu maxillæ ſuperioris id factum fuiſſe, parentis experientia in ſpecie confirmatum habeo. Quoad primum, matronæ ex præcipuis dens molaris poſticus in gingiva ſuppoſita mandibulæ inferioris extrorſum & introrſum protuberantiam oſtendebat, quoad tactum duram admodum atque craſſam. Dens ille nunquam doluerat exquiſite, ſed ut plurimum ſatis obtuſe. Extractio hujus dentis ſuadebatur, quoniam non exigua incommoda ſucceſſu temporis inde oriunda pertimeſcerentur. Idoneo hunc in finem applicato inſtrumento, elevabatur ille ſine magna vi ex fundo ſuo; gingiva tamen arcte accreta eidem manebat, ut ſeparari eadem ope ſcalpelli a dente oporteret. Sexies craſſior, quam ut ſolet in ſtatu ſano, erat circa radices ſuas, circumcirca fungoſa carne circumductus. Separata illa carne radices inſtar pumicis erant poroſæ atque friabiles admodum, quia multa vaſa & carneæ fibræ ſubſtantiæ earumdem erant implantatæ. Cavitas, cui inhæſerat monſtroſus ille dens, ſucceſſive conſolidabatur, & ægra ab omni dolore reddebatur immunis. *Vidi* alium dentem, olim WRATISLAVIÆ extractum, qui nucem juglandem mole æquabat, poroſus æque ac ille, de quo mentio facta eſt. Tam monſtroſus dens ille fuit, ut multis ſubleſta fides viſa narrantis, eumdem ex corpore humano extractum fuiſſe. At qui hiſtoriam morborum oſſium callet, non mirabitur tenue os in magnam admodum molem poſſe excreſcere, cum, quod longe magis mirum, ipſum os deperdita ſoliditate in carneam mollitiem aliquando mirabili metamorphoſi converti videamus, quemadmodum eluceſcit ex PETITI tractatu de oſſium morbis [*a*], imo omnia corporis humani oſſa ceræ inſtar emollita viſa fuiſſe, patet ex ACAD. DES SCIENCES l'an. 1722. mem. p. 311.; & ex nupera morbi, qui in Anglia obſervatus fuit, ſingulari plane hiſtoria illuſtratur [*b*].

## *OBSERVATIO IX.*

Quoad alterum, in oſſibus ſinuum maxillarium ſimilem revera obſervatam fuiſſe exoſtoſim, ſequens obſervatio docebit. Ante aliquot annos huc accedebat ruſtica, quæ tumorem habebat in mala dextra ſub oſſe jugali inſigniter protuberantem, ut monſtroſa admodum inde facies appareret. Prima ſpecie exiſtimabat parens, ob tumorem illum, illi quo laborabat præſulis uxor valde ſimilem, eadem ratione curam eſſe tentandam, quemadmodum



[*a*] Traité des Maladies des os Liv. I. Chap. XI. pag. 319. & p. 420. ſeq.

[*b*] Vid. novellæ literariæ *Gœttingenſes* de anno 1748. pag. 1043. & 1044. Vid. & *Aſtruc* de morbis venereis L. IV. cap. III. pag. 353.

dum ibi factum fuisse diximus. Re tamen curatius pensitata, quoniam dilatata ossa inflecti, & sese restituere negarent, & superficies tumoris ubique inæqualis esset, de similitudine utriusque morbi incæpit dubitare. Accedebat, quod rustica hæc Eusarca quidem, tamen mensium defectum pateretur, & scorbuto gravi laboraret. Unde pronus magis erat, hæc omnia expendens, ut crederet, hunc tumorem verosimiliter esse exostosim. Nec tamen exostosim solam, sed, quoniam etiam subtilissimæ partes atque tenuissimæ ad incredibilem quamdam crassitiem pervenerant, una conjunctam esse sinus maxillæ superioris a materia distendente dilatationem. Ut de natura hujus mali eo certior redderetur, inter genam & gingivam, ubi tumor ille quam maxime protuberabat, scalpellum tentabat adigere, sed illico magnam resistentiam inveniebat. Quoniam vero instrumentum nihilominus sat profunde penetraverat, hinc concludebat, os ipsum satis porosum esse debere, & cum exostosi potissimum rem illi esse. Ne quid vero deesset, ad evincendam præsentiam hujus mali, applicavit post dissecta integumenta trepanum perforativum. Quoniam os porosæ erat substantiæ, adigebatur stilus facillime, ultra quinque tamen lineas terebrandum erat, antequam in cavitatem maxillæ penetraret. Ex apertura ita facta, effluebat liquidum simile illi, quod in prioribus casibus dictis effluxisse ex vulnere facto docuimus. Specillum aperturæ immissum, penetrabat usque ad orbitam oculi. Deligatio hujus ægræ per aliquod temporis spatium erat æqualis illi, in prioribus recensitæ, nec primi effectus erant ab iis dissimiles. Quoniam vero tumor hac opera non decresceret, id cœpit consilii, tantum de exostosi tollere, quantum commode fieri poterat. Quem in finem terebram confici curavit, quæ ob conicam suam figuram a tenui apice in latam basim terminante, non solum commode penetrabat, sed & efficere poterat, ut magna pars hujus ossis, mediante hoc instrumento, e medio tolleretur; quod & in hac ægra ita effectum est. Absumpta ita, atque remota magna hujus ossis parte, necesse erat, ut protuberans gena subsideret, & deformitas faciei imminueretur. Quantumcumque vero erat, quod hoc modo de osse auferrebatur, multum tamen restabat, quoniam ad omnia tumoris loca accessus liber non erat. Interim incrementum tumori accedere nullum poterat, & quoniam ægræ, quamdiu hic commorabatur, remediis internis bene prospiceretur, spes erat, os ipsum intra pristinas angustias successu temporis redactum iri. Quæ eo major affulgebat, cum vel ante ejusdem ex hac urbe abitum evidentissimum erat, internam cavitatem maxillæ superioris arcte sese contraxisse, ut expleri tenuissima turunda posset. In quantum vero hæc spes adimpleta fuerit, dici non potest, quoniam nihil de hac fœmina deinceps ad aures perventum fuit. Metus tamen subest, quamvis tumor de mole sua forte multum decreverit, per vitæ reliquum spatium remansuram esse fistulam, quoniam humor in hoc cavo naturaliter secretus, ob obstructa & forsan coalita in nares excretoria per aperturam arte factam, in futurum defluere cogatur.

Hæ sunt observationes, quas experientia domestica suppeditavit. Non desunt

ſunt tamen factæ ab aliis, atque in libris eorum hinc inde notatæ, in quibus recenſendis brevis ero: de morbis oſſium in genere, de exoſtoſi, de cancris eorum, multa bona habet PETITUS in tractatu de morbis oſſium. Obſervavit polypos in maxillæ ſuperioris ſinu RUYSCHIUS & delineavit F. 60. Obſervat. Anatom. & deſcripſit in obſervatione 77. item PALFIN de operat. chirurg. pag. 1. cap. 24. De polypo narium cum Ozæna, & dilatatione ſinus maxillæ ſuperioris exſtat obſervatio in ACT. BEROLIN. Dec. I. vol. V. p. 47. De abſceſſu in ſinu maxillari hærente cum tumore genæ & dolore dentium, circa dentem molarem tertium viam ſibi quærente, & erodendo exitum ſibi faciente exſtat obſervatio a D. D. TREWIO in diſſert. SCHULZII de cavitatibus oſſium, eorum vera craſſitudine, uſu & morbis, quam diſputationum anatomicarum ſelectarum volumine IV to inſeruit perilluſt. HALLERUS præceptor quondam meus omni cultu devenerandus: de abſceſſu in iiſdem hæc ſingularia ex DRACKIO Chirurgo Anglo citat in Chirurgia capite de Ozæna CL. HEISTERUS: obſervavit ille DRACKIUS in ſinuum uno vel altero maxillæ ſuperioris latitare putridum ſæpe, & corruptum ichorem, qui e nare tum potiſſimum efflueret, ſi æger caput in ſanum latus inclinet. Cum vero illud cavum ab ichore illo nec evacuari penitus poſſe, neque medicamentis per eam viam, qua aliquid purulentæ materiæ in nares depluit, liberum patere aditum intelligeret, hinc ad ſanandum hoc malum aliam longe viam iniit, & conſilium de ſinu hoc in fundo ſuo perforando, ad expurgandum omne inhærens corruptum, cæpit. Hunc in finem dentem molarem ſecundum extraxit, & alveolum ejus ope inſtrumenti acuti perforavit, quo facto materiei corruptæ liber dabatur effluxus; & ad detergendum mundandumque ulcus congruis medicaminibus per aperturam factam injiciendis concedebatur acceſſus; qua ratione hæc mala, hactenus deſperata, ex voto ſanavit, quemadmodum uberius apud HEISTERUM legere eſt.

## CAPUT III.

INtelligitur ex ſecunda cap. II. allegata morbi hiſtoria, in ſinu maxillari ſiniſtro I. accumulatum ſucceſſive liquidum quoddam fuiſſe, oſſea repagula variis in locis in tumores præternaturales attollens, eademque una in tenues laminas attenuans, quæ preſſioni a digito factæ cederent: *ſecundo* hunc tumorem nunquam doluiſſe, ſed tantummodo dentes molares, ſub hoc tumore locatos, iteratis vicibus, una cum carnoſa earumdem baſi: *tertio* dentem caninum egregie longum, tranſverſe ſitum, & cum radice angulum formantem, cæterum ſanum fuiſſe; extremum vero ejus uſque in cavum maxillæ pertigiſſe, cujus extremitati (quemadmodum in extracto id viſebatur) aliquid carnei atque membranacei adhærebat, poſt cujus evulſionem & ſpecillo liber aditus ſine reſiſtentia uſque in cavum maxillare concedebatur, & materiæ contentæ & medicamini per alteram aperturam injecto, fa-

cilis exitus erat: *Quarto* hanc matronam (quemadmodum ex obſervatione tertia patet) ſimilem quemdam tumorem habuiſſe in mandibula inferiori ſiniſtri lateris huic valde ſimilem, originem autem ſuam trahentem ex tumore cyſtico radici unius duorum evulſorum dentium molarium adhæreſcente; dente autem hoc evulſo intra V. ſeptimanas iterum evaneſcentem. Ex his omnibus colligo, accumulatum atque ſinui inhærens liquidum, oſſa ejus tam mirifice expandens, non poſſe commode deduci ab inflammatione quadam, in tunica mucoſa nata, & in abſceſſum terminata. Ratio hujus rei eſt, quod ægra dolorem nunquam in ſinu hoc ſenſerit, quod factum fuiſſe neceſſe eſt, ſi inflammatio ejuſdem cauſa hujus liquidi fuiſſet. Nec polypus in ſinu hoc nidulans, nec ſarcoma quoddam eidem inhærens, cauſæ os dilatantes fuerunt, quoniam ſpecillum poſt aperturam factam ſinui immiſſum, vel illum, vel hoc utpote polypo durius, facillime detexiſſet. Nec carcinoma potuit eſſe, quoniam omnia requiſita neceſſaria deficiunt: nec exoſtoſis, utpote quæ incrementum craſſitiei oſſis præſupponit, cum in noſtro caſu idem erat attenuatiſſimum. Reſtarent itaque duo adhuc mala in ſinu hoc poſſibilia, ut cauſæ, quæ eumdem ita ampliaverant, obſtructio ſcilicet canalis in narem ſiniſtram excretorii, vel tumor cyſticus. Quamvis vero dicta canalis excretorii obſtructio cauſa tumoris talis in ſinu poſſit eſſe, ſi nimirum liquidum ex ſinu per excretoria in nares tranſmittendum præternaturaliter craſſum atque iners ſit, quemadmodum ſuperius diximus, duæ tamen ſubſunt rationes, quare in noſtra ægrotante hanc obſtructionem ut cauſam tumoris non poſſimus agnoſcere: *prima* eſt, quod liquidum illud ex apertura facta effluens, ne quidem tam craſſum, nec tam tenax fuerit, ut ſolet illud, quod in ſano ſtatu per glandulas hic loci elaboratur, adeoque non poterat craſſitie ſua obturare canalem excretorium. Nec dici poteſt ab alia quadam cauſa excretorium canalem, vel impreſſum aut collapſum fuiſſe, cum omnia requiſita deſint ad hoc credendum. Accedit *ſecundo* quod, ſi obſtructio canalis excretorii cauſa tumoris fuiſſet, humor in hoc ſinu per glandulas ſeparatus, deinceps non per excretorium in nares defluxiſſet, ſed per aperturas ſcalpello, & extractione dentis factas, perpetuo defluxiſſet, per conſequens remanſiſſet fiſtula, nec ſanatio peracta fuiſſet, ſed malum de novo ingruiſſet. Ex perfecta itaque ſanatione, ad hanc horam uſque durante, aperturarum factarum ſine ulla fiſtula, ſine ullo tumoris cujuſdam præternaturalis reſiduo, concludo, nec obſtructionem canalis excretorii hunc tumorem cauſatum fuiſſe. Reſtaret igitur ſolus ſolummodo tumor cyſticus. In omnibus partibus mollibus corporis tumores cyſticos dari poſſe, loquitur experientia, quidni eoſdem etiam reperiri in radicibus dentium, licet in iiſdem nec multum carnoſi, aut glanduloſi poſſit præſumi, ſuperius parentis experientia corroboravimus. Hos vero tumores a tenui principio ſucceſſu temporis in enormem aliquando molem atque extenſionem poſſe excreſcere, & abſque dolore ab ægris diu tolerari, donec a materie tunicam continentem, vel nimis diſtendendo, vel acri facta & erodente, inflammatio & ſuppuratio ſubſequantur, experientia ſimiliter con-

confirmatum habemus. Illud itaque quod in toto corpore fieri poteſt, quod toto die ſolet contingere, & quod in obſervationibus ſupra recenſitis, in radicibus dentium revera factum fuit, illud etiam, vel in noſtro ſinu, vel in uno, aut altero alveolo dentium receptaculo, fieri potuit. Difficile vero erit determinare, utrum cyſticus originariam ſedem in tunica mucoſa Schneideri, & hinc in ſinu maxillari ipſo habuerit, an vero in uno, vel altero alveolo in radice dentis, qui illi infixus. Poſterius priori præferendum eſſe ad credendum, rationem ſufficientem nos habere exiſtimamus. Si enim ſupponimus, tumoris cyſtici ſedem originariam in ipſo ſinu maxillari, eundemque ad eam molem atque craſſitiem excreviſſe, ut oſſa ipſa, modo in obſervatione *ſecunda* dicto, removere a ſe invicem atque attenuare potuiſſet; non tamen poſſumus aſſequi, qua ratione ſeparatio muci, multo minus ſeparati ejuſdem excretio in nares peragi potuerit, ſiquidem tumor ille, utpote tenui tantum membrana circumdatus, omnibus locis ſinus hujus ſeſe applicare undique, per conſequens omnia orificia excretoria glandularum non ſolum, ſed & ipſum ductum in nares excretorium comprimere, atque obturare perfecte debuit; quod poſſibile eſſe, tam præprimis facile quis concederet, ſi in animum revocet vim preſſionis, quæ tanta nimirum debet eſſe, ut etiam duriſſimas partes corporis, oſſeas nimirum, dilatet atque extenuet. Poſito jam poſſibile eſſe in hoc ſtatu, ob bonitatem muci retenti, & ſanam ægri conditionem, nullam inflammationem ſubſecutam fuiſſe; tamen non poſſet concipi, quomodo poſt factam aperturam tam enormiter extenſa membrana tumoris cyſtici contrahere ſe iterum ita potuerit, ut & ſinus & canalis excretorius ad ſuos iterum uſus reſtituti fuerint. Si quis judicet, poſt effluxum contentæ materiæ ex apertura facta, dilatata oſſa ſeſe iterum contraxiſſe, & hac contractione ſua membranam tumoris cyſtici in arctiores anguſtias reduxiſſe, & ita ſinum hunc ad officium ſuum iterum adoptaſſe; ille, antequam ita judicet, cogitabit, membranam tumoris cyſtici per tantum temporis ſpatium valida vi tunicæ appreſſam cum ſe invicem coaleſcere debuiſſe, eo magis, ob inflammationem aliquot dies poſt aperturam hujus tumoris ſubſecutam, quæ omnia in experientia ſufficienter fundata ſunt. Quod ſi quis nihilominus tamen aſſereret, tumoris cyſtici primam ſedem in hoc ſinu fuiſſe, ille ſimul aſſerere deberet, totum hunc ſinum poſt peractam curam priſtinum ſuum uſum penitus perdidiſſe, & ab acri facta materie vel medicamento tali adhibito tunicam mucoſam atque membranam tumoris cyſtici materiem includentem, penitus deſtructam, per conſequens totum hoc cavum mere oſſeum factum fuiſſe. Quoniam vero nec de materia tali acri in hoc caſu, nec de adhibitis ad ſanationem medicamentis acribus fundata ſuſpicio eſt, melius videtur eſſe, tumoris cyſtici ſinum maxillæ adeo dilatantis, originariam ſedem ponere, in radice dentis unius vel alterius, eo magis, cum, quemadmodum demonſtrabimus, omnia, quæ de tam grandi tumore dicta ſunt, hac ratione fieri, & cum nihilominus & ſinus noſtri uſus, atque ſeparatio muci, ejuſdemque excretio durante hoc tumore aliquomodo permanere, & poſt aperturam ejuſ-

dem

dem in ſanum iterum ſtatum redigi, per conſequens aperturæ factæ abſque quadam fiſtula reſidua conſolidari potuerint. Quod ut evidenter demonſtrari poſſit, ut axiomata ponimus *primo*, omnia ea, quæ de tumoribus cyſticis dentium ex domeſtica experientia propoſuimus, veritati congrua eſſe. *Secundo* tumorem illum cyſticum, radici dentis molaris adhærentem, niſi mature evulſus eſſet, naturæ horum tumorum conveniente, certiſſime in incremento ſuo perrexiſſe tamdiu, donec inflammatio ſubſequens, aut ſuppuratio, aut apertura facta, eumdem deſtruxiſſet. *Tertio* fundum alveoli, cujus incola tumor ille erat, æque bene dilatari poſſe, quemadmodum oſſa ſinus maxillaris in noſtra obſervatione ſe dilatari paſſa fuerunt. Si itaque ponatur, tumorem cyſticum in radice unius aut alterius dentis molaris, vel & evulſi dentis canini originem malo noſtro dediſſe, per cujus continuum incrementum alveolus, cui dens cum tumore ſuo cyſtico inhæſerat, coactus cedere, & quidem eo verſus, quo minor eſt reſiſtentia, hoc eſt verſus ſinum maxillæ, quoniam fundus ejuſdem tenuior, quam partes laterales, & radices dentium huic proximorum tam anteriorum, quam poſteriorum, ob arctiſſimam conjunctionem inter ſe, majorem reſiſtentiam pariant, conſequitur a materie, in tumore cyſtico ſucceſſive accumulata, alveolum in fundo ſuo, aut cedere; aut frangi debuiſſe, & dilatatum a dente & tumore cyſtico alveolum, cavum maxillæ occupaſſe, & durante hoc incremento tumoris cyſtici etiam oſſea repagula ſinus maxillæ, ubi partes ejus ſunt tenuiſſimæ, dilataſſe, unde tumor ille tam notabilis, & in ſenſus incurrens, quemadmodum eumdem deſcripſimus, exortus fuit. Quod vero hac ratione, ſinus maxillæ non tam perfecte undiquaque adimpleri ita potuerit, ut omnis ſeparatio muci hinc impedita fuerit, quemadmodum diximus, id futurum, ſi tumor cyſticus originariam ſedem in tunica mucoſa ſinus nactus fuiſſet, ita licet concipere, tumor cyſticus alveolo incluſus, & increſcens tenuiſſimas partes magis e loco ſuo removit plus reſiſtentes, vel plane non, vel minus, unde inæqualis extenſio in ſinu maxillæ etiam oborta, ex cujus inæqualitate variæ minores cavitates obortæ, in quibus ſeparatio muci potuit fieri, atque excretio in nares perdurare, quam excretionem perennaſſe concludimus, quod nec inflammatio ſupervenerit in hoc ſtatu, nec poſt aperturam factam fiſtula remanſerit.

Poſtquam itaque probabile eſſe docuimus, originarium malum, unde maxillæ tam enormis dilatatio exorta, fuiſſe tumorem cyſticum radici dentis unius vel alterius adhærentem, reſtat, ut & hanc quæſtionem decidamus, quinam nimirum præciſe dens ille fuerit, cui tumor ille accretus, cum ipſe in ſenſus non ceciderit. Facilis erit ad hæc reſponſio, ſi animum advertamus *primo* ad conditionem dentis evulſi: *ſecundo* ad id, quod extractioni ejus ſucceſſit. Quod ad conditionem dentis, ille erat admodum longus, 2do tranſverſe admodum alveolo infixus, 3*tio* formabat aliquot lineas ab extremo ſuo angulum, cujus extremitas carne & fibris obducta erat. Quoad *ſecundum*, eductum dentem excipiebat apertura uſque in cavum maxillæ penetrans, per

quam

quam materies in cavo collecta defluebat, & specillo usque ad fundum ejus aditus patebat. Ex hac communicatione dentis cum cavo maxillæ immediata deducimus, illum dentem, ita descriptum & extractum, esse illum, cujus extremo tumor cysticus adhæsit, adeoque eumdem ansam dedisse præternaturali constitutioni sinus ipsius. Ne aliquid huc pertinens omittatur, attendimus præterea ad sequelas, quæ obortæ fuissent, nisi medela modo superius dicto maturius adhibita fuisset. Supra jam dictum fuit, quod materies in sinuum uno vel altero diu inclusa, nec exitum inveniens, mediante inflammatione, & eam sequente suppuratione eumdem sibi procuret, id quod etiam successu temporis futurum fuisse in nostra ægrotante dubitamus. Loca illa omnia, quæ intropremi ab adhibita quadam vi se patiebantur supra recensita, erant apta levi data ansa, ut, diffracta, contentæ materiei exitum concederent. Ille tamen locus præcipue hoc factum fuisset expertus, prout nos sentimus, qui versus nares protuberabat, quoniam vi introprementi minus resistebat, & suprema pars hujus tumoris rubicundum jam colorem induerat, & a muco eumdem jugiter alluente emollitus fuerat. Quod vero si factum fuisset, nec materies in sinu contenta, libere defluxisset, neque apta medicamenta per aperturam hanc fundo sinus applicari, per consequens nec abstergi, & sanari potuisset, sed necessario fistula remanere, & si ista fœtentem materiem dedisset, ipsa Ozæna excludi debuisset. Si quis vero concederet, a tumore cystico modo dictum malum, quod passa fuerat matrona, exclusum fuisse; quærere tamen jure posset, quid cum tunica illa tumoris cystici factum fuerit? Utpote cum extra omne dubium sit, tumorem ejusmodi, ubicumque locorum hæreat, nunquam solide tolli & sanari, nisi membrana ejusdem e medio penitus sublata fuerit. Id ita esse non negamus, quin id factum fuisse in nostra ægrotante lubenter concedimus. Quomodo vero id factum fuerit, facile concipere licet, si consideremus, hanc tunicam eo tempore, quo apertura facta, ob enormem extensionem ejusdem ex parvo principio ortam, necessario debuisse esse tenuissimam, dein ea, quæ aperturam factam secuta sunt, ut inflammationem, suppurationem, & in usum vocata medicamenta perpendamus, in proclive est judicare, tam tenuem membranam ratione dicta in materiem dissolutam, & sic e medio sublatam fuisse.

Si cum iis, quæ modo attulimus ad illustrationem casus in observatione *secunda* propositi, conferamus observationem *VItam*, & eam in studioso quæ ordine *quarta* est, inveniemus magnam inter se convenientiam, & ob eventum utrobique eumdem judicamus, tumorem cysticum in radice dentis hærentem causam mali & in his casibus fuisse.

Ex hactenus dictis elucescit, in quo proprie consistat vera Ozæna. In ejus descriptione authores abeunt in diversa; vel & aliena admiscent, quæ eo proprie non pertinent, ita ut huc referant omne id, quod fœtorem per nares spargere potis est. v. gr. Ulcera venerea, in naribus sedem habentia, fœtoris insignis, præprimis si ossa ipsa inde infecta fuerint; vel si cancrosus ichor sedem in naribus habuerit, qui abominabilis fœtoris sensus semper de-

prehenditur. Verum ſi hæc mala, ob fœtorem hunc, ad Ozænam referenda ſint, non video, cur non eodem jure fœtor ille huc trahendus ſit, quem de ſe ſpargit tenax atque incraſſatus mucus, vel ſinuum noſtrorum, vel membranæ mucoſæ narium in hominibus calidi temperamenti in cruſtam coriaceam lenteſcens, quæ diu adhæreſcit, & cum tempore incipit putreſcere, & fœtorem de ſe ſpargere ægro & adſtanti intolerabilem: vel &, ſi quis fœtidum ulcus in pulmone gerat, exſpirando ſimilem odorem exhibens: vel &, ſi corrupti carioſi dentes per nares & os eumdem fœtorem ſpirent. Sed hac ratione ad Ozænam referuntur proprie ſic dictam, quæ eo non referenda erant. Dum enim per Ozænam intelligimus ulcus, quod quibuſdam continuo adhæret, a juventute aliquando uſque ad ſeniles annos, præcipue ſi vera ſedes hujus mali abſcondita lateat, ægro interim alias ſatis recte valente, niſi quod aliquando hæmorragiæ narium obnoxius fiat (quod vel a luxuriante carne in ſinu mali ſede, vel a materie acri, vaſa erodente, oriri poteſt): in iis, qui venereis ulceribus narium laborant, fœtor ceſſet, quamprimum malo per interna remedia medela facta; cancer ob rabiem ſuam cum jactura vitæ ſponte ſua brevi ceſſet; in illis quibus a muco indurato atque putreſcente ingratus odor, eo præſente adſit, & abſente evaneſcat, &c; hinc ego quidem videre non poſſum, cur non potiori jure affirmandum ſit, quod Ozæna nihil aliud ſit, quam ulcus in uno vel altero ſinuum, vel oſſis frontis, vel maxillæ ſuperioris ſedem habens, & curatio Ozænæ in eo conſiſtat, ut ſinus maxillæ ſuperioris aperiantur, antequam ulcus ſponte ſua in nares exitum ſibi faciat, vel ſi id jam factum ea medela adhibenda ſit, quam primus propoſuit DRAKE, quemadmodum ex HEISTERI Chirurgia docuimus.

Præter ſinus, de quibus egimus, in cranio reperiuntur adhuc alii, noſtris ſimiles, adeoque malis, de quibus hactenus egimus, non minus obnoxii; quorum tamen mentio ideo facta non fuit, partim quoniam ita abſconduntur, ut Chirurgo acceſſus denegatus ſit, partim quoniam ex eo, quod de noſtris ſinubus dictum, quantum circumſtantiæ patiuntur, facilis applicatio ad reliquos fieri poteſt.

FINIS.

EXPLI-

*Conſtructio inſtrumenti apparet ex Lit. A. B. C. D. E. F. ad applicationem jam parati, partes autem per analyſim appoſitam ita cognoſcuntur:*

A. Trabis inferioris longitudo præeminens tendit ad curvaturam C, in forma roſtri corvini, cujus pars interna convexa, & externa parum concava eſſe debet.

B. Format trabem alterum quodammodo breviorem, qui eadem ratione cum anſa per E. ad A. conjungibili, & curvatura in D. terminante inſtructus eſt, percurrens eamdem lineam uſque ad locum contactus in D, qui cum C. parilem faciem licet minorem & abbreviatam habet.

in B. Indicatur ſpatium, quod relictum eſt pro curſu operculi mobilis F. F. clavum helicatum in ſua axe habentis, qui in F. inferiore clauditur, & terminatur per vaginam: ſolum autem operculum propellitur ex circumgyratione in E. facta, quæ in anſa duplici intus helicata vim motricem exercet. Vagina E. operculum F. reſpiciens eadem ratione firmiter clauſa eſt, ut jacet F. in parte ſua infima, dum maximopere requiritur ſtabilitas ex nullo motu alterabilis.

C. Extremitas trabis majoris & longioris figuram ſpati Chirurgici imitatur, quod in facie anteriore convexum pro receptione cavi interni lit. D. genam diductam ambientis, in exteriore vero leniter concavum eſt pro ſpatio in ore a diductione genæ facta quodammodo ampliando, ut itaque extremitas C. latus internum genæ abducit, ſic illa D. deductam genam cum toto apparatu, qui in E. & F. efficax eſt ſuo motu particulari, firmiter tenet, & circumvoluto linteo utriſque extremitatibus forte conducibili arctius ſolito comprimit.

D. Extremitas trabis B. ſe vel ſociat, vel recedit, prout diductio malæ facta vel facienda eſt, & in C. locum contactus, vel punctum fixum & firmum, format

E. Manubrium cochleæ & ejus extremum in vagina helicata incluſum a parte anteriore & poſteriore per anſas binas horizontaliter gyrationes producens, vim motricem exercet in operculo protrudendo ad majorem conjunctionem D. in loco contactus C. ut eo melius gena prehendi, & extrorſum diduci poſſit.

F. Operculum feneſtrati trabis minoris B. mobile clavum utroſque trabes penetrantem in ſuo centro habet, qui ex loco ſuperiore ad inferiorem F. terminatur, & quietus ſequitur operculi motum progreſſivum ex E. orientem, quando nempe circumgyratio helicis feneſtram B. magis vel minus tam acceſſum vel diſceſſum D. ad C. in gena compreſſa diſponere ſolet.

Not. Proportio hujus novi inſtrumenti convenit in ſua delineatione cum natura inventi, ut nullus de modo applicandi ſat commodo, & pro diductione genæ in quemcumque locum a dentibus diſtantem, deſideranda dubitare unquam, & auctoris laudem ſatis poſſit deprædicare præſes, cui deſcriptio hæc optime placuit.

DIS-




*Disp Chirurg. Tom I. RUNGE DE MORBIS PRÆCIPUIS &c.*
*pag. 228.*



XII.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE FISTULA LACHRIMALI,

*Quam pro Doctoratu*

Consequendo defendet

JO. CASPARUS SCHOBINGERUS

*SANGALLO HELVETUS*

Basileæ 31 August. 1730.

§. I.

A *Egilops*, ſive *fiſtula lacrymalis* eſt purulenta ſolutio continui in ſacco ejuſdem nominis, pus fundens pro admiſta varia lacrymarum quantitate, copia & conſiſtentia diverſum, modo per alterutrum, plerumque autem per inferius punctum lacrymale, aliquando etiam in narium cavum ejuſdem lateris ſponte, ut plurimum tamen preſſo prius ſacco effuſum. Quæ quidem fit quandoque ſine tumore, rubore, ulcere, callo cutis, carie oſſium ſubjacentium aliaque vicinarum partium noxa; quandoque vero ex modo dictis quædam, ſubinde cuncta ſimul eam concomitantur. Hæc medicamentis vel operatione chirurgica plerumque curari poteſt, ſed pro concurſu ſymptomatum facilius difficiliuſve.

§. II.

Ex data brevi morbi notione patet, 1°. *natura mali*, quæ eſt diſpoſitio ulceroſa partis affectæ, cum vel abſque memoratis ſymptomatibus Th. 1. 2°. *ſubjectum*, ſive pars affecta, ſaccus nempe lacrymalis læſus, pureque corroſus. 3°. *morbi ſpecies*, quæ a varietate ſymptomatum, variis mali ipſius gradibus, duratione, ægrotantium haud temnenda temperamentorum diverſitate, aliiſque circumſtantiis vel ægrotum vel morbum reſpicientibus peti debent. 4°. *Diſtinctio* ab omni alio morbo; eſt enim purulenta lacrymarum per puncta lacrymalia, vel (quod rariſſime contingit) inferius ſacci orificium in nares hians ejectio, ſive effuſio; differt ergo his characteribus ab *Epiphora*, *lippitudine*, *anchylope*, *ſacci callo* vel *ſimplici obſtructione*, *Ozæna* & *cancro*. 5°. *cauſa*, quæ eſt omne illud, quod hic loci lacrymarum vias obſtruere, ulcus producere, & lacrymas cum pure confundere valet. 6. *Hujus cauſæ effectus*, quam ſequitur purulenta ſacci corroſio, puris & lacrymarum confuſio, harum impeditus ad nares tranſitus, regurgitatio ad ſuperiora, ſtagnatio earumdem in ipſo loco affecto, ab acquiſita hinc paulatim acrimonia vicinarum partium infectio, corroſio, deſtructio, quæque ex modo recenſitis naſci poſſunt incommoda. 7°. Semeiotice, quoad *diagnoſtica* & *prognoſtica*. Emanans ſcil. per aperturas ſacci pus, lacrymæque purulentæ præſens arguunt malum; pus ſi copioſum acreque eſt, ſi affectus diu duraverit, vel a violenta cauſa ortus fuerit, vicinarum partium infectionem, læſionem, difficiliorem hinc curam oſtendit. 8°. *Curatio*, quæ eſt vel medica, vel chirurgica, facilis vel difficilis, vel aliquando omnino impoſſibilis. Quando poſſibilis eſt, indicat detergendum, mundificandum & conſolidandum ulcus eſſe; lacrymarum porro vias obſtructas eſſe reſerandas, vel novas parandas, & liberum lacrymarum iter conſervandum, haud neglectis interea cæteris adjunctis ſymptomatibus, quæ cuncta medicamentis congruis, auxiliiſque chirur-

chirurgicis, pro morbi magnitudine variis præſtanda ſunt juxta illud Ovidianum.

*Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus*
*Enſe reſcindendum, ne pars ſincera trahatur.*

§. III.

Poſtulat materiæ tractandæ ordo ac neceſſitas, ut modo recenſita ſumma capita paulo accuratius pertractemus; naturam mali quod ſpectat, jam ex data morbi deſcriptione deſcriptioniſque explicatione hæc patet. Fiſtula in genere quodvis ſinuoſum calloſumque ulcus a Chirurgis dicitur, idque ab omni Medicinæ ævo ſic vocatum fuit. Sinus ac callus itaque fiſtulæ eſſentiam ſive naturam conſtituunt; quod autem una fiſtula ab alia differat, id a ſitu mali affectæque partis ſublata functione, nec non inde pendentium ſymptomatum indole, habita ſimul adjacentium partium ratione petendum eſt. Lacrymalis autem fiſtula ab alio ſibi ſimili morbo diſcrepat. 1°. ratione loci, obſidet enim oculi canthum majorem, ſedemque ſuam fixam habet in ipſo ſacco lacrymali, utpote parte præcipue affecta. 2°. ratione ſymptomatum §. 2. N°. 6. recenſitorum. 3°. ratione curæ, quod hic maxime proſpiciendum ſit, ut lacrymarum interrupta via, quantum arte fieri poteſt, quam libera expeditaque reddatur, reliqua communia cum quaque fiſtula habet, patet itaque fiſtulæ lacrymalis natura.

§. IV.

Mali ſedes eſt ſaccus lacrymalis, cujus nec non reliquarum ipſi adjacentium partium anatomica diſquiſitio plurimum ad cognoſcendum tractandumve morbum confert. Harum partium ſtructura functioque ſic ſe habent. In utriuſque orbitæ ſuperiore anterioreque parte format apophyſis externa oſſis frontis prope angulum oculi minorem foveam minimi digiti extremum admittentem, in qua glandula ex conglomeratarum genere, lacrymalis vocata, conditur; plurimis ſimplicibus conſtat hæc glandulis in glomerem coactis ac communi membrana cinctis. Harum numeroſi rivuli excretorii invicem conjunguntur, & tandem 6. vel 8. exiles longoſque celluloſam albugineæ ſubſtantiam percurrentes ductus, qui valde conſpicui in bobus, in homine vero vix viſibiles ſunt, conſtituunt; hi in brutis totidem foraminibus ſetæ aditum concedentibus, albugineam pertundunt, ſtillantque perpetuo roridam, pellucidam ac dulcem a minoribus rivulis acceptam lympham lacrymarum nomine cognitam, tum autem maxime, quando oculi globus vario ſuo motu glandulam hanc premit vel movet. Hæc lympha lubricando globo, corneæ glabritiem, pelluciditatemque conſervando maxime inſervit. Solet enim oculus hac deficiente xerophtalmia corripi; quando vero acris eſt, vel nimis abundans hygrophtalmia aut epiphora oritur; ſpiſſitudine peccans obſtruit

truit vias mox deſcribendas; qualicumque autem modo illa vitiata ſit, oculus cornea obfuſcata non acute cernit, difficulter ac cum aliquali dolore movetur, nec lucis radios patienter fert. Glandula hæc lacrymalis ſanguinem arterioſum à carotidis internæ ramo per foramen nervi optici in orbitam tendente multoſque in ſurculos diviſo accipit, venoſumque poſt ſecretionem revehunt venæ ad ſinum ophthalmicum. Nervos impertiunt ſurculi ophthalmicorum Williſii, qui quintæ conjugationis primi rami ſoboles ſunt.

## §. V.

Oculus limpido inſipidoque hoc rore continuo ita irrigatur, ut ſuperfluæ in genas caderent lacrymæ, niſi provida natura partes hic conſtituiſſet, quæ has colligerent, ac per proprias admiratione dignas vias ſingulari mechaniſmo tandem ad narium utramque cavitatem mitterent, quod ita contingit: connectitur albuginea ſive conjunctiva tunica partim oculo ea in parte, qua cornea pellucida ſe ſcleroticæ jungit, partim utriuſque palpebræ interiori limbo. Ita globus oculi mediante hac tunica laxe palpebris adhæret, hinc in toto ambitu cavum quoddam recipiendis ſtillantibus lacrymis inſerviens formatur. Dum oculus ſe movet, affricatur globus palpebris, & hoc ſubtiliſſimo glutine lubricatur, iterumque proin colliguntur lacrymæ, quæ clauſis palpebris verſus oculi canthum majorem, ope muſculi conſtrictoris palpebrarum, ac ipſorum tarſorum artificioſa conformatione pelluntur; nam ſuperior hæc cartilago inferiori latior ſimulque tenuior eſt, ac invicem clauſo oculo ſic adaptantur, ut ſulcum ſive ſemicanalem naſum verſus hiantem lacrymarum curſum dirigentem, efficiant. Tarſi ſibi invicem nectuntur ope quorumdam ligamentorum; nexus hujus duo ſunt loci, quorum ille, qui naſum reſpicit major canthus, ille qui tempora, minor canthus vocatur. Tarſorum interiora extrema non attingunt oculi canthum majorem, ſed aliquot lineis ab ipſo ſemota valde attenuantur, formantque duplicis epiphyſeos quaſi ſpeciem, quæ recipiunt duos exiles ductus lacrymales ſuis orificiis, ubi tarſi deſinunt, oculum verſus hiantes, ex his adunatis alveus ſive ſinus ac tandem ipſe ſaccus lacrymalis, oſſeo canali incluſus, formantur. Sed antequam harum partium anatomicam deſcriptionem ſuſcipiam, notandum adhuc eſt, in majori oculi cantho glandulam ſive caruncula m reperiri. Quid illa ſit non adeo inter anatomicos conſtat, nam a nonnullis zootomia deceptis pro vera glandula, ab aliis pro caruncula lacrymas abſorbente, a pleriſque autem pro corpore, cujus præcipuus uſus ſit, ad lacrymas verſus modo dicta orificia pellendas habetur. Experientia hoc ſaltem docet in diabroſi oculum continue lacrymas fundere, id etiam contingit, dum hæc pars alio morbo infeſtatur, vel quando noverca natura illam quibuſdam hominibus denegavit, quod tamen rariſſimum eſt. Scatet dicta caruncula plurimis exiguis, conſpicuis tamen corpuſculis ſphæricis, glanduloſis illis, quæ Meybomius in interioribus palpebrarum lim-

bis detexit, ſimillimis; ſi comprimatur, conſimilem, craſſum ſebaceumque humorem vermiculorum in morem exeuntem reddunt, nec alio modo ab illis differunt niſi ſitu, quoniam Meybomianæ glandulæ ſuos ductus excretorios in ipſa tarſorum interna ſuperficie quaſi inſculptos habent. Nonnunquam pilos quoſdam in caruncula hac reperi, quod mirum mihi videbatur, quoniam horum eo loci non tantum nullus videtur uſus, ſed e contrario, ſi copioſi adeſſent, ſummam moleſtiam creare poſſent. Præter hanc carunculam oculatiſſimus anatomicus Morgagni valvulam quamdam, quam ſemilunarem vocat, detexit, quæ aliud nihil eſt niſi quædam duplicatura membranæ conjunctivæ dirigendis quoque lacrymis verſus dictas aperturas inſerviens. Valde conſpicua eſt illa in avibus, quibus alium ſimul præſtat uſum, oculum nempe, cum rapidiſſimo motu in aëria ſpatia feruntur, obvolvit tegitque.

## §. VI.

Puncta lacrymalia ductuum ejuſdem nominis ſunt orificia ad marginem palpebrarum eo præciſe loco, ubi cartilagines tarſi finiuntur, ſita; manifeſto gaudent motu conſtrictorio dilatatoriove, hinc nonnulli his partibus ſphincteres, quorum ope hos motus peragi dicunt, tribuunt, hoſque aliquando paralyticos fieri ſtatuit Woolhouſius. Nonnunquam a varioloſa puſtula, a nimis vicino hordeolo, a lapillis, a lupia, & ab aliis propinquis tumoribus, inverſaque palpebra varie afficiuntur, ac in illorum functione perturbantur; ſetis, liquoribus injectis ipſiſque lacrymis jam explicato mechaniſmo huc determinatis aditum facile, modo nullum recenſitorum ſimptomatum obſtet, concedunt. Hæc autem orificia in duos exiles canales, ductuum lacrymalium nomine inſignitos definunt, ſuntque ejuſdem ac ſaccus lacrymalis ſubſtantiæ; ſuperior oblique ad palpebrarum muſculi conſtrictoris tendinem vergit, inferior horizontali ſitu ſub eodem tendine ſe ſuperiori jungit, ibidemque ambo ſacci lacrymalis ampliorem, ſuperioremque partem, a Gallis *la poche du ſac lacrymal* dictam, conſtituunt; arctior anguſtiorque factus ſaccus, dum canali naſali includitur, demum inter laminam ſpongioſam narium inferiorem & apophyſin oſſis maxillaris naſalem paulo amplior factus, ac calami ſcriptorii roſtrum haud male referens, terminatur. Forti lubricaque conſtat deſcriptus ſaccus membrana, quam duplicem, ac quoad ſtructuram membranæ Schneiderianæ haud diſſimilem eſſe, in publicis lectionibus ſtatuit vir in anatome exercitatiſſimus Dom. Duverney horti regii pariſienſis, anatomiæ ac chirurgiæ profeſſor meritiſſimus. Interior ſacci hujus lamella juxta citatum virum multis glandulis lubricum humorem ſecernentibus referta eſt. Saccus idem circa exteriorem ac anteriorem partem proprio exiguo muſculo circa os planum orto fibris ſuis ſupra dictam ſacci partem ſeſe extendente gaudet, quem ſtrenuus anatomicus ac chirug. D. Duverney horti regii pariſienſis, anatomiæ & chirugiæ operatoriæ demonſtrator publicus, modo dicti viri celeberrimi patruelis,

truelis, dilectiſſimus præceptor meus primum invenit, & mihi pluries in variis ſubjectis demonſtravit. Ex data hac partium ſtructura & fonctione luculenter patet, pulſas ad aperta oſtia ductuum lacrymalium lacrymas iiſdem adminiculis in exiles hoſce ductus ferri, indeque proprio illarum motu per declive iter tandem ad utrumque narium cavum delabi.

Hanc lacrymarum protruſionem, impulſionem, ulteriorem progreſſum juvant. 1°. Muſculi orbicularis contractio. 2°. Palpebrarum frequentes motus. 3°. Alterna oſculorum patentium conſtrictio & dilatatio. 4°. Ductuum propria elaſticitas, ſitus & directio. 5°. Tendo muſculi orbicularis ſacci ampliorem ſuperioremve partem premendo lacrymas ſua tenſione ulterius protrudens. 6°. Similis actio muſculi proprii ſacco lacrymali inſerti nondum ab authoribus deſcripti. 7°. Declivis ſacci ſitus. 8°. Via a nullo ambiente corpore impedita, proprioque oſſeo canali defenſa, libera ſummeque declivis.

## §. VII.

Sed ipſius palpebrarum muſculi conſtrictoris, nec non canalis naſalis ſtructura examen quoque meretur. Conſtat prior plurimis ſemicircularibus fibris, ab una ad alteram palpebrarum commiſſuram tendentibus, in totidem ibi tendines finitis, hinc in totidem muſculos dividi pro cujuſque lubitu poſſet. Singulæ enim palpebræ, quarum quatuor ſunt, ſuum habent muſculum conſtrictorem, horum tendines circa palpebrarum utraſque commiſſuras concurrunt, hacque ratione juncti ambo muſculi palpebrarum conſtrictorem muſculum conſtituunt, cujus officium ex ipſo nomine patet. Vidi ſectas has tendineas fibras orbicularis muſculi nullo ſubſequente damno, modo palpebrarum commiſſura ſalva integraque exſtiterit, cum tamen omnes ophtalmojatri, operatoreſve moneant, tyronibuſque ſuis inculcent, hanc partem in ipſa operatione fiſtulæ haud diſſecandam eſſe. Altera deſcribenda pars canalis naſalis nomine inſignitur; is vero partim ex tenuiſſimo oſſe pellucido, os unguis propterea vocato, partim maxillari ſolidiore oſſe, duplici tabula cum interpoſita diploë gaudente componitur; duobus hiſce oſſibus conſtructus canalis tegit aliquam partem cavitatis narium, utraque oſſa ſpongioſa, oſſiſque ethmoidis quaſdam cellulas. Initium canalis patulum ac in figuram cochlearem ſulcatum, prope os planum ſitum, ſacci lachrymalis ampliorem ſuperioremque partem recipit, (*a*) pergit deinde forma canalis perpendicularis, ac inter laminam ſpongioſam inferiorem, & oſſis maxillaris proceſſum in cavernam naſi protenſum terminatur.



(*a*) Cutis ſubjectuſque ſaccus lachrymalis hic loci corrupto oſſe unguis pertunduntur; locus hicce apprime conſiderandus eſt, nam imperiti operatores aliquando oſſis unguis vice os planum ipſamque ſic orbitam ignari perforant, ut hoc mihi aliiſque chirurgicarum encheireſium tyronibus, dum in noſodochio pariſienſi exercitii gratia fiſtulæ operationem in cadaveribus inſtituebamus, contigit.

§. VIII.

Vaſorum ad recenſitas partes vitalem laticem vehentium, atque vice verſa ab ipſis revehentium decurſum & conjunctionem ut deſcribamus, ſupereſt, quia hæc cognitio quoque neceſſaria eſt, ut probat Cl. Hild. cent. V. obſ. XVIII. qui refert hiſtoriam ægri cujuſdam, cui imperite aliquod horum vaſorum ſectum cum fuiſſet, viſum miſer amiſit. Primi generis vaſa arterioſa ſunt ſoboles quarti rami carotidis externæ, qui ramus nomen ſuum mutat pro locorum diverſitate. Tria percurrit ſpatia & totidem nomina quoque obtinet, ab initio maxillaris, medio itinere, h. e. circa oculi canthum majorem angularis, ac circa finem frontalis vocatur. Pars media, de qua hic tractamus ſupra apophyſin naſalem oſſis maxillaris ſita verſus oculi angulum majorem tendit, ibidemque in aliquos ramuſculos diviſa ſurculum in orbitam mittit, qui ſacco lacrymali, carunculæque ejuſdem nominis, ut & conjunctivæ membranæ propagines impertit, ac poſtea anaſtomoſi cum ramulis arterioſis ab interna carotide ad oculum diſtributis conjungitur, ſicque vitalis liquor carotidis utriuſque invicem commiſcetur: reliqui rami muſculo orbiculari, ſuperciliorum corrugatori, frontalibus muſculis, ipſique cuti implantantur. Venarum autem extremitates concurrunt in ramuſculos, ex his in ramos, tandemque in truncum confluunt, in cantho interno ſitum, quem venam angularem vocant, qui acceptum cruorem venæ jugulari externæ pluribus aliis ramis conjunctus infundit. Ordo autem diſtributionis, iter & mutatio nominis fere in omnibus ſe habent, ut de arterioſis vaſis antea dictum eſt; hoc ſaltem notandum, mirum eſſe circa has variantis naturæ luſum, non eſſe eamdem in omnibus ſubjectis harum diſtributionem; cæterum animadverti debet quoſdam venarum harum ramos ad orbitæ fundum pergere, ibidemque cum aliis venis conjungi, hicque concurſu ſuo alveum ſive ſinum formare, qui duræ matri inſertus ſinus ophtalmicus vocatur. Nervos dictæ modo partes ab ophtalmico Williſii, nec non ſuperiori maxillaris ramo accipiunt.

§. IX.

Quas hactenus in ſtatu ſano anatomice phyſiceque vidimus perpendimuſque partes, eaſdem tandem in morboſo ſtatu conſiderabimus, quatenus notitia hæc ad fiſtulæ lacrymalis diagnoſin & curam neceſſaria eſt. Nam & hæc conſideratio præmittenda eſt; plura enim vitia morbida occurrunt. 1°. Laxata, obſtructa, inflammata glandula lachrymalis. 2°. Lachrymarum varia vitia; abundans vel deficiens quantitas, diverſa earumdem acrimonia, lentorque varius. 3°. Tumida, dolens, irritata, inflammata membrana conjunctiva. 4°. Palpebræ ſimiliter affectæ, ulceratæ, paralyticæ, inverſæ aut male figuratæ. 5°. Meibomianæ glandulæ obſtructæ, inflammatæ, tumentes, ſchirrhoſæque factæ, ſi circa lacrymalium punctorum orificia

orificia ſitæ ſunt. 6°. Tarſorum inverſio, luxurians caro quæ palpebram hujuſque tarſum invertit, vitiata figura tarſi, hujus & palpebrarum vulnera. 7°. Carunculæ lachrymalis, valvulæque ſemilunaris varia vitia, exeſa aut prorſus deficiens aut in nimiam molem diſtenta, hujuſque nec non dictæ valvulæ ulcera morbique varii. 8°. Oſculorum ductuum lachrymalium, ipſorumque ductuum diverſi morbi; horum ſpincteris paralyſis, canalium coalitio, punctorum & ductuum obſtructio ac ulceratio varioloſis infantibus admodum frequens. 9°. Sacci lachrymalis amplioris ſuperioriſque partis dilatatio peculiarem hic quaſi mentiens herniam, harum partium ut & ſacci ipſius compreſſio, obſtructio, dilatatio, vulnera, inflammatio, ulceratio, calloſitas. Si diverſis hiſce morbis adjungimus tumores, vulnera & ulcera, quæ externas internaſque vicinas partes infeſtant, ſi cariem oſſium, polypos narium, ſanguinis vitioſam διάθεσιν, tam cacochymicam quam veneream & ſcorbuticam, ſcrophuloſam, cancroſam &c. addis, nec non prægreſſos morbos, ut rheuma capitis, febres exanthematicas, epiphoram, lippitudinem, anchylopem, ozænam, &c. Morbi noſtri cauſæ tam proximæ quam antecedentes & remotiores patebunt, innoteſcet enim id omne quod lachrymarum liberum iter impedire, ſaccum obſtruere ſeu ulcerare valet, fiſtulam lachrymalem producere poſſe. Nec ignorabimus omnes recenſitos morbos ſuum hic, licet diſpari ratione, ſymbolum conferre. Quamvis enim ipſam fiſtulam non excitent, epiphoram tamen producere poſſunt. Ex epiphora autem, præſertim ſi lachrymæ acres ſint, variæ circa oculi angulum majorem obſtructiones, inflammationes & ulcerationes oriri ſolent, quos morbos aliquando ſacci lachrymalis ulceratio ac ipſa fiſtula ſequitur. Fiſtulæ lachrymalis itaque naturam conſtituunt ſacci lachrymalis ſinuoſum calloſumque ulcus, nec non lachrymarum purulentarum per ſuperiora regurgitatio, quæ morbi hujus inſeparabilis comes eſt, niſi per cutim ulcere eroſam profluat, ubi igitur hæc duo ſymptomata aderunt, ille morbus vera fiſtula lacrymalis erit; a ſimplici lacrymarum per alterutrum punctum lachrymale vel alium locum, effuſione ideo diſtinguenda, quia prior caſus ab artis peritis ſimplex ſacci obſtructio, poſterior vero oculus lachrymans vocatur. Ulceratio ſacci lachrymalis itaque fiſtulæ lachrymalis cauſa proxima eſt. Collectum vero in affecta parte pus, accumulatæque hic acriores lacrymæ cauſam materialem hujus morbi conſtituunt: quod autem hæc duo ſimptomata producit, erit cauſa efficiens. Hæc, quia morbum cauſamque proximam ſemper præcedit, a quibuſdam antecedens, ab aliis vero remotior vocatur; ad hanc poſteriorem claſſem plerique, ſi non omnes recenſiti morbi, nec non perverſus 6. rerum non naturalium uſus ſpectant. Sic affecta pars fiſtulæque lachrimalis cauſæ omnes patent.

§. X.

Hæ cauſæ diverſiſſimæ, cum majore minoreve vi moraque in ſubjectum agunt, diverſas quoque producent fiſtularum ſpecies. Hinc fiſtula lachrymalis recens eſt morbus vel inveteratus, occultus vel manifeſtus, ſimplex vel cum aliis morbis complicatus, perfectus vel imperfectus, benignus vel malignus, ſanabilis vel inſanabilis. Tot igitur differentiis totidem reſurgunt fiſtularum ſpecies. Omnium ſimpliciſſima exiſtit illa, quæ recens a levi cauſa orta, leviſſima ſacci obſtructio & ulceratio eſt, ubi nullus fere tumor, nulla cutis rubedo, nulla præſens anchylops, caries nulla, ac os unguis adhuc integrum eſt. Quo magis autem ab his conditionibus recedit fiſtula lachrymalis, eo difficilior erit morbus. Priorem dilucidæ magis diſtinctionis gratia cœcam, vel haud prominentem, *fiſtule plate & borgne*, vocant. Sequitur hanc altera ſpecies, quam fere ſemper præcedit anchylops, in hac circa oculi angulum majorem tumor aliquando in ulcus deſinens apparet, indicat hæc majorem ſtagnantium lachrymarum acrimoniam, quæ tamen cutim nondum corroſit, nec os acri putredine ſua infecit. Hæc progreſſu temporis in tertiam ſpeciem degenerat, veræ fiſtulæ characteres præ ſe ferentem, quod ex cutis livore, exiguo apparente foramine, ſpecillo aditum ad ipſum ſaccum naſalem, os unguis, imo etiam ad ipſam aliquando narium cavitatem concedente conſtat. Dum ita conſtituta eſt, fiſtula perfecta vocatur. Si quædam lues vel alius morbus fiſtulæ lachrymali ſe aſſociat, retinet hæc peculiaris illius morbi nomen, hinc venerea, ſcorbutica, ſcrophuloſa &c. vocatur, prout hæc vel illa ſanguinis intemperies ad hujus morbi productionem anſam præbet. Fiſtulæ lachrymalis morbus affinis alius, ubi nempe preſſo tumore nullum pus, ſed limpidæ ſaltem lachrymæ per alterutrum punctum lachrymale exeunt, ab Anello ſereniſſ. Ducis Sabaudiæ matris ophthalmojatro ſacci lacrymalis hydrops nominatur. Huic haud multum diſſimilis morbus, quem ſacci lachrymalis herniam vocat citatus Anellus, ſacci hujus ſummæ partis gallico nomine, *la poche du ſac lachrymal* inſignitæ ſumma eſt dilatatio, quæ cum vel ſine hujus partis ulceratione quoque contingit. Reliquæ fiſtulæ lachrymalis ſpecies, quas brevitatis ſtudio omiſi, petendæ ſunt 1°. *Ab ipſius mali facie, naturave diverſa*, 2°. *a diverſis cauſis*. 3°. *ab adjunctis ſimptomatibus*. 4°. *a morbis intemperiei*. Vidi enim fiſtulas lacrymales, quæ ophthalmiam, quæ epiphoram, quæ ectropium, quæ anchylopem, ozœnam, faciei eryſipelas, palpebrarum fiſtulam, quæ hordeolum, lupiam quæque amauroſin comites habebant. 5°. *Ab ipſo durationis tempore*. 6°. *Tandem a morbi felici vel ſiniſtro eventu*. Hæ ſunt præcipuæ, quas hactenus novi fiſtularum lacrymalium differentiæ.

§. XI.

## §. XI.

Si nunc, quæ fusius de fistula lacrymali affectaque parte hactenus diximus, iisdem morbis, cum quibus aliquando confundi solet, comparabimus, patebit fistulam lacrymalem, cum sit sacci lacrymalis sinuosum callosumque ulcus, cujus præcipuum symptoma purulentarum lacrymarum per puncta lacrymalia regurgitatio, hisce characteribus a similibus morbis differre. Distinguitur enim 1°. *Ab epiphora* sive *oculo lcarymante*, quod hæc sit relaxatæ, irritatæ & inflammatæ gandulæ lacrymalis vitium, lachrymis limpidis supra genas cadentibus nullo circa angulum majorem apparente tumore, nullaque cum lacrymarum, dum oculi canthus major digiti apice premitur, regurgitatione combinatum. 2°. *A lippitudine* sive glandularum meibomianarum inflammatarum ulceratarumve morbo, ubi lacrymæ, harum organa secretoria, viæque se secundum naturæ leges habent. 3°. *Ab anchylope*, quæ cutis circa oculi majorem canthum tumor inflammatorius fistulæ lacrymalis plerumque prodromus vel comes est. Nam si hæc inflammatio simplex est, non regurgitant lacrymæ, dum locus affectus premitur. Hoc autem si contingit ac lacrymæ purulentæ profluunt, jam fistulæ lacrymalis nomen meretur. 4°. *A sacci simplici obstructione.* Hic morbus tumorem ejusdem cum cute coloris suscitat, qui pressus viscidas, sed limpidas, non autem purulentas lacrymas per alterutrum punctum lacrymale effundit. Simplex ergo sacci dilatatio, obstructiove immerito pro fistula lacrymali habetur tractaturque. 5°. *A sacci lacrymalis callo, ductuum lacrymalium, horumque orificiorum morbis.* Prior specillo, suaque duritie se manifestat, hinc, si nulla simul præsens sacci lacrymalis ulceratio, vel purulentarum lachrymarum regurgitatio adsit, fistulæ lacrymalis nomen obtinere non potest. Posteriores autem solo intuitu cognoscuntur, & a dicta fistula facile distinguuntur. 6°. *Ab ozæna*, quoniam hæc est sordidum, mali moris odorisve, membranæ Schneiderianæ ulcus, neque saccum lacrymalem, nisi eadem labe affectus sit, respicit. 7°. *A Cancro*, qui durus, dolens, malignus tactuique resistens cutis anguli oculi majoris tumor est, pressus, nunquam lacrymas reddit, ac a quacumque causa irritante gravissimis suis symptomatibus crudelissime sævit, aliquando per plures annos, si intactus relinquitur, eodem manet in statu, sed levissimo applicato remedio sæpe subito in ingentem molem crescit, sanguinemque fundit, ac demum ulceratus nullam amplius medelam accipit.

## §. XII.

Quid fistula lacrymalis sit, ubinam sedem suam figat, quæ partis affectæ sit structura functioque, quomodo hæc pars, ac quibus de causis, afficiatur, fistulæ lacrymalis diversas species, ac quibus characteribus ab

aliis

aliis ſimilibus morbis diſtinguatur, jam declaravi. Nunc autem hujus fiſtulæ nec non ejus cauſarum in ſubjectum cognitum agentium effectus indagandi examinandique ſunt, ex his enim non difficile erit morbi quem tractamus diagnoſin, prognoſin, ac quæ curam ipſam attinent, depromere. Hos nunc effectus eo ordine, quo ſibi mutuo ſuccedunt, unus alterumque ſequi ſolet recenſebo, hinc quos §. 2. num. 6°. jam recenſui, hic iterum repetere illorum ſeries me cogit. Sunt autem hi effectus ſacci lacrymalis ulterior dilatatio, obſtructio, inflammatio, corroſio; puris & lacrymarum confuſio; poſteriorum impeditus ad nares tranſitus, regurgitatio ad ſuperiora, ſtagnatio harum in ipſo loco affecto, ab acquiſita hinc acrimonia cutis & palpebrarum circa angulum oculi majorem inflammatio, tumor, rubor, abſceſſus, ulcus, calloſitas; carunculæ lacrymalis, membranæ conjunctivæ inflammatio, rubor, tumor, dolor, ardoriſque ſenſus. Lacrymarum ſordidarum ſupra genas defluxio, harum acrimonia cutim excorians, frequentes anchylopes, abſceſſus, eryſipelata & ulcera, oſſis unguis, cellularum oſſis ethmoidis, oſſis maxillaris & ſpongioſorum narium corroſio carieſque. Membranæ Schneiderianæ inflammatio ulceratioque; viſus aliqualis hebetudo, oculi debilitas, ac quæ ex recenſitis oriri poſſunt mala. Quædam horum ſymptomatum rariſſime, quædam ſemper apparent, ſolent tamen in vera ac perfecta fiſtula, præſertim ſi inveterata eſt, recenſitorum ſymptomatum pleraque adeſſe. Hæc poſteriora cum in omni ſubjecto fiſtula lacrymali laborante ſemper adſint, hujus morbi ſigna διαγνόστικα conſtituunt. Cuncta hæc ſymptomata ſunt effectus ſuarum cauſarum; ac plerumque a ſpiſſis vel acribus lacrymis, varioloſa puſtula, ulcere circa patentia oſtia, ductuum lacrymalium, ſacci lacrymalis diſpoſitiōne inflammatoria, hujuſce obſtructione ulcerationeve oriuntur. Aliæ quoque §. 9. jam recenſitæ cauſæ aliquando hos affectus producere poſſunt.

## §. XIII.

Ubi itaque quædam, vel pleræque §. 9°. & 12°. enarratarum cauſarum canalem naſalem obſtruxerunt, vel ulceraverunt, in omnibus hoc morbo laborantibus ſubjectis ab initio exiguus inter oculum naſumque tumor apparet ejuſdem ac cutis coloris, planus, qui doloris expers eſt, ac prementi digito parum cedit. Hic morbus, ſi ſimplex ſacci lacrymalis obſtructio eſt, lentas, viſcidas glutinis inſtar tenaces lacrymas, dum premitur per alterutrum punctum lacrymale eructat. Si vero ſaccus lacrymalis jam ulceratus, ulcuſque fiſtuloſum factum eſt, non tenaces, nec limpidas amplius, ſed turbidas ac purulentas preſſus tumor per patens punctum lacrymale inferius evomit lacrymas: hæ, ſi valde acres corroſivæque ſunt, cutim, ſaccum lacrymalem ac ſubjacentia oſſa corrodunt, dum lividi plumbeique coloris cutis exiguo foramine ſimul pertuſa eſt. In quod, ſi ſpecillum admittitur, perceptus ſonus aſperitaſque, vel ſi patula ad

nares

nares via, aut ulcus cutis ſinuoſum calloſumque eſt, os unguis, vel aliud vicinum os carioſum detegunt; quando autem hæc nondum animadvertuntur, cutis vero frequenter inflammatur, ac frequentes anchylopes obſervantur, tum ſimplex ſacci obſtructio in veram fiſtulam, quam oſſium caries ſequi ſolet, degenerat, ac ſenſim, quæ modo deſcripſi, ſigna apparebunt. Tandem per Anellianum puncto lacrymali inferiori adaptatum ſiphonem liquor in ſaccum lacrymalem injectus nos docet, an libere tranſeat ad narium cavitatem, ac æger: dum hoc fit, aliqualem titillationem in naribus percipiat, quibus in caſibus liberum eſſe hunc ſaccum apparet. Si autem dictus liquor immutatus per ſuperius punctum lacrymale cum levi titillatione redit, ſimplicem ſacci lacrymalis obſtructionem hunc morbum eſſe oſtendit; ſi vero, dum ſaccus injicitur, nulla titillatio perſentitur, liquorque injectus una cum majore minoreve puris copia, non per nares, ſed per ſuperius punctum lacrymale exit, atque poſt abſolutam hanc encheireſin preſſus tumor eadem fluida per punctum lacrymale inferius ejiciat, hic morbus vera & perfecta fiſtula lacrymalis eſt. Ex datis omnibus hiſce ſignis diſtincta, vera, & nunquam fallax, certa hinc fiſtulæ lacrymalis διάγνωσις habetur.

Pleraque horum ſignorum illa, quæ a practicis pathognomonica vocantur, conſtituunt, ac præſentem vel futurum morbum, hujus initium, progreſſum, ſtatum, naturam, gradus ſpecieſque quam luculenter oſtendunt. Silentio prætereo cætera ſigna diagnoſtica, quia illorum in præcedentibus theſibus mentio locupes facta eſt.

## §. XIV.

Ex iiſdem fontibus, a quibus fiſtulæ lacrymalis diagnoſin hauſimus, prognoſis quoque petenda eſt. Variant inter ſe morbi pro varia illorum natura, cauſis, accidentibus, temporibus, ſubjectorum idioſyncraſia, affectæ partis ſtructura & functione. Harum rerum conſideratu digniſſimarum diſcrimen univerſæ prognoſeos quaſi cardo ac fundamentum eſt, cui tota futuros morborum eventus præſagiendi ſcientia innititur. Solet hæc medicinæ pars medico, ſi illam probe callet, ſummo honori, ægrotantibus autem haud exiguo emolumento eſſe, hinc minime in praxi negligenda eſt. Scire itaque noſtra refert, quid de fiſtulæ lachrymalis exitu in genere ſperandum vel metuendum ſit, dein cujuſque fiſtulæ exitus in ſpecie conſiderandum ſe ſe præbet. Quod fiſtularum prognoſin in genere ſpectat, ſcimus nullam perfectam fiſtulam lachrymalem ſibi relictam naturæ ope & beneficio medelam accipere; nam talis vel in eodem ſtatu manet per integram ægri vitam, vel in pejus malum degenerat. Nonniſi rariſſime necem infert. Unicum ſed grave hujus rei exemplum noſodochium pariſienſe mihi exhibuit; & hoc quoque in caſu ſiniſtre potius peractæ operationi, quam ipſius morbi vi rara hæc mortis cauſa erat adſcribenda. Hinc pe-

riculo quidem vacat hic morbus, non vero insigni molestia. Perfecta fistula lachrymalis rarissime solis medicamentis, aliquando levioribus auxiliis chirurgicis, plerumque tamen ipsa operatione tollitur. Cura hæc est perfecta vel imperfecta, facilis vel difficilis, brevis vel longa, cum aliquo vel nullo post se relicto incommodo. Si per peritum ophtalmojatrum tractatur fistula, hæc fere semper intra 6. vel 8. septimanas ita perfecte curatur, ut nullum præteriti morbi vestigium, nullum prorsus incommodum, nulla palindrome vel recidiva metui debeant. Et hæc quidem est generalis fistulæ lachrymalis prognosis.

## §. XV.

Specialis autem singularum harum fistularum prognosis ex sequentibus patebit. Simplex sacci dilatatio facilius quam ejus obstructio curatur. Hujus iterum expeditior leviorque cura est quam ipsius fistulæ. Hæc quoque si a levi causa oritur, simplicique sacci ulceratione constat, atque nullis gravioribus stipatur symptomatibus, citius medelam admittit, quam illa, quæ a gravissimis violentisque causis, aut prægressis vel præsentibus morbis gravioribus, originem suam trahit, vel ubi os maxillare superius carie corrosum, aliudve vehemens symptoma istius fistulæ comes est. Recentium fistularum in corpore euchymo cura iterum expeditior est & facilior, quam illarum fistularum, quas contraria omnia comitantur.

Caries ossis maxillaris ut plurimum a labe venerea, scorbutica vel alia producitur, hinc pertinax, solitamque sanandi methodum respuens morbus est, nec adeo frequenter accidit. Unicum inter multos alios fistula lachrymali laborantes ægros vidi. Erat hic præfectus invalidorum sic dictorum militum martis venerisque castra pari strenuitate secutus, qui tandem furtivi amoris turpidissimas dedit pœnas. Nam ozœnam summe fœtentem, ossis maxillaris tam superioris quam inferioris nec non ossium palati cariem cum variis hinc inde in facie propullantibus pustulis, ipsamque demum fistulam lacrymalem passus, per biennium & ultra misere decubuit, ac tandem facta, post adhibita antivenerea omnium carioforum ossium exfoliatione, amissis ex parte naso, palato, nec non ipsius faciei parte aliqua, a fistula & reliquis symptomatibus liberatus est. Aliam memoratu dignam hujusce morbi historiam suppeditavit, videndique ansam mihi præbuit vir clariss. Stehelinus, almæ hujus universitatis Professor Physices meritissimus, hospes & præceptor meus semper colendus, in muliere rustica duplici fistula sinistri oculi laborante, quarum una saccum lacrymalem, altera vero palpebræ inferioris ejusdem oculi angulum minorem obsidet; ambæ pressæ fundunt copiosum album mediæ consistentiæ pus, quod etiam per nares, dum hæ emunguntur, exit, adest simul maxillæ inferioris quædam immobilitas, nam ægra os non omnino aperire potest, vi autem diductis ope ligni crassiusculi a se invicem maxillis, oreque sic aliquatenus

patente,

patente, universam fere palati superficiem ulceribus cancrosis plurimis refertam esse vidimus, confertiores sunt in parte sinistra quam in dextra: apparuit quoque in extremitate buccæ sinistræ tumor albus qui cum premitur, pus quoque fundit. Gena sinistra affecta non sine dolore tangi potest, flaccida simul, lurida ac quasi contusa est. Musculi qui ossi zygomatico, ossibusque maxillæ tam inferioris quam superioris incumbunt & inseruntur, sc. musculi faciei, masseter, pterygoideus externus & internus acri salsa pituita imbuti ac inde immobiles facti functionem suam amiserunt. Annoso jam, cum ægram invisebam, existente morbo ab ulceratione oris incepisse referebat eadem, morbum, qua neglecta a chirurgo quodam vicino plurimas sibi ex palato carunculas tandem cultro extractas fuisse, ipsumque præter purgantia nihil adhibuisse. Aliud exemplum fistulæ lachrymalis scrophulosæ, ubi os maxillare quoque cariosum fuit, refert spectatiss. Præceptor meus D. St. Yves in eleganti tractatu de oculorum morbis. Hujusmodi fistulæ, quia ossis maxillaris cariosi exfoliatio longum tempus requirit, magni moliminis cura est, neque semper ex voto succedit, ut id tristi patuit exemplo quorumdam ægrorum, quibus ad hanc cariem destruendam cauterium actuale fuit applicatum, qui hac ipsa operatione sinistre, per dexterrimos licet viros, administrata, usu oculi affecti privati fuerunt. Quæ igitur fistula ab hujusmodi quadam labe vel a polypo narium aut ozœna oritur, difficillime, ac nonnisi post curatos hosce morbos antecedentes sanatur. Pertinax quoque neque semper perfecta cura est harum fistularum, quando lacrymarum, glandulæ lacrymalis, palpebrarum, vel ductuum lacrymalium vitia quædam adsunt, quia curatæ oculum lacrymantem, nisi id curantis industria præcavetur, post se relinquere solent. Pessimæ autem indolis cancrosa fistula est, atrocem hanc fistulam, si unquam contingit, sibi relinquendam esse, hujus morbi unicus observator Riverius optime monet. Si post peractam operationem sinus aut festuca aut caries quædam cellularum, ossis ethmoidis vel ossium spongiosorum, narium, aut ulcus quoddam membranæ Schneiderianæ saccique nasalis relinquitur, solent hi morbi recidivam inferre. Omnes nunc, quantum memini ægilopis eventus generales specialesque recensui; de aliis in prognosi necessario notandis, quæ hic omisimus, dabitur nobis ansa in ipsa morbi cura, quæ jam nobis recensenda est, differendi.

## §. XVI.

Absolutis iis rebus, quæ fistulæ lacrymalis theoriam spectant, ad mali hujus curam me verto. Hæc, ut in §. 2. N°. 8. præfatus sum, est vel medica, vel chirurgica, facilis vel difficilis &c. Cæteroquin pro fistulæ vario statu, natura, causis, harum effectibus, accidentibus, durationis tempore, mali ipsius gradibus, nec non ægrorum idiosyncrasia differt. Ut mille sunt mali species, sic mille quoque salutis erant. Quando igitur fis-

tula lacrymalis in ſuis adhuc incunabulis latet, dum hic morbus levis ſacci lacrymalis obſtructio vel ulceratio eſt, curatur 1°. Infuſo foliorum veronicæ, quo tepido oculus ſæpiſſime irrigatur. Mirum eſt quam efficax ſit ſimplex hoc medicaminis genus. 2°. Apti liquidi in ſaccum lacrymalem injectione mediante ſiphone Anelliano debito modo & ſæpe facta. Injiciendi encheireſis hæc eſt. Ægri in ſella ſedentis caput paululum elevatur, dum ad ægri latus ſiniſtrum ſtans chirurgus ſiniſtro brachio ſi dexter, dextro autem ſi ſiniſter oculus affectus ſit, ægrotantis occiput ſuſtentat, ſimulque pollice ejuſdem manus palpebram inferiorem paululum deprimit, altera vero manu indice in annulum, quo ſiphonis embolus armatur, immiſſo, pollice & medio digito ſiphonem apprehendit, ac perpendiculari fere directione ſiphonis tubulum patenti hac arte ductus lachrymalis inferioris orificio dextere inſerit, poſtea ſiphonem paulo inclinat, directione perpendiculari in horizontalem mutata, ſic levi emboli annuli preſſione per immiſſum digitum indicem facta, liquorem contentum artificioſe per ductum lachrymalem inferiorem in ipſum ſaccum lacrymalem propellit, his peractis ſiphonem iterum ab oculo dextere removet, ac injectum in ſaccum liquorem, qui ipſo injectionis momento per punctum lacrymale ſuperius, vel per inferius ſacci in nares hians orificium non rediit, levi digiti indicis ſupra tumorem facta preſſione expellit. Saccus lacrymalis ter quaterve ſic alternatim dicto liquore implendus & evacuandus eſt, quod ſingulis diebus ad minimum ſemel peragi debet, ut optatum injectionis ſcopum attingat chirurgus. Quod ipſum ſpectat liquorem injiciendum, quivis ophthalmojater peculiarem habet; nos autem in omnibus ſubjectis non eodem liquore utendum eſſe cenſemus, quia hic pro vario ſacci lacrymalis morboſo ſtatu, varius quoque eſſe debet. Aliquando ſimplex quædam aqua ophthalmica exigua quantitate camphoræ imbuta, ſubinde aqua calcis, quandoque vero alius liquor corroborandi, detergendi, conſolidandique vi pollens, profuit. 3°. Specilli Anelliani per punctum lacrymale ſuperius ad ſaccum lacrymalem introductione. Hæc eſt decantata illa Anelliana fiſtulas curandi methodus, qua ſereniſſimi regis Sardiniæ defunctam matrem fiſtula lacrymali laborantem curavit. Methodi hujus inventionem clariſſ. Stahlius ac citatus Anellus ambo ſibi adſcribunt. Magnam ſuæ famæ celebritatem hac methodo Anellus per italiam galliamque adeptus eſt, frequenterque adhibita eſt primis inventionis temporibus, ſed cum ſuis incommodis haud careat, nec in omnibus ſubjectis inſtitui poſſit, nec abſque ſumma induſtria dexteritateque adminiſtratur, hodie fere oblivioni tradita eſt.

Sic volvenda ætas, commutat tempora rerum.
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore
Porro aliud ſuccedit, & contemptibus exit. Lucret. L. V.

§. XVII.

## §. XVII.

Altera incipientis ægilopis ſpecies ſacci lacrymalis dilatatio eſt. Hæc quoque curantium torſit ingenia. Varia excogitarunt inſtrumenta pleraque vana & nociva, quibus affectum locum comprimere ſummopere ſtudebant, ſed per plures annos ſic preſſus ſaccus lacrymalis morbum aliter non mutavit, niſi quod e ſimplici ſacci obſtructione hac methodo morbus in perfectam fiſtulam degenerare ſoleat. Alia igitur hujus morbi cura inſtituenda eſt; hæc abſolvitur. 1°. Infuſi foliorum veronicæ uſu. 2°. Liquoris cujuſdam corroborantis leviterque adſtringentis diligenti injectione. 3°. Sedulo tumorem apice digiti premendo. 4°. Applicatis ſimul externe medicamentis corroborantibus dilatatas partes, ſi his auxiliis malum non cedit, in veram fiſtulam degenerare ſolet, ac ut talis tractandum eſt. Simili prorſus methodo ſacci lacrymalis herniæ, hydropique medetur.

## §. XVIII.

Quando autem præcedentium uſus curantis ægrique ſpem eluſit, ac morbus in perfectam fiſtulam jam mutatus eſt, operatio chirurgica ultimum opitulantis decumbentiſque refugium erit. Nemo vero hanc aggrediatur niſi perſpectis prius morbi cauſis, natura, ſymptomatibus & ægri conſtitutione; nam horum debita conſideratio operationem præcedere & comitari debet. Famæ ſuæ prudenter conſulens ophthalmojater earum fiſtularum, quæ ſuapte natura inſanabiles ſunt, vel quæ ſanatæ graviores morbos pariunt, magni hippocratis moniti memor curam non ſuſcipit.

Si itaque ſimul vitium quoddam glandulæ lacrymalis adeſt, vel lacrymæ ſpiſſæ aut acres ſunt, ſi denique alius quidam morbus ut rheuma capitis, faciei eryſipelas, ophtalmia, palpebrarum inflammatio, tumor, &c. fiſtulæ ſe conjungit, vel ægrotantis corpus cacochymicum eſt, unicuique harum circumſtantiarum debitis medicamentis externis interniſque pro rei exigentia adminiſtratis ante inſtituendam operationem proſpiciendum eſt, horum & reliquorum ægilopem concomitantium morborum curam hic lubens traderem, ſi anguſti diſſertationis cancelli propoſituſque ſcopus id permitterent, hos itaque ut curatos vel cognitos ſuppono, ac ſolummodo in præſens quæ ad ipſam operationem ſpectant, deſcribam. Ubi igitur nullum ſymptoma, inſtitui fiſtulæ lacrymalis operationem prohibet vel differe cogit, corpuſque ægri bene conſtitutum eſt, neglectis contra vulgi opinionem univerſalibus remediis hic minime neceſſariis, operatio ſequenti modo peragitur. Sedentis ægri caput ſellæ dorſo incumbens paululum elevatur, ac comprehenſa circa oculi angulum majorem cutis leviter tenſa, (eadem ratione, quemadmodum in Phebotomia fieri ſolet) una cum ſacco lacrymali, inflicto per lanceolam obliquo vulnere, a palpebris verſus muſ-

culi orbicularis tendinem vergente, pertunditur, hoc vulnus immisso spongiæ compressæ frustulo dilatatur, primoque die super imposito emplastro spermatis ranarum vel alio conveniente munitur, & in alterum diem relinquitur: quo hocce apparatu remoto, vulneris & subjacentis ossis unguis statum chirurgus specillo & injectione iterum explorat; num adsit ossis unguis caries vel saccus lacrymalis vulnere læsus sit. Postea ægro chirurgoque in eumdem situm, quo injectio instituitur, collocatis, chirurgus una manu ægri caput sustentat, altera autem specillo fortiori, vel instrumento quodam tricuspidali a Gallis *Troicart* vocato, os unguis caute perforat, quod artificium in eo consistit, ut 1°. cognoscat locum, quem os unguis occupat, ne imprudenter os planum prioris loco pertundat, vel instrumentum ossis maxillaris apophysi nasali frustra impingat; quia hocce os ita facile perforari non potest, prior vero casus non vacaret periculo. 2°. ut obliquo ductu instrumentum perforans ita dirigat, ne ossa spongiosa vel aliæ partes narium lædantur, ex quibus gravis morbus oriri posset. Debet autem instrumentum ita dirigi, ut ejus apex perforato osse unguis inter utramque laminam spongiosam nasi medium locum obtineat. Hisce cautelis adhibitis ægri nares cohibet chirurgus, ægrumque spiritum ducere jubet, sic per vulneris aperturam aër, sanguis & pus si egrediantur, docent, an rite instituta sit operatio an secus? Quando hisce signis constat liberam esse ad narium cavitatem viam, hanc pro virili conservare studet operator, immisso hinc in vulnus frustulo ligneo cuneiformi factam aperturam parum dilatat, ac imposito emplastro vulnus hoc ipso die operationis in statu sibi relinquit, sequentibus diebus idem per turundas ex linteo cera imbuto factas præstare conatur, quas tertio quoque die mutat, sensimque crassiores adhibet, dein eadem proportione tenuioribus paulatim iterum utitur. Crassissima calami scriptorii crassitiem refert, ab hac æquali proportione distant turundæ, quæ primis vel ultimis curæ temporibus adhibentur; his mediantibus turundis libera novaque paratur lacrymis via, ossium corruptæ partes nullo adhibito igne, quem æger valde abhorret, quique sæpe gravia damna producit, sponte secedunt, fitque ipsa opitulante natura optima ulceris sacci lacrymalis detersio, mundificatio & consolidatio, modo chirurgus sua peritia hanc juvat. Dum asperitates omnes, ossiumque occurrentes festucas, hoc ipso curationis tempore destruit vel aufert; sinus si quidam adsit, forfice aperit, membranæ Schneiderianæ ipsiusque sacci lacrymalis ulcera lapidis infernalis repetita circa curæ finem applicatione consolidat. Quoties vulnus deligatur, toties æger cohibitis naribus, nisuque retento hic loci acre, stagnans pus expellat, chirurgus autem novam turundam non nisi oleo prius inunctam in hiatum efformatum intrudat, ac supradictum emplastrum imponat. His caute & feliciter peractis tandem turunda abstinet, vulnerisque consolidatio solo emplastro promovetur, quæ intra paucos dies absolvitur. Sic pleræque fistulæ lacrymales intra 6, vel 8. septimanas optime plerumque curantur. Ægi-

lopes

lopes quæ ob adjunctam malignitatem incurabiles ſunt, palliativam quamdam curam admittunt juxta verſiculorum ſequentium præcepta.

Requiem tamen indere morbo
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem.

## §. XIX.

Scopus itaque hujus operationis triplex eſt. 1°. Sinus omnes, oſſium caries qualiſcumque, nec non occurrentes feſtucæ deſtrui vel eximi debent. 2°. Sanandum eſt ulcus ſacci lacrymalis. 3°. Solita lacrymarum via, quia obſtructa vel potius ex parte deſtructa eſt, obliterari hujuſque vice nova parari debet. Hæc nova via inter utramque laminam ſpongioſam narium ſuum locum habet, æque libera ac veteri multo brevior eſt, hinc non ita facile obſtruitur, nec, ablatis ſemel, quæ aufferenda ſunt, ullus denuo recidivæ metus ſupereſt. Hæc omnia an ex voto ſint peracta, repetitæ circa curæ finem ac poſt curatum morbum injectiones congrui liquidi oſtendunt. Dum hoc in narium cavitatem penetrat. Sed alium ſimul ſcopum prudens operator aſſequi ſtudebit; nempe quomodo præſentibus vel poſt curatum morbum relictis quibuſdam ſymptomatibus opem ferat. Hiſce ſymptomatibus occurritur, ſi quodvis ſuo debito modo tractatur. Concomitantia ſymptomata varia eſſe poſſunt, quorum recenſio nimis prolixa foret. De præcipuis ſaltem ſequentia monenda eſſe exiſtimavi. Nempe ſi quædam inflammatio oculi vel faciei eryſipelas ab ipſa operatione ortum eſt, ei demulcentibus aliiſve antiphlogiſticis remediis medelam affert, interim neque novam turundam immittit, ſed intruſam immutatam relinquit, quia tali irritatione malum augeretur, tepida potius aqua vel decoctum radicum altheæ, quæ duo remedia egregia hoc in caſu ſunt, in uſum vocentur. Ubi acris copioſaque fit humorum ad affectam partem defluxio, quæque contingit, vel ante vel poſt operationem, in illo caſu prius curanda eſt, in hoc vero ſibi peculiarem methodum medendi requirit. Si os maxillare ſimul carioſum eſt quod tamen rariſſime contingit, ipſius caries quocumque modo tamen prudentiſſime deſtruatur. Fiſtulæ lacrymalis curam plerumque ſequitur partium affectarum debilitas, ex qua epiphora oritur, quæ tamen confortante aliquo collyrio, quo glandulæ lacrymalis, oculi & ſacci lacrymalis laxatæ debilitatæque fibræ iterum corroborantur, plerumque facile curatur.

## §. XX.

Simplex hæc, tuta, vix unquam fallax ſpectatiſſimi Præceptoris mei Dom. St. Yves fiſtulas curandi methodus omnibus aliis hactenus uſitatis ideo præferenda eſt; quia juxta Celſi præceptum cito, tuto & jucunde juvat, quod ipſum antequam finem huic diſſertationi imponam demonſtrare ſatagam.

Hoc

Hoc tamen quia absque comparatione accurata cum aliis hactenus usitatis & a viris etiam celeberrimis commendatis methodis fieri haud potest, tanto magis a me rogandi sunt viri laudati, ne quæ a me veritatis amore proferentur, tanquam invidiosa, vel tanquam studio famæ detrectandi ipsorum prolata accipiant. Ægilops aut nascens aut adultus est morbus. In nascente malo plerique chirurgorum præcinente ipsis Dione spleniis minoribus triangularibus comprimentibus utuntur, quidam vero instrumenta comprimentia adhibent, omnes partem affectam comprimere student, in hoc autem negotio læsam partem contundunt, offendunt, irritant, sic varia incommoda ipsimet procreant. Anellus specillo argenteo obstructas lacrymarum vias expeditas reddere conatur. Wolhousius vero affluentes humores a morbosa parte ad alias allicere setaceo tentat. Prior aliquando dicta methodo leve malum licet non absque labore industriaque curavit; quandoque vanam eamdem esse expertus est. Posterior vero hujusmodi irritantibus remediis cruciatus doloresque ægris excitavit, dum parum interea vel nihil proficeret. Citatus Wolhousius blepharotomiam sive oculi scarificationem commendat, sed quæso, quid hæc, nisi perniciosas oculi inflammationes producere potest. De Wolhusiana itaque methodo idem quod vir quidam celeberrimus de insitione variolarum sensit, judico:

*Dum scis tua arte sanis producere morbum*
*Felix semper eris, si illum quoque tollere possis.*

Cuivis itaque consideranti, quæ §. 16. & 17. de præceptoris mei methodo dixi, patebit illam modo memoratis esse anteferendam. Eadem prorsus ratione claret, modum, quo experientissimus vir St. Yves adultum malum tractat, palmam quoque præ cæteris usitatis modis mereri. Ægilopem enim non ut veteres & plerique moderni jubent, igne, violentissimo rerum omnium destructore aggreditur, nec superfluo & damnoso medicamentorum instrumentorumque molesto apparatu ægris terrorem metumque injicit; blandius illos, licet non absque omni dolore curat, optatumque scopum eo facilius attingit, quo minus ejus ægri vexantur. Quid pomposa illa deligatio? Quid moliminis plenaque complicatorum linteorum impositio? Quid fasciarum mira, ridicula tamen circumvolutio prosunt? Ægris non solum molestiam, sed aliquando ipsam cæcitatem afferunt; docuit me hoc hortulanus quidam parisiensis, qui hujusmodi deligationibus incurabili amaurosi correptus est. Quam horrenda sunt ignita instrumenta vel solo aspectu? Ut de summis doloribus, quibus ægri sic excruciantur, nihil referam, etiam ex iis, qui eosdem fortiter pertulerunt, fuerunt, qui misere visum amisere. Wolhusiana cannula plumbea naribus intrudenda, ibidemque relinquenda quid boni præstabit? Ab illabentibus perpetuo liquoribus æruginosa fit ac sensim corrodetur, vel ad fauces ac ipsum stomachum cadet, cæteroquin quas tanget partes iis callum inducit. Hæc sunt commoda can-

cannulæ Wolhusianæ! Qui ultimo tandem operatione ægilopis peracta unctuosis medicamentis partium affectarum ulcus detergere consolidareque student, hi calore partium liquefacta unguenta ad nauseabundas fauces & stomachum mittunt, hacque ratione ægris molestissimum fastidium pariunt. Liquet igitur propositam a me ægilopem curandi methodum cæteris omnibus memoratis esse in tantum antehabendam, quod cunctis recensitis incommodis careat, dum interea simul cito, tuto & jucunde æger a malo liberatur.

Hæc sunt, benevole lector, quæ speciminis loco de lacrymali fistula proponere volui, æquo tuo judicio submittens, ut experientia & ratione duce dijudices, num proposito scopo satisfecerim, vel si mavis satisfacere studuerim? In eo autem facile haud discrepabis, si ad circumspectæ experientiæ tribunal thematis pertractationem examinaveris, me & præceptoribus viris clarissimis usum, qui medendi viam optimam perscrutati candide philiatris tradere solent, meque eorum monita presse secutum, & diligenter sententias explorasse, ut salutaria ægris consilia aliquando præbere queam; si quæ fortasse desideres quoad styli nitorem, largiar non difficulter, me potius intentum fuisse, ut clare animi cogitata exponerem, de elaboratione styli non adeo itaque sollicitum; si quæ occurrunt vel prætervisa a me aut minus diligenter recensita, conatus meos ut benevolo interpreteris animo, obtestor, primi sunt impetus juveniles.

FINIS.

DIS-

XIII.

# DISSERTATIO EPISTOLICA

*AD CLARISS.*

# HEISTERUM;

*DE*

# SINGULARI TUNICARUM UTRIUSQUE OCULI EXPANSIONE.

*AUTORE*

PET. CHRISTOPH. BURGMANNO.

Roſtochii anno 1729.

# VIR CELEBERRIME.

## *FAUTOR PLURIMUM COLENDE.*

SApienter non minus quam ſolide romanus ille noſtri ævi medicus, qui ſi quis alius de genuina veterum medicina reſtauranda maxime fuit ſollicitus, cel. *Georg. Baglivius*, neceſſitatem obſervandi ſalutaris artis ſtudioſis diligenter commendaturus, *Pr. L. I. C.* 2. pronuntiat : *Obſervationes eſſe caput artis medicæ, omneque, quod ineſt certi medicinæ, obſervationibus magna ex parte deberi.* Ita enim experientia non minus, quam ipſa medicinæ indoles nos ſentire atque exiſtimare jubent. Sive enim, quoad longiſſime mens humana ultima vetuſtatis tempora reſpicere poteſt, medicinæ primordia ſcrutemur, ſive nobiliſſimi hujus ſtudii incrementa atque ad noſtram uſque ætatem progreſſus perveſtigemus atque obſervemus, manifeſto deprehendimus, obſervationes utramque medicinæ paginam abſolvere, obſervationibus eam ſuos debere natales, illarumque beneficio in dies ſenſim creviſſe, atque ad præſens tandem, quoad jam attigit, faſtigium aſcendiſſe. Non equidem nullum hic ratio ſibi vindicat locum, quippe quæ ad artis noſtræ incrementa haud exiguum contulit, eamque ob cauſam jure cum *cel. Frid. Hoffmanno* præſes univerſæ medicinæ habenda, ut erudite demonſtravit, in *diſſ. de ratione præſide univerſæ medicinæ Hal.* 1713. *edita;* cum experientiæ & obſervationis genuina directrix exiſtat atque clavis. Peſſime vero ſe procul dubio alioſque traducerent, tanti eamdem qui facerent, ut poſthabitis obſervationibus, ad rationem plurima referre, eamdemque obſervationibus anteponere vellent. Certum enim eſt atque exploratum, nihili faciendam eſſe rationem in medicina, obſervationibus idoneis non munitam, nec magis audiendam quam vocem hodegi, oculis quidem inſtructi, ſed viæ, quam præire aut commonſtrare debebat, ignari. Nihil hinc ſolemnius iis eſt, qui obſervationibus neglectis aut rejectis, præclaris, ut ſibi blandiuntur, ingenii ſui ratiociniis indulgent, quam ut nubem pro Junone amplectantur, & non niſi lepida commenta & inania figmenta producant in lucem. Melius ſibi proſpiciunt, qui rationem obſervationibus inſtruunt, & has veluti normam ſibi præfigunt, a qua deflectendum non ſit; *cum obſervatio filum ſit, ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia*, uti præclare loquitur modo laudatus *Baglivius c. l.* Eſt hinc etiam, quod celeberrimi artis noſtræ ſalutaris antiſtites, nil magis ad amplificandum medicinæ ſtudium comparatum eſſe, nunquam non crediderint; quam ſi phænomenorum, præſertim in humano corpore occurrentium obſervatio ſedulo inſtituatur, inſtitutaque litteris accurate conſignetur & cum aliis communicetur, nulla utrumque perficiendi occaſione temere prætermiſſa. Societates varias in diverſis Europæ regnis conſtitutas,

& has inter præcipue, quæ germaniam noſtram ornat, academiam cæſaream leopoldino-carolinam naturæ curioſorum hunc ſibi propoſuiſſe finem, notius eſt, quam ut a me indicari debeat. Monet id etiam magnopere *illuſtr. Frid. Hoffmannus in diſſ. de fundamentis veræ pathologiæ*, quando §. IV. inquit: *nos ſpe alimur firmiſſima, ſi medici diligenter omnia, quæ circa morborum generationem decurſum & curationes contingere ſolent, annotarent, & obſervata invicem conferrent, brevi futurum, ut ars noſtra ad majus certitudinis faſtigium, non ſolum in prædicendis & avertendis morbis, ſed iiſdem dextre ſanandis, totoque eorum decurſu prædicendo, perveniat.* Neque vero in uno alteroque ſubſiſtendum phænomeno, aut quotidianis, qui in corpore humano ſubinde conſpiciuntur, caſibus unice inhærendum eſt, ſed quam maxime in ſubſidium vocari debent, quæ raritate ſua ſeſe commendant, & non omni die ſe nobis offerunt. Ineſſe enim iis aliquid poteſt, quod vel partium corporis noſtri functionem uſumque plenius manifeſtet, vel ſtatum illarum præternaturalem planius indicet, vel ad notabilem quamdam circumſtantiam, in morborum curatione penitius eruendam, faciat, vel varia alia ratione uſum in theoria aut praxi medica præſtet. Quare tantum abeſt, ut rariora inutilia vel medicorum opera indigna cenſenda ſint, ut his potius ſolerter ſit inhærendum. Ope enim illorum detegi aliquando poſſunt, quibus ſubminiſtrandis vulgaria & communia non ſufficiunt. Nec raritas impedire poteſt, ut juſtum iiſdem ſtatuatur pretium. Ex uſu enim omnia ſunt æſtimanda, qui cum in rarioribus, quam quotidianis phœnomenis, major interdum eſſe poſſit, nil dignitatis per eam rarioribus decedere poteſt. Quis enim, ut unum alterumque tantum in medium proferam, lippitudinem cryſtalliferam a cel. quondam viro *Be. Jo. Ern. Schapero academiæ noſtræ & univerſæ rei litterariæ inſigni olim ornamento*, in peculiari *diſſert. Epiſtolica Ao.* 1704. expoſitam, vel lippitudinem mucaginoſam ab *Arnoldo Bootio* in *obſ. med. de affectibus omiſſis*, *pag.* 23. deſcriptam, omni attenta conſideratione indignas judicaret, propterea quod non quolibet obveniunt die. Quis diſtorſionem colli a modo citato *Bootio d. l. p.* 14. propoſitam floccipenderet, quamvis teſte *cel. Henr. Meibomio*, in *præfamine* hiſce obſervationibus præmiſſo, non temere in praxi occurrat, & vix ab hiſtoriarum medicarum ſcriptoribus, niſi a *Platero & chirurgo Gratianopolitano* apud *Riverium* annotata, & ab ipſo cl. *Meibomio* bis tantum obſervata ſit. Nemo certe, niſi præjudiciis abreptus, hoc unquam ſerio aſſeruit, cum utilitas harum obſervationum evidentiſſima deprehendatur atque in ipſa praxi luculenter ſeſe prodat. Infrequentia ejuſmodi phænomenorum medicos itaque monere debet, ut, ſi quandocumque in humano corpore animadvertuntur, eo majori attentione conſiderent, atque eo accuratius annotent, cum iſtorum & luculenta cognitio & genuina applicatio maximam partem etiamnum deſiderentur. Diſſimulari equidem nequit, allegari non nulla ex iis, quæ rarius obſervantur, poſſe, quæ ad artis noſtræ uſum atque exercitium vel immediate

dirigi

dirigi non poſſunt, vel ſaltem ad iſtud nil facere videntur, univerſa tamen eorum utilitas hoc ipſo non expirat, nec ideo prorſus ſterilia atque inania ea ſunt reputanda. Etenim ſi vel maxime praxi non inſerviant, ad ulterius tamen illuſtrandam explicandam atque confirmandam veritatem theoriæ medicæ vel quadantenus jam perſpectam adhiberi poſſunt. Atque hanc ſolam ob cauſam exactior illorum obſervatio non minus mihi neceſſaria videtur atque fructuoſa, quam aliorum quæ immediate ad praxim applicari queunt. Eo quidem medici nonnulli cuncta revocanda eſſe opinantur, rejectis ea propter omnibus phœnomenis, quæ nullum directum in praxi afferunt uſum, iiſdemque ut curioſis medicoque inutilibus longe proſcriptis. Quotuſquiſque vero ignorat? Theoriam medicam nondum omnibus numeris adeo abſolutam eſſe, ut emendationes amplius non admittat, nec ulteriorem explicationem atque confirmationem requirat. Eæ autem ſperari nequeunt, niſi, quæcumque vel corpus humanum vivum tam in ſano quam morboſo ſtatu ſpectatum, vel cadavera defunctorum nobis offerunt, phænomenorum habeatur ratio. Prius quidem evictum eſt atque a nemine in dubium trahitur, de poſteriori autem quid determinandum ſit, ambiguum videtur, partim quoniam rara atque inſolita, quæ in cadaveribus obſervantur, non occurrunt in medicinæ ſubjecto, partim quod cauſæ illorum ut plurimum longe alterius deprehendantur conditionis atque naturæ, quam in corpore humano vivente, ut proinde nec conſideratione atque attentione quidem medici digna videantur. Verum enim vero tametſi negari nequeat, cadaver humanum minime conſtituere medicinæ ſubjectum, cauſaſque phænomenorum, quæ in cadaveribus conſpiciuntur, etiam ita ſæpenumero comparatas eſſe, ut in corpore humano vivente vix locum inveniant, haud male tamen utitur medicus hiſce phænomenis, cum ſimilia vel ejuſdem commatis phænomena in corpore humano ſe offerunt, quippe nulla ratione dubitari poteſt, quin multum his lucis fœnerentur. Suffragantem hac in parte habeo cel. *D. D. Alberti*, qui in *præfamine diſſ. de hæmorrhagia mortuorum & jure cruentationis*, ita hac de re loquitur: *non parum utilitatis promittit attenta atque judicioſa obſervatio variorum phænomenorum in mortuis obviorum, ut exinde veluti in contrario ſtatu & argumento veram indolem integritatis naturalis corporis humani alioquin valde fragilis cognoſcere queamus. Etenim variæ in mortuis occurrunt mutationes, quæ partim phyſico-medicis rationibus explicandæ, partim ad medicos plane uſus applicandæ.* Quæ cum ita ſint, non male me operam otiumque collocaſſe opinor, quod in raro quodam phænomeno, in his terris haud ita pridem obſervato, ingenii mei vires periclitari decreverim. Quotquot enim vel fama de eo quid acceperunt, vel quominus id contemplandum ſibi ſumpſerunt, rerum intelligentes, novitate rei perculſi, juſto eam non indignam judicarunt examine. Quodſi igitur judice laudato *D. D. Alberti c. l. medicis vitio verti non poteſt, ſi phænomena ſingularia, inſolita, admiranda & ferme miraculoſa, qualia Kormannus & Garmannus collegerunt,*

*quæque*

*quæque ſubinde phyſico-medicis diſquiſitionibus ſubjacent*, *diverſa occaſione ſic ferente*, *ſub penitius & attentius examen atque ſcrutinium vocant*, nec me, quod jure reprehendi poſſit, admiſiſſe ſpero, dum ſingulare hoc phænomenon paulo exactius examinandum decrevi, præſertim cum nemo hactenus, quod noverim, hanc provinciam ſibi impoſuerit, vel publice ejus mentionem injecerit.

Quod autem TIBI VIR CELEBERRIME, *tuoque nomini celeberrimo* præſentem diſſertationem epiſtolicam inſcribere auſus ſim, id pro inſigni, qua uteris, humanitate, benevoloque, quo me ſubinde proſequutus es, affectu, non ægre *te* laturum eſſe, certus confido. Ad *te* enim non aliam ob cauſam, hoc quicquid eſt, defero, quam quoniam *te*, ſi quem alium, rerum harum peritiſſimum, judicemque idoneum eſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Diuturna namque plurimorum annorum experientia, doctoque rerum uſu ſubactum illud *tibi* comparaſti judicium, quod & limatiſſima atque exaſciata ſcripta, quæ ſummo cum orbis litterarii applauſu foras dediſti, undiquaque demonſtrant, & recitationes *tuæ* academicæ, quibus quinquennio ab hinc & quod excurrit, mihi tam licuit eſſe felici, ut fructu cum ampliſſimo interfuerim, luculenter produnt. Animum, hæc revolventi, addidit inſignis illa humanitas, qua me de rebus dubiis *te* conſulentem comiter excepiſti, & nonniſi ſcrupulis prorſus liberatum dimiſiſti. Nullus igitur dubito, eamdem libertatem, qua præſens *te* compellare, muſaſque *tuas* coram ſalutare potui, abſenti pariter integram fore. Eum ſcilicet in finem qualeſcumque has de præſenti phænomeno rariſſimo conjecturas, luci publicæ expoſitas ſincero *tuo* permiſi arbitrio, ut eo promptius *tuum* interponas judicium, meque, ſi a recto forte tramite diſceſſero, in veram reducas viam. Id etenim mihi non ſumo, ut rem acu tetigerim, aut cogitata hæc, vero, ut ſpero, non abſimilia, firmiſſimis demonſtrationibus æquiparanda contendam. Eæ namque in hoc caſu, & a me, potiſſimorum ſubſidiorum defectu laborante, vix expectari poſſunt. Scriptores equidem, quotquot habere potui, qui medicas obſervationes collegerunt, aſſidue volvi atque revolvi, ut ab iis peterem, quæ argumentum hoc quodammodo illuſtrarent. Sed ſpes me adeo fefellit, ut ne caſum quidem analogum, qui huic affunderet lucem, alicubi deprehenderim. Sectio forte anatomica cadaveris rite inſtituta totum detegere negotium, cauſaſque ſingularis hujus phœnomeni omnium certiſſime & planiſſime patefacere potuiſſet. Sed fieri ea dum non potuit, nihil relictum mihi eſſe perſpexi, quam ut, quid conjiciendo aſſequi poſſem, tentarem.

Priuſquam vero in cauſas phœnomeni hujus memorabilis inquiro, ne quid ad ſententiam ferendam neceſſarium, Tibi, VIR CELEBERRIME, deſit, hiſtoriam illius, quoad eam explorare datum mihi fuit, exponere neceſſarium duco. Anni videlicet MDCCXXVIti agebatur menſis, quem auguſtum vocant, cum tribus furtuum aliorumque ſcelerum reis maleficis

leficis gula laqueo eodem die frangeretur. Numerus ſuſpenſorum inſolens plurimos omnis generis ſexuſque homines alliciebat, ut proximis diebus atque ſeptimanis ad ſupplicii locum ſe conferrent, miſeros viſuri. Non poterant itaque illorum oculis ſe mutationes ſubducere, quas cadavera, aëri liberiori eique initio maxime fervido expoſita, paulatim ſubibant. Proinde etiam ſingulare illud phænomenon, quod in unius ſuſpenſorum oculis evidenter conſpiciendum erat, prompte notabant, præternaturalem puto, atque extraordinariam tunicarum utriuſque oculi protuberantiam atque elevationem. Quamquam autem ea initio tenuis atque exigua erat, ſi cum extenſione atque elongatione, quæ haud diu poſt inſequuta eſt, comparetur, haud levem tamen aſpicientibus excitabat admirationem, maxime cum in binorum reliquorum oculis tale quid non animadverteretur. Sed in ſtuporem tranſibat admiratio, cum temporis progreſſu protuberantiæ iſtæ in majorem non ſolum molem ſe expanderent, verum utramque etiam oculi orbitam ita occuparent, ut veri oculi ne veſtigium ſupereſſet. Notabiles hæ circumſtantiæ cum mihi, circa medium Aprilis An. MDCCXXVII. Guſtrovii per aliquot dies commoranti, ab amicis nunciarentur, vix primum impetrare a me potui, ut fidem relatis tutam adhiberem, qui tantam extenſionem præſertim in cadavere fere impoſſibilem judicabam. Rei itaque ſingularis novitate commotus, prope a patibulo, affixos eidem, una cum amico quodam intuebar, nec aliter iſta ſeſe habere, quam ab iis acceperam, & hactenus commemoravi, deprehendebam. Binas nimirum prominentias, ex alterutra orbita unam, obſervabam progreſſas, quæ baſibus ſuis oculorum orbitas plenarie occupabant. Senſim vero ſenſimque tenuiores redditæ, & non nihil incurvatæ, ſupra maxillam ſuperiorem ad os uſque erant exporrectæ. Color inſidebat ater, & rigiditas tam firma, ut cornua exacte referrent, prouti figura adjecta docet. Ea ratione comparatæ erant, cum prima vice eas contemplandi occaſio mihi daretur. Perſtiterunt quoque in eodem ſtatu uſque ad menſem junium anni modo dicti MDCCXXVII., quo exeunte, ſolis æſtu ſubinde ingraveſcente, haud leve qua craſſitiem incrementum ceperunt, quemadmodum amicus referebat. Nec aliter rem ſe habere, mihi ipſi obſervatum eſt, cum guſtrovium menſe anni proxime elapſi MDCCXXVIII., Septembri venirem. Ampliorem extremitatum qua craſſitiem, diſtenſionem, ſitumque quam antea magis erectum animadvertebam, inſimulque notabam, baſes utriuſque prominentiæ collapſas & hinc inde perforatas eſſe, ut interiora ferme orbitarum perſpicere poſſem, neque tamen rigiditati quid deceſſerat, ſicuti nec hodie eam remiſiſſe compertum habeo.

Habes ita VIR CELEBERRIME, præcipuas, quæ ad hiſtoriam hujus phænomeni ſpectant, circumſtantias. Tunicarum prominentias atque expanſiones dicere nullus dubitavi, quoniam non integri oculorum bulbi extra orbitas deprehenduntur protruſi atque expreſſi, quem ſtatum alioquin procidentiam oculorum appellare ſolent, ſed tunicæ tantum ocu-

lorum, quod quam clariſſime oculis aſſequi licuit, ab humoribus intus contentis ſenſim ſenſimque ſunt elevatæ, atque in enormem longitudinem extenſæ, quale quid in hydrophthalmia evenire ſolet, ubi ex copioſo humorum aquoſorum affluxu tunicæ oculorum tantopere dilatantur, ut extra orbitas quodammodo promineant. Exemplum habet *Anton. Nuckius in Tr. de ductibus oculorum aquoſis* cap. 2. p. m. 124. Singulares autem illas vocavi, quandoquidem expanſio tam infrequens maxime in cadavere inſolens exiſtit, & ad extraordinaria referri meretur. Neque etiam, quod ſupra jam faſſus ſum, ſimilem huic in ullo obſervationum medicarum ſcriptore, quantocumque ſtudio illos perquiſiverim, deprehendere potui caſum, ſi ab uno diſceſſero, qui proxime huic accedere videtur, quem *Kornmannus* memorat *de miraculis mortuorum P. V. C. VII.* excitante *Bartholino Epiſt. Medic. Cent. II. Epiſt. XI.*, qui cornua ex ipſis oculis cujuſdam laqueo ſuſpenſi nata eſſe obſervavit. Verum enim vero cum ipſius *Kornmanni* hic copiam habere non potuerim, quoad uterque caſus, Kornmannianus & noſter congruant nec ne, definire non audeo. Facile autem adducor ut credam, utriuſque eamdem rationem & cauſas eſſe, quoniam & ſubjecto & tempore quadantenus ſibi reſpondent. In ſuſpenſis enim & poſt mortem utraque vice contigerunt.

Ad cauſas autem ſingularis hujus phænomeni, quoad mente aſſequi poſſum, reddendas, dum progredior, paucis expedire me poſſem, ſi cauſarum, quas medici antiqui, phænomenis cadaverum raris atque inſolitis explicandis, adhibere ſolebant, a *Garmanno* magno numero *libris de miraculis mortuorum* enarratarum, uni alterique aliquid tribuerem. Verum cum illæ jam dudum a prudentioribus ſint profligatæ atque exploſæ, inutile ſane foret atque irritum, eaſdem poſtliminio revocare atque in ſcenam producere. Nec magis, reor, arduum foret ſolvere hoc phænomenon, quodſi ad illorum caſtra tranſgredi vellem, qui animam rationalem immediatam conſtituunt omnium motuum in corpore noſtro cauſam. Motum enim in ſe ſpectatum ens immateriale eſſe, ſibi perſuadent, qui adeo nonniſi a cauſa immateriali produci poſſit. Quoniam vero corpus humanum præter animam rationalem a nullo regitur ſpiritu, quid expeditius foret? quam huic phænomenon iſtud ſingulare, quod non niſi interveniente motu produci potuit, imputare, omneſque ulteriores diſquiſitiones ſeponere. Sed vereor, ut omnium aſſequar aſſenſum, ſi ab anima rationali effectum huncce repetere vellem, qui poſt diſceſſum ejus ex corpore non ſolum produci cœpit, ſed & interjecto aliquot annorum ſpatio plane conſummatus & perfectus eſt; ideoque lubens & hancce cauſam ſepono. Phyſicas atque materiales cauſas hujus phænomeni inveſtigandas eſſe, prudentius arbitror, & omnes intelligentes facile concedent. Nec me a ſententia dimovet, materiam plane paſſivam & ad movendum pene ineptam a quibuſdam credi; cum jam dudum ab aliis luculenter ſit demonſtratum, eam poſt impreſſionem divinitus factam omnino activitate eſſe inſtructam. Quæ vero proxima

xima motus in hoc phænomeno causa fuerit, difficilius definiri posse videtur, cum in abstruso cuncta sint peracta. Interim cum in re ardua, atque obscura suos exponere sensus unicuivis sit licitum, relictis omnibus procul ambagibus, quam verosimillimam puto sententiam, salvo aliorum judicio, edisseram. Non convenientiorem igitur hujus phænomeni rationem allegari posse, credo, *quam cerebrum corruptum & putrefactum, quod per canales osseos nervi optici transiens, ad interiora oculorum penetravit, & continuato affluxu, expansiones illas tunicarum extraordinarias produxit.*

Antequam vero ad sententiæ modo dictæ confirmationem propius memet accingo, necesse prius erit, ut suppositorum quorumdam possibilitatem in genere probatam reddam atque evictam. Ea enim si præter rationem assumerentur, frustra adstruerem, rem omnem ita & non aliter esse peractam. Occupat autem inter hæcce primum locum sequens circumstantia: an nimirum cerebrum cadaveris putredine destructum per nervorum opticorum canales osseos penetrare, atque hac via e cavitate cranii effluere queat? Quam affirmare nullus omnino dubito, dum cerebri in actuali corruptione putredinosa constituti ordinariam conditionem considero. Quotusquisque negare audet? ejusmodi cerebrum, de solido statu plane dejectum, fluidam acquirere consistentiam. Certe mutationis hujus veritatem indubitata non solum experientia demonstrat, sed sana etiam ratio eamdem luculenter confirmat. Cum enim cerebrum humanum multis abundet humoribus, qui ob diversas suas partes constitutivas naturaliter proni sunt ad corruptionem, ultro consequitur, quod iidem, facta post mortem stasi, intestinum atque destructivum cito subeant motum, sicque mox in putridum abeant liquorem. Quod autem dum contingit, fieri aliter nequit, quam ut ipsa cerebri substantia insimul destruatur, atque modo dictis humoribus similis reddatur. Est enim hoc putredini proprium, ut simul ac aliquo in loco pedem fixit, partemque quamdam infecit, ulterius subinde serpat, atque magis magisque se diffundat. Id quod in cerebro eo facilius citiusque locum obtinet, quo magis substantia ejusdem talis observatur naturæ, ut præ omnibus reliquis partibus solidis atque mollibus celerrimæ destructioni atque putrilagini sit obnoxia. Quodsi itaque cerebri substantia resolutione ejusmodi putredinosa in fluidam consistentiam abire potest, nullo quoque jure ipsi aptitudo nervorum opticorum canales osseos occupandi atque effluxum e cranio moliendi, denegari poterit, quandoquidem istius mutationis ope, eamdem cum cæteris aliis liquoribus induit proprietatem, nimirum quod exilissimos meatus atque canales æque ac reliqui penetrare queat. Est autem ad hunc transitum eo melius atque facilius absolvendum motus cerebri intestinus atque quodammodo ebulliens quam maximo ipsi adjumento, hujus enim subsidio adhuc magis impellitur, atque ad angustum canalem opticum intrandum adigitur. Siquidem commune est corporibus in putredine actuali constitutis, ut, quando angusto inclusa spatio, unde vapores putridi libere exire & in auras evanescere nequeunt, intestino

non ſolum motu fortius agitentur, ſpumaſque agant & intumeſcant, ſed etiam eruptionem ultro ſibi quærant, atque e receptaculis ſuis facile effluant. Evidens hujus afferti documentum præbet experimentum in cerebris bovinis a *Cl. D. J. Thom. Henſingio* inſtitutum, atque in Diſſ.: *Quæ cerebri examen chimicum ex eodemque Phoſphorum exhibet P. I.* §. 3. his verbis ab ipſo deſcriptum. *Tria cerebra bovina incluſeramus, cum canicula exarſiſſet, vitro, cucurbitam vocant trium menſurarum, huic alia minore impoſita, junctiſque accurate obturatis, munitiſque veſica quadruplici, & paſta; ex albumine ovi & minio compoſita, incruſtatis, in aëre libero ab acceſſu tamen ſolis radiorum remoto, relicturi unum alterumque diem, donec propediem balnei humidi calorem ſupponendi daretur occaſio. Sed ecce! vix unus præterierat dies, cum in hoc vitro fit ſrepitus, qualem cereviſia recens fervenſque, cum ſpumam fœculentam evomit, edere ſolet, moventur cerebra acſi ſpiritum adhuc intus alerent vitæ præſidem, ſpumarum veſiculæ infinitæ majores & minores naſcuntur, intumeſcunt, diſſiliunt, quarum halitus latera vitri ad ſummum uſque verticem madore perfundit copioſo. Spectaculi hujus allecti ſcenis, attenti adſtamus, oculos propius nareſque, ne quid præterlaberetur, admovemus, vix autem omnes noſtros ſenſus ad ea, quæ in vitro aguntur, invitantes compoſueramus, contremiſcit vas hoc vitreum, reſonat, rimas agit plures, gluten rumpitur, & protruſo operculo elaſticus vapor, tam exiguo loco coërceri impos, amplius occupat ſpatium, quoniam tam cito extenſioni ſuæ termini non poni poſſent.* Quodſi igitur tria hæc cerebra bovina putredine infecta tantum valuere, ut perrumpere omnia viaſque ſibi aperire potuerint, quidni cerebrum humanum intra cranium in liquamen putridum converſum eadem etiam polleret activitate, ut motu ſuo inteſtino exitum per canalem oſſeum nervi optici ſibi parare queat, cum unum cerebrum humanum tribus cerebris bovinis copia moleque nil quidquam cedat.

Quemadmodum itaque a parte cerebri in cadavere nullum obſervatur impedimentum, quo minus illud ipſum canalem nervi optici ingrediatur; ita nec ex parte ipſius canalis, quod id prohibeat, deprehendere licet. Aptiſſimus enim non ſolum hic locus eſt, ad quem cerebrum ita conſtitutum pertingere facile poſſit, ſed ſufficienti etiam, teſte autopſia, inſtructus eſt amplitudine, ut illud commode recipere valeat. Neque major hic ſuperanda eſt difficultas, quam in reliquis viis atque canalibus cranii, per quos cerebrum ita comparatum poſt mortem effluere haud raro ſolet, uti e. g. ſunt nares atque aures, quorum caſuum in medicorum ſcriptis exempla paſſim occurrunt, frequenter præſertim annotata a *J. Frid. Zittmanno in medicina forenſi.*

Equidem nullo negotio prævideo, habituros quoſdam, quod contra tranſitum cerebri modo dicti in medium producant, non nullius omnino momenti, dicendo nimirum, ipſum nervum opticum, canalem iſtum qui occupat atque claudit, cerebri putrefacti tranſitum prohibere, licet canalis hujus ſitus ſatis cæteroquin aptus ſit, capacitaſque ejus quam convenientiſſima.

tiſſima. Verum enim vero, quamquam nervi optici præſentiam in canale iſto oſſeo neutiquam ignorem, hoc tamen non obſtante cerebrum putrefactum tranſitum per eumdem invenire poſſe, firmiter perſuaſum habeo. Quando enim nervi hujus conditionem in cadavere curatius conſidero, tantum abeſſe deprehendo, ut ille cerebro tranſituro obicem ponere valeat, ut certiſſime potius credam, viam hancce nihilotamen minus, ſi non duplici ſaltem una ratione commode ab ipſo occupari poſſe. Nemo etenim in dubium vocaverit, nervum opticum ſemper in cadavere laxum exiſtere, omnique tono atque reſiſtendi vi eſſe deſtitutum. Quid igitur prohibet, quominus cerebrum putridum, præſente iſta nervi optici conditione, interſtitium illud, quod nervum atque latera canalis oſſei dividit, penetrare poſſit? Certe preſſio ipſius cerebri tam valida eſt, ut nullum ſuperſit dubium, quin nervus iſte facile cedat, prompteque præterlabendi locum cerebro faciat. Confirmor in hac ſententia quoties perpendo, quod compreſſiones nervorum tam intra cranium, quam in reliquis partibus, ab humoribus vel præternaturaliter ibidem collectis, vel aditum ad ejuſmodi loca ſibi parantibus, ſæpe proveniant, unde haud raro viſus vel auditus depravationes atque plenariæ abolitiones proficiſcuntur, aut partium paralyſes trahunt originem; vel quando mecum reputo, quod muſculorum abſceſſus, non ſemper illis in locis, ubi orti ſunt atque nati, ſubſideant, ſed quod materia iſtorum, muſculoſas fibras comprimendo atque tranſeundo, varios ſibi ductus formet atque cuniculos. Imo ſi conſidero, quod in cadaveribus ſæpe per canales aliorum nervorum materia putrida, deſtructis nondum nervis, effluat, nec plane inſolens ſit, ut, facta cerebri in viventibus commotione, interdum fluidum aqueum e cavitate cranii per nares oculos atque aures viam ſibi paret atque promanet, præſentibus licet nervis, ſituque eorum nihil turbato, quale exemplum refert *Theoph. Bonetus, Med. Sept. Collat. p.* 58. non poſſum non eam amplecti opinionem, quod nervus opticus cerebro tranſituro nullam injicere moram poſſit. Quodſi enim fluida hæcce, præſertim in homine vivente, cujus fibræ ſuo gaudent tono, tanta vi pollent, ut fibras ſeparare atque comprimere, viaſque ſibi formare queant; quidni idem facilius adhuc in cadavere locum habere poteſt, cujus partes laxæ exiſtunt atque molles. Accedit quod nervus opticus, cum teſtibus anatomicis de genere mollium nervorum exiſtat, imo cenſente *Thom. Bartholino Anat. Reform. p. m.* 455. aliis mollior deprehendatur, mollitiei illius intuitu aptiſſimus ſit, qui tranſitum cerebro putrefacto concedere valeat, dum facile compreſſionem admittit, viæque inſimul ſufficientem aperturam concedit, Ut itaque non videam, qua ratione nervus opticus cerebro putrido exitum tentanti obicem ponere queat. Præter hactenus allatum tranſitus modum alium adhuc producere poſſem, ſi *Galeno*, *Fallopio*, *Spigelio*, *Thom. Bartholino*, aliiſque fides habenda eſſet, qui cavitatem ſenſibilem atque manifeſtam in nervis opticis perſpexiſſe atque demonſtraſſe ſcriptis ſuis teſtantur. Ita enim cerebrum putrefactum viam ſatis commo-

dam haberet, per quam citra difficultatem transire, quamque etiam facili negotio magis adhuc dilatare atque expandere posset. Verum cum sæpius licet repetita observatione acutissimi nostri sæculi anatomici talem in modo dictis nervis cavitatem ne armatis quidem oculis detegere potuerint, frustra hac via cerebrum corruptum e cranio elicere contenderem. Satis interim ex hactenus allatis intelligi opinor, citra absurditatem statui posse, cerebro putrefacto viam e cavitate cranii effluendi per nervi optici canales patere.

Ad alteram hypothesim memet confero evolvendam, quæ majori premi videtur difficultate, atque huc redit: an cerebrum putredine resolutum per canalem nervi optici ita transire queat, ut ad ipsam oculorum cavitatem pertingere possit, citra quod tunicarum oculos constituentium substantia vel læsionem quamdam vel continui solutionem patiatur. Impossibile equidem hoc multi forte existimabunt, quandoquidem oculi bulbus undiquaque accurate clausus est, nec permittit, ut humores ab extra eum alluentes cavitatem ipsius ingrediantur. Verum enim vero assensum eorum me impetraturum, certissime spero, dummodo ad oculi structuram paulo penitius mecum attenderint, cum eo ipso facile apparebit, affluxum illum, salvis tunicarum oculis, quamcommode absolvi posse. Quodsi enim hanc sedulo considero atque præcipue tunicarum oculi, choroideæ atque scleroticæ originem attente examino, accurata indagine observo, tunicas modo dictas propagines atque continuationes membranarum cerebri existere, ita ut pia mater ad oculum extensa constituat choroideam, duræ autem meningis continuatio formet scleroticam, vid. *Verheyenii anat. corp. hum. p. m.* 372. *Thom. Bartholini anat. reform. p. m.* 346. *G. D. Coschwitzius org. & mechanis. hominis sani. p.* 207. *Chr. Godfr. Stentzel Anthropol. cap. XXVIII.* §. 8. 9. Nec magna diversis istis in locis differentia inter easdem cernitur, nisi quod eodem *Verheyenio* teste *c. l.* duriores eædem existant oculorum bulbos formantes, quam intra cranii cavitatem adhuc hærentes, & quod pervulgatum est, quamdiu adhuc cranio inclusæ sunt, piæ atque duræ meningis nomen obtineant, ipsiusque cerebri constituant involucra, cum vicissim, quando per canalem nervi optici ad orbitam expanduntur, choroideæ atque scleroticæ nomine insigniantur, locoque cerebri nervum opticum atque humores oculorum circumdent, teneantque involutos. Cum itaque hac ratione oculi membranas cum cerebro possideant communes, facile patet, quod cerebrum putrefactum, quando oculi cavitatem intrare nititur, ad eamdem pervenire haud ægre possit, citra quod oculorum tunicis afferenda sit injuria, eæque ea propter violandæ & disrumpendæ. Quoniam enim humores putridi intra hasce membranas jam delitescunt & detinentur, nihil aliud requiritur, quam ut locum in ipsarum ambitu alium occupent, & e cranio intra membranas modo dictas atque ipsum nervum opticum usque ad cavitatem oculi progrediantur. Intercedere equidem videtur tunicarum modo dictarum cum nervo

optico

optico præſertim in radice bulbi connexio, quominus cerebrum putridum curſum ſuum perſequi poſſit. At quamquam eædem naturaliter & proxime illum ambiant atque involvant; tantæ tamen arctitudinis vinculo non conjunguntur, quod accedente & premente cerebro putrido diſſolvi nequeat. Leviſſimum illud experimentum, vulgaris nimirum coctio, quemlibet, periculum facientem, egregie convincet, quam facile nervus ille a tunicis citra ullam earumdem læſionem divellatur & ſeparetur, ita ut nullum relinquatur dubium, quin idem in cadavere locum invenire poſſit.

His itaque, ut par eſt, præmiſſis, longe facilius commonſtrare valebo, præſentem expanſionem ſingularem corrupto cerebro per nervi optici foramen, & quidem intra ipſum nervum ejuſque membranas decurrenti, atque hinc in cavitatem oculorum effuſo, ſuam quam probabiliſſime debere originem. Quod dum probandum in me ſuſcipio, ſupervacaneum æſtimo, prolixe demonſtrare, cerebrum in præſenti cadavere putredinem actu contraxiſſe. Eſt enim cerebri ſubſtantia ad putrefactionem tam prona ut naturaliter ab eadem immunis manere nequeat, cum non ſolum humoribus abundet, ſed & ſtructura ejus tam mollis deprehendatur, ut facile diffluat. Quare etiam nulla dubitandi ſupereſt ratio, cerebrum in hoc cadavere putredine pariter corruptum eſſe atque deſtructum, præſertim cum illud aëri libero eique initio maxime calido fuerit expoſitum. Exſeruiſſe autem cerebrum notabilem iſtum effectum in præſenti cadavere, una pluribus adſtrui poteſt rationibus. Enim vero ingens iſta membranarum oculos conſtituentium expanſio tantam exigit materiæ copiam, quæ producendo effectui reſpondeat, cum certe tunicæ niſi copia preſſæ atque impulſæ fuiſſent, nunquam ad tantam longitudinem perveniſſent. Jam vero ſi partes omnes oculis contiguas perluſtravero, earumque conſtitutionem rite examinavero, nullam earum, tantæ humorum copiæ, quanta hic deſideratur, ſuppeditandæ aptam deprehendo, præterquam cerebrum per putredinem in fluidum ſtatum conjectum. Quod enim ad externas faciei partes oculis vicinas attinet, hæ certe ad phænomenon iſtud producendum, parum imo nihil valent. Tanta enim in illis humorum abundantia non obſervatur, quantam hæc expanſio neceſſario deſiderat, quod vel ſola externa earumdem contemplatio teſtatum facit. Fac etiam humores occaſione ſuffocationis violentæ in partibus hiſce quadantenus fuiſſe auctos, ut membranis oculorum expandendis aliquo modo inſervire potuerint, propterea tamen hæc expanſio minime illis tribuenda. Nam partim via omnino deficit, qua humores ad oculorum cavitates tranſire poſſent, & arduum omnino, ſi non plane impoſſibile eſt, oſſibus perruptis aditum ſibi ad oculos parare, partim etiam omnes iſtæ partes, putredine quæ poterant deſtrui, ante ultimam expanſionem poſt ſemeſtre ſpatium factam, prorſus jam fuere conſumptæ, ut itaque novum expanſionum iſtarum incrementum ab alia neceſſario cauſa alioque loco foret arceſſendum, quod tamen probabile reddi nequit, cum nulla ratione demonſtrari poſſit, tot diverſi

gene-

generis causas in unum hocce phænomenon conspirasse perficiendum. Accedit, quod partes istæ externæ, aëri libero expositæ, humores inclusos longe facilius atque citius per cutem dimittant, quam novam tamque difficilem sibi formare valeant viam. Nec internæ partes quæ in ipsa orbita hærent, bulbumque ambiunt atque attingunt, tantam humorum inclusam tenent copiam, quantam hæc expansio deposcit. Nam vasa qua magnitudinem exilia, numeroque non adeo copiosa ibidem deprehenduntur, ita ut humorum, qui in his viis detinentur, infrequentia, expansioni huic neutiquam respondeat. Imo si vel maxime humores ordinarii una cum aliis extraordinario confluentibus pinguedinem atque musculos insimul destruxissent, ac in liquorem putridum convertissent, neutiquam tamen hæc omnia vel primæ expansioni tantum largiri potuissent, quantum ad eamdem desiderabatur. Quandoquidem enim modo dictæ partes omnes junctim spectatæ molem non adeo magnam efficiunt, ideoque nec facta destructione multum liquoris putridi suppeditare queunt. Ut silentio jam præteream fluida hinc elaborata alias procul dubio vias longe celerius invenisse, quam ingressum in cavitatem bulbi impetrare potuere; imo ultimam, quam supra commemoravi expansionem itidem frustra ab iisdem expectari; nec minus omnibus modo allegatis humoribus nullum in oculorum cavitates patere ingressum, uti ex infra dicendis apparebit. Atque hæ aliæque me rationes movent, ut hanc phænomeni istius causam non agnoscam. Multo minus illorum curo opinionem, qui sibi persuadent, inusitatas hasce prominentias humoribus in oculis ordinario reperiendis unice esse adscribendas. Nam quamvis sub corruptione putredinosa modo dictorum humorum ab effluviis putridis intus contentis tunicæ quadantenus protrudi & elevari possint, facile tamen unusquisque perspicit, eosdem ea propter neutiquam per se sufficere ut tantam extensionem, quanta hæc est, soli producere possint. Certe si istorum tanta vis esset, cur non in cadaveribus, si non omnibus, saltem plurimis ejusmodi conspiciuntur expansiones, cum semper in oculorum cavitatibus hæreant? Dum autem rarius id accidere solet, recte hinc colligitur, & humores istos ad phænomenon hocce producendum esse insufficientes. Nulla itaque pars in universa capitis regione superest, quæ huic effectui inservire queat præterquam cerebrum putrefactum. Hujus enim copia, quæ ab aliis frustra exspectatur, tantæ expansioni unice convenit, id quod nulla ratione in dubium vocari potest, si cerebri resoluti copia cum notabili tunicarum expansione rite conferatur atque comparetur.

Magis adhuc in modo allata confirmor sententia, quando in memoriam revoco, quod singulares istæ expansiones, post semestre & quod excurrit spatium, cœlo existente fervido, nova sumpserint incrementa. Horum enim origo aliunde deduci atque derivari non potest, quam a reliquiis cerebri per hybernum tempus intra cranium etiamnum asservatis, quæ novo accedente æstu demum resolutæ, motuque fortiori concitatæ ad oculos tandem depor-

deportatæ ſunt. Non enim hic ad alias provocari poteſt partes, a quibus expanſionem iſtam cæteroquin derivare liceret. Conſumptæ namque jam erant omnes, non dicam fluidæ, ſed & carnoſæ partes, antequam novum illud ſequebatur augmentum, quod ipſe probe obſervavi, qui ante ultimam expanſionem cadaver conſideraveram. Animadvertebam enim ſpeciatim, carnem univerſæ faciei prorſus jam eſſe conſumptam, & abdominis muſculos itidem jam eſſe deſtructos, quod arida atque corrugata inteſtina, intra pedes propendentia, ſatis ſuperque prodebant. Quæ cum ita ſint, nulli alii parti nova hæc tribui poteſt expanſio, quam reliquiis cerebri in cranio adhuc relictis, cum nihil in toto capite amplius occurrat, quod materiam illam ſuppeditare valeret. Fortean autem quis in ea hæret opinione, nullas cerebri remanentias in cranio adhuc præſentes exſtitiſſe, cum ex mollitie cerebri colligendum potius, illud uno actu in totum eſſe deſtructum, atque ſub expanſione ante hybernum tempus facta, omne conſumptum, ideoque novæ hujus expanſionis cauſam aliunde neceſſario eſſe deducendam. Verum quiſquis in hanc ingreſſus fuerit ſententiam, ille certe exactam omnium partium cerebri vel cognitionem non habet, vel ſaltem ad illarum ſtructuram non attendat, neceſſe eſt. Obſervabit enim ſedulo eaſdem qui examinat, ſubſtantiam corticalem molliſſimam, medullarem autem magis compactam exiſtere, atque huic medullari partes quaſdam ineſſe, ut ſunt corpus calloſum, thalami nervorum, quæ reliquas ſoliditate ſuperant. Quæ omnia juſte ſi perpendit, non incongrue hinc colliget, ſubſtantiam corticalem quidem facillime in putredinem abire, aſt medullarem & longius temporis ſpatium & majorem vim requirere, cum ob tenacitatem ſuam fortius reſiſtat. Quare nihil prohibet ſtatuere, ſub prima formatione raræ hujus expanſionis molles cerebri partes tantum deſtructas eſſe, reliquis ſolidioribus, accedente hyeme, integris relictis atque nondum corruptis, quæ poſtea demum, novo eoque maximo calore circa menſem ſupra dictum accedente, ſenſim fluiditatem impetrarunt, & ſic denique novam hancce expanſionem produxerunt. Roborat hoc aſſertum atque egregie confirmat aliud quoddam experimentum a ſupra laudato *Cl. Henſingio, cit. diſſ. p.* 14. annotatum, atque ſub hac verborum ſerie ab ipſo deſcriptum: *Unum cerebrum vitro anguſti orificii incluſimus, illudque, ut moris eſt, obſignavimus, & loco tepido per* 14. *dies ſervavimus. Jam abiit magna pars in liquamen gryſeum, ſpuma levi oberrante in ſuperficie cito nata & denata. Et poſt* 14*tum diem fœtor exhalabat, naribus quovis modo exitioſus, non obſtante arctiſſimo munimine. Tum deſtillatione prodiit lympha lactea copioſa acerrimi odoris & ingratiſſima, hac reſiduo, quod ad obſcuram flavedinem colore vergebat, reddita, omnis ſubſtantia corticalis viſa eſt diffluere, medullaris autem quaſi obdurata alba & integra manere. Hæc iterum per* 14. *dies digeſta, odorem panis recentis cremati referebant. Deſtillationi autem in cucurbita ſubjecta, prodiderunt lympham claram pellucidam. Hanc rite propulſam ſequuta in vitro murmura ſonitus crepituſque, ut vaſi ruptionis damnum illatum eſſe*

 *credi-*

*credidisses, quæ tamen a cerebri ultimorum staminum vinculis fortiori æstu disruptis orta esse, finis monstravit laboris.* En itaque diversam partium cerebri ratione soliditatis conditionem, facilem nimirum atque promptam corticalis resolutionem, contra vero maxime arduam medullaris partis destructionem, quam nec putredinis vis per integrum mensis spatium mutare potuit, nec ignis nisi admodum vehemens emollire atque resolvere valuit, licet aeris experta accessum, semperque tepido loco fuerit constituta. Vix ergo ambigendum est, quin in præsenti cadavere omnis cerebri substantia in prima harum expansionum generatione nondum fuerit resoluta, præsertim cum aer externus immediate illud ferire, suamque vim, uti alias valet, exserere non potuerit, solisque intemperies, quam antea sustinuerat, in frigus fuerit mutata. Merito proinde *Cl. Hensingius c. l. p.* 19. annotandam esse duxit diversitatem texturæ solidarum singularem, mollitiem nempe & facilem divisibilitatem corticis cerebri, & tenacitatem duritiemque medullæ imprimis corporis callosi, thalamorum duplicis nervi optici, & reliquorum, nervis eorumque fasciculis & funiculis principium præbentium, cum illa multum lucis præsentis phænomeni explicationi affundat, & rationem ob quam cerebrum post tantum temporis intervallum, majus prominentiis istis augmentum addere potuerit, indicet. Quodsi itaque hactenus proposita in summam colligo, admodum planum evidensque habendum judico, rari hujus phænomeni productionem in cerebrum putrefactum omnino esse devolvendam atque rejiciendam.

Quod autem cerebrum putredine resolutum in præsenti cadavere per canales nervi optici & speciatim intra nervos eorumque membranas, illos cingentes, profluxerit, ex eo facile colligi posse reor, quod tunicæ oculorum, etiamsi tantopere sint protrusæ, integræ atque illæsæ fuerint conservatæ, materiamque expandentem in sacco veluti comprehensam tenuerint, manifesto indicio, humores putridos per ejusmodi vias oculorum intrasse cavitates, quæ eosdem, citra quod tunicarum integritati vis inferatur, prompte facileque illuc transmittere potuere, & cum supra demonstraverim, viam indicatam ita comparatam esse, prætereaque nulla alia præsens existat via, qua commode illud absolvi potest, persuasum firmiter habeo, veriorem & rectiorem, per quam putridum cerebrum affluxerit, in hoc casu viam designari non posse. Placuit equidem viro cuidam celeberrimo, cujus de singulari hocce phænomeno sententiam rescisere mihi datum fuit, longe aliam, & ab ea, quam hactenus exposui, maxime diversam transitus hujus constituere viam, sequentem quam existere opinabatur. Cerebrum putrefactum nimirum per ductus aquosos Nuckii a ramo arteriæ carotidis interno originem trahentes, atque tunicam corneam perforantes, transitum invenisse judicabat. Verum enim vero non una hæc sententia, rite si æstimatur, difficultate premi videtur, quæ, ut calculum ei adjiciam, impedit. Utut enim nihil habeam, quod veritati viæ opponam, pro præsenti tamen negotio absolvendo eamdem deprehendo minus accommodatam. Primum

mum enim difficile intelligitur, quomodo cerebrum putrefactum vel tamdiu intra cranii cavitatem consistere potuerit, usque dum illud per ductus hosce sat certe angustos, mediante putredine præterea aperiendos, in tanta copia transire valuit, quanta ad expansionem necessaria fuit, vel ita etiam disponi atque dirigi, ut hiatus horum ductuum intrare valuerit. Ulterius ductibus hisce adversatur, quod oculorum tunicæ in primæ expansionis initio, versus ossa orbitas constituentia fortiter fuerint adactæ, quo ipso ductus etiam aquosi propter situm suum tantam insimul passi sunt compressionem, ut cerebri liquefacti tantam copiam, quantam prima expansio postulabat, ad cavitates oculorum nulla ratione transmittere potuerint. Quibus porro accedit, quod facto tunicarum extra orbitas progressu, hi ductus ab aere ambiente adeo corrugati fuerint atque coarctati, ut ultima extensione facta, cerebro eosdem putrido exitum permisisse, credi omnino nequeat. Quodsi tandem perpendo, quod ipse *Nuckius* fatetur *tract. de ductibus ocul. aqu. p. m.* 109. extremitates ipsorum in tunica cornea, valvulæ in modum se habere, simili fere modo, quo ureteres in vesicam urinariam exeunt, majus adhuc sententia mea acquirit robur, per ductus modo dictos cerebrum putrefactum ad cavitates oculorum neutiquam potuisse deferri. Pervulgatum enim est, ductuum ejusmodi orificia in cavitates hiantia, repletis atque nimium expansis cavitatibus, ita tandem comprimi, ut ne guttula quidem in cavitates stillare amplius queat. Quapropter si vel initio hac via cerebrum putrefactum oculorum cavitates intrare potuisset, facta tamen ampliori post earumdem expansione, ob coarctationem nimiam ulterius huc defluere nequivisset. Cum itaque tot difficultates se offerant, quæ indicatam viam non dubiam solum sed & plane ineptam reddunt, viri hujus celeberrimi opinioni me adjungere, haud satis tutum judico. Multo minus autem istorum sequi castra placet, qui cerebrum putrefactum, quacumque ratione ad orbitas delatum fuerit, ipsam texturam tunicarum oculi laxam atque in cadavere facile destructibilem penetrasse, atque sic bulbi cavitatem ingressum esse arbitrantur. Nullo enim vel probabili argumento veritas hujus sententiæ stabiliri atque confirmari, sed potius ex ipsa tunicarum expansarum indole facili negotio convelli potest. Ut enim taceam, destructionem tunicarum facilem, quæ supponitur, nondum probatam esse, cerebrum putridum hac via ad oculorum cavitates non pervenisse, inde satis apparet, quod, si tunicæ ulla & vel minima ratione perforatæ fuissent, foramina ista, post tantam earumdem extra orbitas protrusionem, necessario vel conspicienda fuissent, vel saltem effluxu aut stillicidio materiæ distendentis semetipsa prodidissent. Nihil autem horum observatum esse, ii satis testantur atque confirmant, qui plus simplici vice diversisque temporibus singulare hocce contemplati sunt phænomenon, ipsaque prominentiarum rigiditas perpetua & constans, ac in hunc usque diem conspicienda, quæ hac ratione persistere non posset, satis refellit. Præterea si vel maxime cerebrum putrefactum ad orbitas usque progressum fuisset, tunicæ tamen scleroticæ

ſoliditas atque tenacitas aliquamdiu id detenuiſſet, nec tam promptum atque expeditum tranſitum ipſi permiſiſſet. Cum autem fluida in progreſſu impedita eo lubentius tendant, ubi minorem obſervant reſiſtendi vim; credendum merito eſt, cerebrum putridum per adnatam potius ſibi aperuiſſe viam, quam ſcleroticæ firmitudinem diſſolviſſe, cum adnata tenuitate ſua tantum quantum ſclerotica obſiſtere & repugnare nequeat. Quæ cum ita ſint, ſatis manifeſtum eſſe puto, inter omnes, quotquot indicavi vias, eam veriorem deprehendi, qua e cranio per nervi optici canalem, & ſigillatim intra hujus nervi & tunicarum interſtitium ad oculos tranſiiſſe cerebrum dicitur.

Sic igitur de cauſa ſingularis hujus phænomeni ſatis ſuperque dictum eſt, dilucideque quoad fieri potuit, via commonſtrata, quæ putrefacto cerebro ad oculorum cavitates conceſſit tranſitum. Proximum eſt, ut inquiram, unde factum ſit, quod oculorum tunicæ tantam admiſerint extenſionem, citra quod vel ruptura quædam inſequuta, vel corruptio putredinoſa oborta ſit. Utrumque enim levi negotio evenire potuiſſe, in dubium trahere nemo poteſt, qui conſiderat partim, tantam in hoc caſu obſervari elongationem ut niſi αὐτοψία luculentum veritatis teſtimonium perhiberet, vix citra rupturam præſertim in cadavere animo concipi poſſit: partim etiam perpendit, in cadavere, quod putredo totum occupavit, natam illam eſſe atque productam. Quas binas circumſtantias dum mecum reputo, ſufficientes hujus rei cauſas reddere poſſe mihi videor. Quantum enim ad prius, quid impediverit, quod elongationem ruptura non ſequuta ſit, obſervo 1) tunicæ ſcleroticæ ſoliditatem atque duritiem multum hic valuiſſe. Omnibus enim ſatis perſpectum eſt, tunicam hanc, utpote duræ matris ſobolem, ex tendineis atque robuſtis conflatam eſſe fibris. Cum autem fibræ tendinoſæ ſatis valide humoribus expandentibus reſiſtere queant neque adeo facile dilacerentur, continui quoque ſolutio in hac membrana tam cito contingere non potuit, quam id in carnoſis partibus, quarum fibræ adeo tenaces non ſunt, fieri quotidie obſervamus. 2) Etiam deprehendo ipſum cerebrum reſolutum rupturam prohibuiſſe. Humiditate enim ſua tunicas iſtas initio valde molles reddidit atque laxas, quo expanſionem, a ſenſim affluente cerebro liquido factam, commode ſuſtinere potuerunt. Nemo enim neſcit, membranas humore quodam perfuſas & emollitas citra ruptionis periculum mirum quantum extendi poſſe, uti vel ex ſimplici illo experimento corii aqua ſufficienter humectati & madefacti evidenter apparet. Hiſce accedit 3) quod tunicæ oculorum in hoc ſubjecto non una vice ad tantam longitudinem progreſſæ ſint, ſed expanſio iſta temporis demum ſucceſſu ad id, quod conſequuta eſt, faſtigium, perducta ſit. Unde fibræ longe facilius locum dedere extenſioni, quam ſi materia in tanta copia uno impetu ad eaſdem fuiſſet delata atque devoluta. Quibus 4) hanc adhuc adjicio conjecturam, quod tunicæ oculorum forte, quoad totum nervi optici tractum una ambiunt, inſimul fuerint tenſæ atque elongatæ, ut itaque poſitis omni-

omnibus hiſce circumſtantiis, rupturæ tam facile locus eſſe non potuerit. Quod alteram attinet quæſtionem, unde factum ſit, quod elongatio a putredine non fuerit cohibita, ſequentes reor obſtitiſſe cauſas. 1) Quod oculorum tunicæ quatenus membranaceæ ſunt naturæ, ordinario ad putredinem non adeo proclives ſint, cum fibræ, ex quibus conflatæ, duræ ſint atque robuſtæ. Confirmant enim hoc evidenter brutorum cadavera aeri libero ſemper expoſita, quorum quippe oſſa, omni licet carne denudata, non perioſtio ſolum diu adhuc cincta, ſed & mediantibus membranis atque ligamentis multo poſt inter ſe invicem cohærere deprehenduntur, manifeſto indicio quam fortiter membranæ putredini reſiſtant. 2) Quod aer expanſiones haſce ambiens cerebri intus detenti humiditatem ſenſim abſtulerit, & ſuperveniente frigore autumnali & hyemali ipſas membranas quodammodo induraverit.

Ultimo denique loco id penſitari quoque meretur, unde factum ſit, quod ſingulare hocce phænomenon in unico tantum ſubjecto, nec in reliquis eodem tempore ſuſpenſorum furum cadaveribus fuerit conſpectum, cum allegatam tamen cauſam atque viam in illis etiam locum habuiſſe nulla ratione negari queat. Aſt ingenue fateor, omnibus licet circumſtantiis probe ponderatis atque inter ſe comparatis, nullam tamen me deprehendiſſe rationem, in qua pedem tuto figere potuerim. Quodſi tamen veritati congruum, quod a quibuſdam, qui ſuſpenſum hunc furem, dum vinculis conſtrictus fuit, viventem ſæpius viderunt, accepi, ipſum habitu corporis pingui atque obeſo præditum fuiſſe, adeoque temperamento gaviſum procul dubio phlegmatico, colligendum hinc aliquo modo foret, iſtam corporis conſtitutionem huic phænomeno anſam quodammodo dediſſe. Notiſſimum dum eſt, homines temperamento phlegmaticos laxiori & ſpongioſiori gaudere corporis habitu, fibriſque inſtructos eſſe juſto tono deſtitutis, quæ humoribus affluentibus facile cedunt. Quare in hoc ſubjecto prementi atque diſtendenti cerebro fluido locum dediſſe præſumi forte poſſunt. Verum vix a me impetrare poſſum, ut hanc ſolam notabilis illius effectus cauſam arbitrer, ideoque eamdem in medio relinquo, atque eruditorum virorum *tuoque* præſertim exactiori ſubmitto judicio.

Atque ſic, VIR CELEBERRIME, quam foveo de ſingulari hoc phænomeno, breviter expoſui ſententiam. *Tuum* nunc erit, ut ſtatuas, quod vel veritati ſit conveniens, vel a recto diſcedat tramite. Tenuitatis enim meæ ſatis mihi conſcius, lubens largior, me ita fortean veritatem undique non aſſequutum eſſe, ut nulla *Tibi* ambigendi occaſio ſit relicta. Nullus interim dubitavi, in difficili hocce argumento qualeſcumque ingenii vires periclitari, quod ni fallor, dignum eſt, quod in eruditorum notitiam perveniat, a nemine tamen, uti ſupra monui, hactenus publicatum aut excuſſum. Quod reliquum eſt, *Tuum*, VIR CELEBERRIME, favorem atque affectum, quem non præſens ſolum expertus ſum, ſed & litteris humaniſſimis abunde mihi teſtatum feciſti, ut & impoſterum mihi integrum

conſerves & intemeratum, obnixe oro quæſoque. Servet *Te* ſummum numen ſoſpitem ſemper atque incolumen, quo orbis eruditus plures lucubrationum *tuarum* fructus, quos boni omnes avide expectant, quamprimum percipiat. Vale academiæ juliæ & univerſi orbis litterati ornamentum decuſque ampliſſimum! meque favore *tuo* nunquam dedignare. Scribebam Roſtochii. Calend Mart. A. R. S. MDCCXXIX.

FINIS.

DIS-

*Tab. VII.*

*Disp. chirurg. Tom. I. BURGMANNI DE SING. TUNIC. pag. 270.*

XIV.

# DISSERTATIO MEDICA,

DE

# ECTROPIO

*QUAM PRÆSIDE*

JOAN. ZELLERO,

*M. D. &. P. P. P. Pro Doctoratu*

DEFENDET AUTHOR

EGIDIUS CRATO KECK

*HEYDENH.*

Tubingæ die 17 Octobr. anno 1733.

# PRÆFATIO.

*Gliscit non modo sub cineribus, sed in apertam quoque flammam erumpit denuo quæ magna olim cum animorum contentione agitata fuit lis de cataracta membranacea; paucis enim abhinc annis novum se prodidit antagonistam Dom.* PETIT, *Med. D. Parisi. & societatis regiæ, quæ floret ibidem, scientiarum sodalis, anatomicus acutissimus & in capitis præsertim dissectione versatissimus, calculumque adjecit album non modo decantatis antecessorum celeberrimorum argumentis, sed novis etiam rationibus, è situ maxime lentis crystallinæ, regionis, sive cameræ, oculi posterioris angustia, methodo ordinaria operationis cataractæ, & defectu signi cataractæ membranaceæ pathognomonici petitis suam stabilire sententiam, insimul vero etiam novam suam cataractas crystallinas deponendi encheiresin confirmare annisus est.*

*Nondum inciderunt in manus quæ prolixiori ratiocinio passim deduxit celeberrimus idem vir in diversis schediasmatibus, cum societate regia scientiarum communicatis, neque obtinuimus adhuc aliorum objectiones atque vindicias, quarum partem recensent acta eruditorum Trivoltiensia. Ipsa tamen sola* PETITI epistola, *Lutetiæ Paris. anno* 1729. *impressa*, in qua crystallinus uveæ proximus demonstratur & nova afferuntur argumenta, operationem cataractæ concernentia, *& nonnulla pariter in diario eruditorum Galliæ (Journal des Savans) quod contractiore forma prodit Lugduni Batavorum obvia plurimis & nostris reflexionibus materiam præberent longe copiosissimam.*

*Verum enim vero cum arduum hoc thema peculiarem atque profundiorem mereatur discussionem, itaque bina sequenti historia si non dirimere litem, illustrare saltem conabimur, solo veritatis amore & promovendi pro viribus litterarum incrementi ardore pellecti atque incensi. Mulier à biennio fere cæca, capite plexa anno* 1717. *in theatro Tubingensi anatomico publice secta ab illustri Domino Præside & demonstrationibus operationum chirurgicarum subjecta abs dexterrimo quodam chirurgo gallo, Mons.* PINÇON *exhibuit in utroque oculo pelliculam tenuem fusci & ad nigredinem declinantis coloris, magnitudine obolum, certe lentem longe superantem, pupillæ anterius, in camera oculi anteriore, obtensam, corneæque prope circulum ejus internum tenaciter affixam, quam* αὐτόπτης *tunc excellentissimus Dn. D. & Prof.* MAUCHARTUS *juxta cum aliis quam plurimis medicinæ studiosis, miratus litteris mox mox consignavit, illustris v. Dn. D.* ZELLERUS, *biduo maceratam in aqua fontana, ulteriore discursu domi studiosis illustravit, exsiccatamque in hunc usque diem asservatam mihi commonstravit.*

*Non diffitetur excellentissimus Dn. D.* MAUCHARTUS *concurrisse in illo subjecto vitia quoque crystallini ac vitrei; scilicet in sinistro oculo gryseum cinericiumque crystallinum, vitreum subnigrum punctulis & consistentia tenaci referentem sperma ranarum: in dextro autem albidas, colorem margaritaceum æmu-*

*lantes maculas crystallini corporis, sive communiter dicti humoris. Neque inficias it, eamdem observationem, postea celeberr.* HEISTERO, *cujus tum fruebatur hospitio & prolixo favore, traditam pluribus oppugnatam fuisse dubiis, quæ tum studiosus & nec anatomiæ oculi, nec controversiæ de cataracta satis gnarus sufficienter diluere haud valuerit. Spem tamen facit proxime reassumendi data occasione idem thema, pressiusque prosequendi citra omne partium factionisque studium. Videant judicentque nunc alii, an detur cataracta membranacea; palpent diu desideratam ejusmodi pelliculam, in camera anteriori obviam. Excogitent, quamlibet, cataractæ pelliculatæ, quam propriis pariter oculis usurpavit olim exc. Dn. D.* MAUCHARTUS *Norimbergæ in ædibus litteratissimi chirurgi* GEISLERI, *explicationem, per me licet.*

*Alter casus sic se habet, quem attente nuper demum elapso mense maio una cum laudato Dn. D.* MAUCHARTO *inspexi ac trutinavi: puer octennis, rustici è pago Wirtembergico Echterdinga, (cujus ager ob lapidum figuratorum copiam dudum curiosis innotuit) sanus vegetusque ante 6. hebdomadas virgis baculisve scindendis intentus, ex repercussione alicujus elasticæ virgæ vehementem accepit ictum super oculum dextrum, unde mox consequebantur dolor insignis, visus obnubilatio, dehinc oculi inflammatio, ut per plures dies nullum distinguere objectum, interim tamen nec lumen ferre potuerit, donec, an ex adhibitis topicis pulveribus præcipue absterfivis, intra palpebras insufflatis, an beneficio naturæ, quietis & caloris, nescio; successive pleraque mitescerent symptomata, excepta visus obscuratione, qui in hunc usque diem ferè totus est abolitus. An aliqua sanguinis vel puris extravasatio in oculi anterioribus, cameris scilicet sic dictis oculi, aut gravior aliqua corneæ vulneratio & exulceratio hanc exceperint injuriam externam, puer, & qui hunc adduxerat artium magister, parochi filius, nesciunt.*

*Inspectus uterque oculus e longinquo mox præbuit indicium, uter sit affectus; dexter enim naturalem quidem magnitudinem & conformationem, atque iridis naturalem fuscum colorem pariter exhibuit, ast in cornea extus, paulo ad latus quasi internum centri comparuit tenuis macula albida, quam Græci νεφέλην id est nubeculam, nebulam, appellant, procul dubio vestigium inflicti olim ictus, in pupilla vero incuneatum corpus peregrinum ex albido dilutum, quasi cyaneum, quod totam fere dimensionem pupillæ replevit, nisi relictis in peripheria, bino maxime infra loco, exilissimis interstitiis, naturalem ibi pupillæ constitutionem & permeabilitatem testantibus, atque reflexum per eam naturaliter colorem nigrum e fundo oculi sistentibus. Corpus itaque hoc albidum, e camera oculi posteriore prodiens ipsum foramen iridis naturale, pupillam, infarciens, aliqua sui portione, acuminata quasi, & in apice condensata, ad colorem albidum saturatiorem vergente, prominebat in cameram usque anteriorem & motum fluctuationis exprimebat manifestissime, præsertim à frictione oculi, palpebris clausis facta, & subito deinde apertis diductisque, ubi simul aliqualis adhuc pupillæ, sed naturali multo segnior tonus & contractibilitas observabatur. Pupilla rotunda est, non lacera, naturalis diametri. Nullius objecti sive proxime, sive remotius*

*tius adhibiti est perceptio, sed luminis saltem & tenebrarum aliqualis sensus, ut obversam oculo manum digitosque ex umbra & aliquali inducta obscuritate potius, quam distincte percipiat. Cætera sanus est puer vegetusque, imprimis nullo nec oculi, nec capitis affligitur dolore.*

*Anne hunc affectum ad empyesin, i. e. suffusum in camera posteriore pus? Anne ad cataractam crystallini lacteam? Aut numne ad laceratam, in glomerem convolutam & incrassatam referent tunicam crystallini arachnoideam; quem alii veram incipientem, phlegmaticam, declaraverint membranaceam cataractam, cujus in hoc casu diagnosis non adeo sit obscura? Sed spinosam hanc ego quidem mitto controversiam, & ad præsens me confero aliud thema ocularium, quod à nemine hactenus, quod sciam, ex professo fuit excussum; quod igitur, manuducente excellentissimo Dn. D.* MAUCHARTO, *qui sicuti fidelissimam & faventissimam in me erudiendo in genere navavit operam; ita in specie privatissimo me dignatus est collegio ophthalmiatrico eoque amplissimo, pro viribus excolere, sub divina benedictione, allaborabo.*

---

## CAPUT I.

*Phænomena antecedanea, constituentia, consequentia tradit.*

PErtexemus primo telam morbi historicam, & arbitraria quidem illa methodo, in cujus laudes jam non diffundemur, ut sub recensione phænomenorum antecedentium causas morbi, quas scholæ medicæ vocant proegumenas sive antecedaneas atque procatarcticas sive occasionales primum enarremus, atque sic quæ ex quibus oriantur, quæque sint hic etiam morborum successiones; oculari exhibeamus specimine. Pedem dehinc proferemus ad ea, quæ morbum vel proprie constituunt, vel comitantur saltem phænomena, sive, quæ communiter audiunt, signa morbi diagnostica & pathognomonica, differentiam item specificam ab aliis affectibus similibus. Agmen denique claudent phænomena consequentia, quæ alias sub prognosticorum censu & titulo medici solent complecti.

PHÆNOMENA igitur ANTECEDANEA e censu medicorum rerum naturalium sunt: *Ætas* virilis, senilis, quæ vel partium molliorum successivam indurationem & obrigescentiam, vel fluidarum incrassationem, stypticitatem, inertiam, copiam important. *Temperamentum* sanguineo-phlegmaticum, quod, uti in toto habitum infert succulentum, plenum, turgidumque, ita nimio pariter ad oculos palpebrasque præsertim confluxu, & lentiore circulo sanguinis variam ectropio pandit viam. *Sexus* sequior, cui lacrymæ pro armis sunt, & qui hinc aliquos sibi quidem vindicat oculorum morbos præ viris, in respectu tamen ad ectropium nullam hactenus fuit observatus exseruisse specialius synergiam. Ita rarius quoque contingit, ut *dispositione hæreditaria*, & prava gravidæ matris imaginatione, qualis in labio le-

porino e. g. cudendo ſatis frequenter efficacem ſe monſtrat, ectropium transferatur in embryonem &, ceu congenitus in lucem efferatur morbus.

E numero rerum, ſic dictarum, nonnaturalium primo loco ſtat *aër*, qua vel frigidus, ſtringens, incraſſans, ventoſus, borealis, exſiccans, irritans, vel laxus, humidus, paludoſus, locorum paluſtrium, ſubterraneorum, uliginoſus, vel denique calidus, fervidus, exurens in atmoſphæra particulari; unde huc ſpectant vitæ genus, certa opificia, eorum qui metallurgiæ, arti vitrariæ &c. operam navant, fortiſſimoque perpetim ſubjiciuntur igni, requiritur autem uti valida, ſic etiam diuturna & frequens actio aëris, diverſimode, prout dictum eſt, modificati.

Cibus & potus quomodo & quantitate & qualitate peccantes remotiſſime & generaliter concurrant, ſanguinem vel incraſſando, vel acribus ſalinis particulis inquinando, prolixe haud explicabimus. *Vini* tamen frequentem abuſum in perſonis ſanguineis non parum contuliſſe novimus. *Vigiliæ*, lucubrationes immodicæ, &, inter res non-naturales & præternaturales media quaſi ſtant, *medicamenta* ocularia topica, incongrua, modo tunicam palpebrarum conjunctivam nimis relaxantia, modo cutem palpebrarum, inferioris præcipue, nimis condenſantia, adſtringentia, detrahentia, modo acriora, irritantia, affluxum concitantia & hyperſarcoſin internæ palpebrarum tunicæ, qualis mole ſua palpebram inferiorem extrudit & evertit ſucceſſive. Tam delicata ſcilicet eſt oculi therapia! tam verum eſt, oculum & famam non pati luſum! Innumerus eſt medicamentorum ophthalmicorum numerus, nulla fere familia eſt, quæ non ſpecifica jactet collyria expertiſſima. Sed delectus, ſed applicatio individualis lapidem conſtituit lydium, quo dogmaticus ophthalmiater dignoſcitur ab empirico. Hinc ſenſu non ſaltem pharmaceutico & poſitive, ſed & ſubinde privativo nihilum conducit oculis: *nichts iſt gut vor die augen*!

Pulvis foliorum tabaci errhinus, qui præſenti ſæculo, pica narium epidemica laborante, in tantum degeneravit abuſum, ut plurimos ejus amaſios nec libere loqui, nec profundos cogitationum nexus evolvere, nec dulcem inire ſomnum, imo ne ſpirare quidem poſſe videas abſque hoc narium condimento, vel calcare potius, is inquam pulveris abuſus, uti plurimas fluxiones concitat oculares, hippum palpebrarum &c. ita in ſpecie ectropio, remote quidem, producendo, ac exaſperando ſuam contuliſſe ſymbolam meminimus.

Res præternaturales, *Ophthalmia* frequens, chronica: *Hygrotes* ſive humidi lacrymalis abundantia oculique nimia perpetuaque humectatio, *wann denen kranken die augen immer voll Waſſer ſtehen*. *Epiphora*, ſive illacrymatio involuntaria. *Hyperſarcoſis*, *ſarcoma*, *abſceſſus*, vel *cyſticus* quidam *tumor* internæ palpebrarum ſuperficiei, qui ſuper ipſos tarſos eminentes & gravitantes palpebram, inferiorem maxime, recurvant, deprimuntque extrorſum. *Exophthalmia*, ſive procidentia oculi. *Fungus oculi* benignus, vel malignus

lignus ſive cancroſus. *Encanthis*, ſive caruncula lacrymalis excreſcentia, moleſque notabilis.

Afficiunt hi morbi palpebras ab interno potiſſimum latere. Verum enim vero iliacos intra muros peccatur & extra. *Gutta* nimirum *roſacea*, cuti palpebræ inferioris, quæ reliqua faciei cute multo tenuior eſt per naturam, non modo ruborem infert præternaturalem ſed & notabilem craſſitiem, atque tenſionem, vi cujus palpebræ limbus ſucceſſive detrahitur & interna ſuperficies extrorſum vertitur.

Similem, ſed efficacius promptiuſque vim inferunt *aduſtio*, *combuſtio*, & hinc pendens exſiccatio & corrugatio cutis palpebræ tam ſuperioris quam inferioris, ab igne vel actuali vel potentiali; ſive & alia quæcumque ejuſdem cutis *profundior*, *ſtrictiorque cicatrix*, cum ex abſceſſus, fiſtulæ, vulneris ſive improvidi, caſualis, ſive artificialis, ſtudio inflicti ad extirpandum e. g. tuberculum, tumorem, verrucam ſeſſilem, conſolidatione, & ſubſtantiæ cutis, per ſarcotica non ſatis reſtauratæ, nimia deperditione, cutis illa palpebræ ſuam amittit naturalem dimenſionem, flacciditatem atque mobilitatem. Unde in fiſtulæ lacrymalis ſectione ac aduſtione ſyrtes hæ ſollicite ſunt vitandæ; nec tamen muſc. orb. & cutis palpebrarum in angulo interno reformidanda nimis eſt læſio & diviſio, quam accuſaverunt olim ſine fundamento ectropii cauſam, quin potius nimia cutis palpebræ inferioris ablatio, & præcox improvidaque adſtrictio atque conſolidatio. *Vulnera*, *ulcera*, quæ totam palpebræ ſubſtantiam pervadunt, ſolutionem continui perpendicularem inferunt, ut diviſæ hiantiſque palpebræ labia ſucceſſive recurventur ad extus; quo reſpectu huc etiam ſpectat *Coloboma* ſive mutilatio palpebræ, ab inſtrumento lædente, ſcindente, amputante, vel ſuppuratione, gangræna, ſphacelo. An a *muſculi palpebram ſuperiorem attollentis ſpaſmodico-convulſiva retractione* poſſit ſoleatque aliquando, e nonnullorum mente, fieri ectropium, non theoreticæ ſaltem diſcuſſioni relinquimus, ſed practicæ etiam in futurum commendamus obſervationi.

PHÆNOMENORUM CONSTITUTIVORUM & CONCOMITANTIUM primum eſt atque primarium, quod ex ipſa hauritur etymologia: ectropium enim Græcis ἐκτρόπιον, ίȣ, τὸ, vel ἐκτροπὴ, ῆς, ῇ, derivatur ab ἐκτρέπω, averto, declino, ἐκτρέπω, à præpoſ. ἐκ vel ἐξ, ex, & τρέπω verto; hinc latine redditur *Everſio* palpebrarum; gallis vel in genere *Eraillement* des paupieres, vel in ſpecie *Renverſement* de la paupiere inferieure vocatur, & germanis, *Uberſtülpung der Auglieder*, *überworffene*, *vertehrte Auglieder*, *ein Plarr-Aug.*

Audiamus veterum deſcriptiones & definitiones, quæ nobis in ophthalmiatria debent eſſe pro cynoſura: noſtrum enim non eſt, citra urgentem neceſſitatem, novos in medicina cudere terminos, ſed veteribus uti.

HIPPOCRATES quidem diſertam haud facit mentionem hujus affectus; ſunt tamen qui verba illa libelli de acie videndi, qui communiter Hippocrati adſeritur, ubi palpebrarum craſſiorum caro præternaturalis leviſſime

resecari infra, & minime candentibus ferramentis inuri præcipitur, huc trahant, admodum obscura quidem & æquivoca ad ectropium applicatione. CELSUS autem [a] sic habet: ut superioris palpebræ vitium est, quod parum descendit, ideoque oculum non contegit, sic inferioris, quod parum sursum attollitur, sed pendet & hiat, neque potest cum superiore committi. Atque id evenit quoque interdum ex simili vitio curationis (confer verba superiora celsi C. VI.) interdum etiam senectute, ἐκτρόπιον græci vocant. GALENUS [b] ita definit ectropium: est subortus carnis in palpebra quæ sua gravitate palpebram foras evertit. Cur autem palpebra evertatur, causa est, aut carnis superexcrescentia, aut paralysis, aut cicatricis obductio sive coitio. PAULUS ÆGINETA [c] quemadmodum affectus palpebræ superioris, lagophthalmon dictus, sic in palpebra inferiore fit ectropium, nisi quod hoc naturaliter non evenit, sed interdum ex relaxatione, vel adustione parum dextre administrata EVERTITUR palpebra; & alibi [d] idem inquit author: hic affectus, eversio est palpebræ, aut propter cicatricem, aut carnis superexcrescentiam factus.

ACTUARII descriptio nulla re differt ab antecedentibus, dum ectropium fieri contendit propter carnis excrescentiam (ὑπερσάρκωσιν) aut palpebræ non recte curatæ cicatricem. Nam cum palpebræ affectæ extrema ad se convellant, faciunt ut non probe coalescant, nec commitantur.

Recentiorum definitiones afferre supersedemus, quod vel eædem sunt cum modo allatis veterum, vel erroneæ, vel confusæ. Alii enim falso definiunt ectropium, quod sit carnis excrescentia in palpebra, qualis tamen sæpius observatur etiam sine palpebræ eversione, &, si vel maxime hæc accidat ὑπερσάρκωσις una cum ectropio, hujus tamen causa potius est efficiens, quam formalis, nisi quidem eversam ejusmodi palpebram, rubentem inepte habuerint pro excrescentia, quam aliqualiter mentitur ob rubedinem & vasorum turgescentiam. Tangit hæc reflexio ipsum quoque Galenum, respectu & supra allatæ definitionis ectropii, & alius in isagoge traditæ de illo palpebrarum asperiorum affectu, qui pachytes audit, ubi prædicatum eversionis palpebræ, sive ectropii, non est censendum de essentia pachytis, quemadmodum crassities palpebræ præt. nat. non est phænomenon constitutivum ectropii, quamvis subinde soleat esse concomitans. Alii confundunt *ectropium* cum *entropio*, atque τὸ Græcorum medicorum ἐκτρέπεσθαι reddunt indiscriminatim modo per everti, modo per inverti, cum tamen distincti sint affectus, ratione vel eversionis foras vel inversionis intro.

Alii etiam misere intricant notiones *ectropii* & *lagophthalmi*, quas tamen sollicite distinxerunt veteres vel hinc, quod lagophthalmon vel lagophtalmus sit affectio & vitium per nativitatem contractum, sive congenitum, ectropium

[a] Corn. Celsus de medicin. L. VII. cap. 7.
[b] Galenus in definit. medicis.
[c] Paulus Ægineta med. totius enchirid. lib. VI. cap. 12.
[d] Id. l. III. cap. 22. cui titulus περὶ ἐκτροπίου.

pium vero (ſaltem ordinario, καθ' ἐξοχὴν) affectus præternaturalis per ætatem demum acquiſitus.

Alii denique, præeuntibus quidem ipſis veterum nonnullis, abſque ſufficienti nec rationis, nec experientiæ fundamento, ectropium ſoli vindicant inferiori palpebræ; quamvis enim longe frequentius occurrat in palpebra inferiore, non tamen excluditur ſuperior, præſertim ſi laxiore ſignificatu cum nonnullis autoribus illam quoque ectropii ſpeciem admittamus, cum vulnere perpendiculari diviſa palpebra hiat, & quaſi labium efficit leporinum, quod vocant, in labio oris ſuperiori obvium.

Hanc itaque nos proponimus ectropii definitionem, quod ſit morbus conformationis palpebræ vel ſuperioris, vel inferioris, ob quem palpebra, maxime inferior, evertitur, extrorſum reflectitur, retrahitur, detrahiturque, ut per conſequens utriuſque palpebræ limbi non amplius debite committantur, nec oculus perfecte contegatur. Everſionis autem modi graduſque varii ſunt: vel enim palpebræ, inferioris potiſſimum, ora atque tarſus detrahuntur, defigunturque aliqua ſaltem ſui parte, in medio, vel circa extremitates, roſtrum quaſi lampadis vel ſulcum efficientia, vel ſi proxime circa angulum alterutrum fiat particularis ejuſmodi retractio & depreſſio palpebræ, declivem quaſi foſſulam efformantia; vel ſi concurrat ſolutio continui, vulnus perpendiculare, labia vulneris inſtar labii leporini hiantia, utraque, vel alterutrum modo extrorſum atque verſus baſin palpebræ decurtantur, ſcilicet in palpebra inferiori deorſum, in ſuperiore ſurſum: vel, quod ſatis frequenter accidit, tarſus atque palpebræ limbus interior in totum extravertuntur. Dum vero ſuperficies interna tarſi palpebræque dictis evertuntur modis, duo ſe manifeſtant alia phænomena, inſeparabilia fere, alterum qualitatis, alterum excretorum ſymptoma: ſcilicet *rubor* miniaceus, coccineus externe comparens in palpebra everſa, iſque vel naturalis ille tunicæ palpebrarum conjunctivæ, vaſculoſiſſimæ, & naturaliter rubentis, vel præternaturalis auctus e congeſtione & ſtaſi ſanguinis: tum *illacrymatio involuntaria*, humidi lacrymalis ſuper genam effuſio, vel ſaltem *hygrotes*, nimia oculi perfuſio ſeroſa. Quod utrumque ſymptoma formoſitatis gratiæ haud parum derogat.

Comitantur aliquando & conjunguntur ophthalmia, pachytes, ſarcoma, ſive hyperſarcoſis internæ palpebrarum ſuperficiei, pſorophthalmia, exophthalmia encanthis, palpebrarum cutis calloſa, inflammata &c. prout e recenſione cauſarum antecedentium ſuperius facta, patet. Ex hactenus dictis jam ſponte fluit differentia ſpecifica ectropii, à carne luxuriante, fungoſa, ſarcomate, quod è pariete interno palpebrarum excreſcens totum ſæpe tarſum ſuperat, & in limbo palpebræ protuberat rubetque, ſed quamdiu palpebram non evertit, ectropii nomen haud meretur. Ita quoque pachyten facile licebit diſtinguere ab ectropio, quoniam in pachyte, qua tali, nulla pariter occurrit everſio palpebræ.

Differentia vero *lagophthalmi* & *ectropii* altius eſt repetenda. Lagophthalmum,

mum, vel lagophthalmus vi nominis etiam, denotat talem affectum oculi, quo ſuperior palpebra retracta oculum, dum clauditur, totum non contegens [*e*] oculos ſic dormientium leporum refert. [*f*] Duas conſtituimus hujus ſpecies: unam *naturalis*, alteram *præternaturalis*; illam vocantes, cum à nativitate ortus congenituſque hicce morbus in dormientibus ſaltem occurrit, qui vigilantes ergo poſſunt oculum pro lubitu arctiſſimeque claudere; atque ſic nullum plane his incommodum affert, adſuetis ſcil. ab incunabulis ita ſomnum capeſſendi. Veroſimiliter hoc affectu laboravit Tobias ſenex; unde delaſſatus ſomnum iniens profundiorem ſupinus procul dubio in ſcamno jacens, deciduum in hiantes oculos hirundinum ſtercus calidum atque cathæreticum expertus, leucoma hinc contraxit & cæcitatem. Alteram præternaturalis lagophthalmi ſpeciem hanc determinamus, cum palpebra ſuperior vel alterutra vel utraque, non modo ſomni tempore, ſed interdiu quoque retracta perſtat, ut, quantumvis vellet, non poſſit tamen oculum operire ægrotus, idque potiſſimum à cauſis per ætatem ſupervenientibus morbificis variis, majorique cum moleſtia; unde concludimus ectropium differre à lagophthalmo ſpecifice. 1. Quatenus, licet in ectropio palpebræ ſuperioris pariter fiat, ut oculus in totum obtegi nequeat, atque tunc omnino lagophthalmus ex ectropio naſcatur, lagophthalmus tamen ex aliis variis cauſis & multo frequentius abſque ectropio ſive everſione palpebræ contingit. 2. Ectropium à potiori competit palpebræ inferiori, lagophthalmum vero morbus eſt palpebræ ſuperioris proprius. 3. Lagophthalmum ſæpe eſt vitium connatum, ectropium vero rariſſime.

Si quis tamen palpebræ ſuperioris ectropium ad ſpeciem lagophthalmi præternaturalis, authoritate nonnullorum veterum inductus referre malit, ei bellum ideo non indicemus litterarium; neque hinc etiam adeo ſcrupuloſe gallorum *l'Eraillement* des paupieres & le *Renverſement* de la paupiere inferieure excutiemus, an partim illud vocabulum in ſpecie potius ſignificet difformitatem, quæ palpebris è continui ſolutione, vel cutis, vel tarſorum accidit, an vero in genere, habito reſpectu ad bulbi oculi denudationem, cum & palpebrarum ſtructura vitiatur, continuitas ſolvitur, conformatio pervertitur, quantitas imminuitur, & oculus quaſi denudatus, ſufficienter haud obtectus, è ſinu orbitæ proſpicit. Partim le renverſement de la paupiere inferieure ſtricte & unice conſtituat ectropium, diſtinctuſque ſit affectus ab altero, l'eraillement dicto? Supra certe jam monuimus, illam palpebræ, ſive ſuperioris, ſive inferioris, ſolutionem continui, licet difformitatem organi viſus & illacrymationem pariter efficiat, non tamen mereri, ſtricte loquendo, titulum ectropii, niſi ſimul actualis palpebræ concurrat everſio, ſi non totalis, ſaltem partialis, & incompleta.

Supereſt, ut aliquam adhuc mentionem faciamus illius palpebrarum perverſionis, quæ tarſos extremamque palpebram verſus interiora, ſive verſus bul-

[*e*] Eſt hæc galeni definitio in iſagoge.
[*f*] Juxta Plinii & aliorum naturæ myſtarum obſervationes.

bulbum dirigit, & incurvat, quamque ideo vocare licebit *entropium*, ab ἐν in & τρέπω verto, quando palpebra, inferior utplurimum, invertitur, ſive introvertitur. Contradiſtinctus ectropio affectus, in quantum non modo aliam & verſus interiora perverſionem palpebræ ſupponit, ſed aliis etiam ſtipatur ſymptomatibus. Realem hanc diſtinctionem acceptam referimus celeberrimo Woolhuſio, qua neglecta, atque ab ipſius anteceſſoribus, imo & recentiſſimis ophthalmiatris non intellecta, vel ſaltem non enodata luculenter, dolenda magis magiſque invaluit confuſio.

Factum hinc eſt, ut cætera taceam, quod aliqui entropium retulerint inter trichiaſis ſpecies, cum tamen entropium poſſit ſoleatque abſque conjuncta trichiaſi accidere, quamvis aliquando ita invertatur tarſus, ut pilorum ciliarium apices introrſum reflectantur atque dirigantur, oculumque compungentes veram trichiaſis ſpeciem efficiant.

Sed mittimus ulteriorem & plenariam entropii conſiderationem medico-chirurgicam, atque pro complemento hiſtoriæ ectropii jam ſubjungimus.

Phænomena Consequentia: Si *fœditatem* extraverſæ & prominentis rubellæ interioris tunicæ palpebrarum, atque frequentis illacrymationis incommodum excipiamus, parum eſt, de quo vel conqueratur vel ſibi metuat æger, niſi quidem ingraveſcente malo nimis denique detrahatur palpebra inferior, & rebelles oculo concitentur fluxiones, vel, ſi palpebra ſuperior patiatur ectropium, *bulbus* nimium denudetur, variiſque *externis exponatur injuriis*, fumo, pulveri, vento, validiſſimis ſolis radiis. Facile ſubſequitur utrinque per moram, aut perverſam tractationem, ophthalmia, niſi jam præceſſerit & adhuc concurrat, *tyloſis*, ſive calloſitas palpebræ, *ſycoſis*, ſive ficoſitas, *pachytes*, craſſities palpebræ præternaturalis. Curatio, à potiori loquendo, non tam facile obtinetur, quam vulpes pyrum comeſt, ut ophthalmiatriæ minus ſatagens aureos pollicitus montes nil ferat hic tanto dignum promiſſor hiatu. In ſpecie quod vel *inveteratum* eſt ectropium, vel hominem obſidet *cacochymicum*, *luſcioſum* vel è *profunda amplaque cicatrice* cutis palpebræ vel tarſi, originem trahit, curatu difficillimum eſt, imo ſæpius impoſſibile. Quod ſpectat *vulnera*, *deperditionem ſubſtantiæ* palpebrarum ectropium vel efficientia vel comitantia, hæc quidem annotante Hippocrate, [*g*] & Ariſtotele, [*h*] adſtipulante magna ſequacium cohorte, coaleſcere non poſſe traduntur; quoniam ſint cutes ſine carne. Fallopius tamen & quod plus eſt ipſa experientia ſatis citæ faciliſque ſanationis vulnera palpebrarum teſtantur. Reſtringunt commendatores illud Hippocratis oraculum, palpebraſque ac alias ibidem recenſitas partes, diſſectas non coaleſcere quidem per ſuccretionem carnis vel ſubſtantiæ homogeneæ, coaleſcere tamen atque uniri per aliud heterogeneum [*i*]; an Hecquetii [k] explicatio hujus paragraphi ingenioſa, qua ſupponit, partes



[*g*] Hippocrat. libr. aphoriſm. ſect. VI. §, 19.
[*h*] Ariſtotel. libr. II. de part. animal. c. 13.
[*i*] Vid. Plempius in ophthalmographia libr. V. c. 1.
[*k*] Hecquet. Hippocratis aphoriſ. expoſiti S. VI. §. 19. T. 1. p. 448.

tes ſpermaticas, aliqua ſui portione mutilatas, non augeri amplius, quod ſic ſimul ipſi perierint typi, juxta quos ſucci induant augmenti formam, omnia enim rerum entia ſimul & ſemel fuiſſe in principio creata, an inquam, & quouſque valeat, hoc loco non expediemus, ſed potius ad obſervationem quamdam provocabimus, infra ſubnectendam in therapia, qua certo conſtitit notabile ac inveteratum vulnus palpebræ inferioris ac tarſi feliciter coaluiſſe per augmentum & regenerationem novæ ſubſtantiæ homogeneæ. Topicorum cautus debet eſſe ſelectus: alii enim relaxantia, alii adſtringentia, alii cathæretica, alii emollientia demulcentia &c. conveniunt.

Si radicalis cura non amplius conveniat, de palliativa diſpiciendum eſt. Utrique vero maximum ſemper affert impedimentum continuus partis affectæ mador.

---

## CAPUT II.

*Pathologiam & Ætiologiam continet.*

EXcutienda ſunt *ſubjectum morbi* & *cauſæ*, *morbus*, *cauſa proxima*, *immediata*; explicandus *cauſandi modus*, *ſymptomatumque* reddenda eſt ratio. Dum vero *ſubjectum morbi* hujus *adæquatum* totam in genere palpebram, *principale* oram tarſumque palpebræ nec non *eſſentiale*, quod ſcilicet in ſe habet morbum & cauſam conjunctim, nominamus atque determinamus, cæcus ſit oportet, qui non è longinquo jam proſpiciat evidentem ſummamque notitiæ harum partium anatomico-phyſiologicæ neceſſitatem. Imo vero ſi qua per totum medicinæ ambitum requiritur ἀκρίβεια anatomica & ſedulum minutiarum ſcrutinium, in ophthalmiatria certe poſtulatur. Innumeris hoc effatum ſuffulcire poſſem argumentis ac exemplis, non ſaltem petendis ex oratione inaugurali profeſſoria, quam publice hic olim recitavit excellentiſſimus Dn. D. & Prof. MAUCHART *de minutiis anatomicis*, magnis in praxi momentis, ſed toto etiam collegii ejuſdem ophthalmiatrici privatiſſimi decurſu, lectionibuſque publicis, quas hac æſtate in organorum ſenſuum externorum ſtructuram, uſum & morbos prolixe nobis prælegit idem vir excellentiſſimus. Sed vaſto nimis immergeremur dicendorum oceano; quare non minus circa palpebrarum explicationem anatomico-phyſiologicam vela contrahentes, lectorem remittimus ad ea quæ biga celeberrimorum & acutiſſimorum hodiernorum anatomicorum, Morgagnius [*l*] atque Winslovius [*m*] aliique detexerunt publicique juris fecerunt.

Summis itaque digitis ſaltem attingemus ſtructuram palpebrarum in genere, quatenus primo *integumenta* harum *communia* hoc ſibi vindicant binum peculiare phænomenon, quod *cutem* habeant longe *tenuiorem* atque *laxiorem*, pen-

[*l*] Morgagnius in adverſ. anat. paſſim.
[*m*] Winslow. expoſition. anatomique.

pendulam quasi, quæ scil. motui palpebrarum facilius obsecundet, nec in extantiores statim complicetur rugas; secundo quod in plenioribus & obesis etiam personis, *pinguedo nunquam occurrat*, quæ mole sua palpebras gravet, vel cutis naturalem, modicam complicationem impediat. *Series diversæ musculi orbicularis* abs laudato Winslovio & subtilissimo Santorino, [*n*] evolutæ: palpebræ vero superioris in specie musculus attollens proprius, in suis directionibus, insertionibus, principiis & distinctis usibus &c. non minus attente pensitari debent, ac tarsi palpebrarum, qui summos harum constituunt limbos cartilagineos, quique ceu corpora maxime spermatica veteribus dicta, & elastica, pertinacius recurvantur & difficilius coalescunt atque consolidantur vulnerati. Extus hi *tarsi* obteguntur integumentis communibus ita, ut quo cutis ipsi magis appropinquat limbo tarsi extremo, eo quoque fiat tenuior, & quasi epidermidis instar summum modo tarsi marginem investiat, donec obviam facta tunicæ internæ palpebrarum in hanc desinat atque propagetur.

*Ciliarium pilorum* consideratio tanti non videtur momenti in ordine ad ectropium, majoris autem est, in respectu ad entropium. *Punctorum lacrymalium* sedes ad tarsorum internos limites in angulo interno oculi, perpetuus hiatus: *glandularum ciliarium* situs, orificia excretoria, functio: *tunicæ internæ palpebrarum* connexio cum tunica oculi conjunctiva, albuginea, minimæ glandulæ, vascula sanguinea innumera, maximeque arteriosa; *caruncula lacrymalis* situs, structura, functio &c. Hæc profecto omnia perfecte cognita supponi debent, antequam laudabiles in pathologia progressus facere liceat.

Palpebra itaque quatenus dictas complectitur partes in genere est *subjectum adæquatum* medice dicendum; principale vero ora, limbus palpebræ, tarsus *ordinarium*, palpebra inferior, *extraordinarium*, rarius, palpebra superior. *Subjectum causæ* vel idem ipsum est cum subjecto morbi, cum scilicet morbus & ejus causa in una eademque parte concurrunt atque tunc vocatur, uti jam dictum est, *essentiale*; vel distinctum idque remotum, causa proxima hærente e. g. in caruncula lacrymali, encanthidem enormiorem patiente aut in bulbo oculi prætumido, prolapso. Sic etiam poterit subjectum causæ inhærere alicui saltem parti palpebræ, unde vero tota palpebra in consensum trahatur atque evertatur uti in adustione vel profundiore cicatrice cutis palpebræ; uti in sarcomate tunicæ internæ palpebræ, quod hanc foras protrudat deprimatque.

*Morbus* à potiori ad morbos conformationis pertinet; alterantur enim palpebræ & pervertitur figura, rectitudo regularis, situs; dum vario modo inflectitur, curvatur, detrahitur. Conspirant vero subinde & *morbus intemperiei*, nimia humiditas, nimia acrimonia, inflammatio &c. & *solutæ unitatis*, vulnus, mutilatio, ulcus; imo & aliæ adhuc junguntur species morbi conformationis, e. g. magnitudinis auctæ, vitiatæ internæ formæ, ac superficiei,



[*n*] Santorin. obs. anat.

ficiei, quando incrassescit, induratur, intumescit ipsa palpebræ substantia, ejusque superficies exasperatur.

*Causa proxima & immediata* in diversis casibus diversa solet esse: *crispatio* & *retractio* fibrarum *cutanearum* palpebræ validior constantiorque, ex adustione, cicatrice &c. *Fibrarum muscularium* musculi orbicularis exteriorum maxime, sive ab ora palpebræ remotiorum, *restrictio*, *abbreviatio*, *decurtatio*, *consumptio*. Tunicæ internæ palpebræ, nimia *laxitas*, *humiditas*, infarctus, *turgescentia*, *excrescentia carnosa*. *Bulbus* oculi *prætumidus*, *prolapsus*: *fungus* ex orbita vel oculo protuberans, insignis: & quæ sunt reliquæ superius in censu phænomenorum antecedaneorum & classe rerum præternaturalium jam allatæ causæ. An *resolutio*, *paralysis musculi orbicularis palpebræ inferioris* apta nata sit efficiendi ectropium, problema esto? Unde patet, palpebram vel domestico, proprioque vitio perverti, & fibras ejus deflectere à recto tramite; vel, salvam de reliquo palpebram, extrinseco pondere quasi deprimi; vel alienis in propinquitate compedibus quasi retrahi atque ligari.

Tandem symptomatum rationem reddentibus in promptu est primarii explicatio, illacrymationis puta: sive enim vulnere hiet palpebra, sive depressa sit, sive eversa, sive alio modo recurvata, mirum non est, si aggere hoc naturali vitiato, destructove, lacrymales undæ qua data porta liberius effluant & super genam depluant. Sic pariter si consideremus tunicæ palpebrarum internæ continuitatem cum tunica oculi albuginea, facilis erit explicatio, cur in valde eversa palpebra *variæ* oculi excitentur *fluxiones*. Ob perpetuam nempe tractionem, tensionem, irritationem, quibus accedit præternaturalis libero aëri expositio tam ipsius modo dictæ tunicæ, quam inferioris segmenti tunicæ albugineæ; ob quam ultimam rationem quoque augetur imminens *pachytes* atque *tylosis*. Quam longe etiam facilior sit curatio ectropii, quod recens est, hominemque tenet cætera sanum, quod à causa externa, deprimente, gravante ortum est, quam habitualis, quam illius, quod intrinsecam fibrarum retorsionem habet pro fundamento, tam evidens est, quam quod evidentissimum.

---

## CAPUT III.

### *Therapiam sistit.*

THerapia quidem in genere præcipit rectificationem, restitutionem, erectionem, recurvatæ ac eversæ palpebræ, in specie vero respicere jubet modo ad ophthalmiæ vasorumque infarctus, dissipationem, depletionem; modo hypersarcoseos & tumorum ablationem: modo constrictionis emollitionem vel solutionem cicatricis, modo relaxatæ nimis humidæ internæ palpebrarum tunicæ exsiccationem & adstrictionem modicam: modo vulneris

neris consolidationem debitamque incarnationem: vel tandem, si radicitus tolli malum renuat, palliativam saltem indicationem.

Ophthalmia externa, fluxiones crebræ ad oculum, sanguinis stases, hinc pendentes vasorum infarctus, pro ætatis, temperamenti, temporis, gradus locique conditione, varia deposcunt præsidia atque medicamenta, quæ propter copiam vix licebit exhaurire intra dissertationis hujus cancellos. Erunt vero interne blanda purgantia, phlegmagoga, diaphoretica temperatiora, fixa; sialogoga, errhina, blandiora, resolventia ophthalmica tenuiorum partium, uti lapides cancrorum ppti, ♁ium diaph. mixtura simpl. Ludov. asell. ppti rad. valerian. succin. ppt: specif. ceph. mich. sem. fœn. &c. Fervorem, acrimoniam temperantia, nitrosa, papaveracea, emulsiva, gelatinosa: externe varia collyria, unguenta, sacculi, epithemata è modo enarratis medicamentorum resolventium, temperantium, demulcentium, tonicorum &c. classibus petenda, quorum plurimis palmam quasi præripit cataplasma ophthalmicum è medulla pomi acidi, sub cineribus assati, & pulvere croci, succini ppti camphoræque imbutum, linteo, in multiplices complicato lamellas, compressam dicunt, superextensum, & nudis palpebris, clauso oculo, calide imponendum, sæpiusque repetendum,

E fonte chirurgico conferunt venæsectio pedis, juguli, κατ' ἰξὺν, venæ angularis, arteriæ temporalis sectio, ophthalmoxysis, [o] hirudinum affixio retro aures, ad angulum externum oculi, super ipsas palpebras, ad anum in hæmorrhoidibus suppressis: cucurbitulæ scarificatæ in nucha, dorso, humeris. Vesicatoria in brachiis, in nucha, retro auriculas.

In nimia humiditate & laxitate tunicæ palpebrarum conjunctivæ plurima è modo recensitis conveniunt remedia, si modo tonica, & adstrictiva magis interna jungantur & externa. Interne ♂les tincturæ, croci, ♂, C. C. ust. bol. arm. ppt. ▽ lemn. sigill. spec. diacret. Mynsf. Externe sacculi ex herb. plantag. serpilli, origan. fl. lavend. ros. r. balaust. O crudo, nuce moschata, olibano, mastiche, camphora in vino rubro, ▽ ♀, ▽ ferrarior. & simil. cocti & expressi, calide impositi. Imprimis quoque ophthalmoxysis palpebralis, cum xystro vegetabili tunica interna palpebræ semel iterumque debite carminatur.

Hypersarcosis, sarcoma, tumores superficiei internæ palpebræ, exsiccantibus externis, lenibus, acrioribusque cathæreticis O usto, rad. ir. flor. ☿ r. ⊕ cypr. lapide infernali, &c. absumuntur vel minime candente ferramento delentur, aut per excisionem, resectionem, exstirpantur. Caute vero hic mercandum est, ne acrioribus irritetur, inflammetur, excorietur oculus, & præter naturam bulbus concrescat cum interna superficie palpebræ, vel ne quid nimis de substantia palpebræ interna tollatur, & interna cicatrix profundior evadat strictiorque, ac ex ectropio nascatur entropium.

Opus est in hunc finem, ut vel affricta cathæreticorum vis cito iterum &



[o] De nobili hac operatione ocularia vid. Diss. inauguralis professoria Exc. Dn. D. MAUCHARTI, ubi & xystri vegetabilis traditur constructio.

caute ▽ ſamb. tepida eluatur, vel palpebræ & bulbo oculi interponatur tenuis veſicæ bracteatorum auri fruſtillum, ung. de tutia, aut mucilagine ſem. cydoniorum ▽ plant. extracta; vel e conſilio cereberr. WOOLHUSII capſula quædam hemiſphærica e cornu tornata, & ſimili veſica lubricata obducta bulbo imponitur, ad ſymphyſin ſupra memoratam evitandam, &, ne ferrum ignitum moleſte afficiat corneam vel albugineam tunicam. Tale ſegmentum ſphæræ concavæ, & modum applicandi, laudatus WOOLHUSIUS vocat *l'Emboitement.*

Tutiſſima videtur breviſſimaque methodus per reſectionem ope forficis vel ſcapelli carnis excreſcentis, cavendo ne vel tarſus, vel glandulæ ciliares lædantur, id quod tanto facilius evitatur, ſi trajecto mediante curva & ancipite acu, per ſarcomatis longitudinem ab angulo externo verſus internum filo duplicato cerato, ſarcoma attollitur inter reſecandum atque ſcalpello caute ſic amputatur, ut potius de carne præternaturali relinquatur, quam de palpebræ ſubſtantia auferatur. Quod enim ſarcomatis reliquum eſt, modica lapidis infernalis affrictione facile & tuto abolebitur ſucceſſive, adhibita, ſuperius inculcata, cautione.

Carne ſic ablata atque liberata palpebra, extus quotidie bis, ſub quavis oculi deligatione, limbo palpebræ debet apponi oblonga ſpiſſiorque compreſſa e linteo multiplici, & mediantibus aliis majoribus firmius apprimi, faſciaque monoculus dicta, decenter obfirmari, ut, remoto nunc obice interno, partes externæ everſæ facilius intro reprimantur & in ſitum naturalem reſtituantur.

Methodus exſcindendi talem carunculam abs *Celſo*, *Aetio*, Paul. Ægineta &c. commendatur etiam alia: ſcilicet in parte interna everſæ palpebræ duæ fiant inciſiones, non adeo profundæ, quæ litteram græcorum Λ (lambda) referant figura ſua, ſic ut utrumque conu ſive baſis anguli reſpiciat oram palpebræ, apex vero ubi duo crura coëunt, reſpiciat oculum; comprehenſa inter hæc crura caro excreſcens ſcalpello ſeparatur, exſcinditur & hiantes poſtea vulneris oræ acu, lineum trahente filum, gemina conjunguntur ſutura.

*Paul. Ægineta* in ſpecie hanc ſuturam monet eſſe proficuam & neceſſariam caſu, quo extirpata jam fuerit excreſcentia, neque tamen palpebra ad debitam adhuc redierit rectitudinem. Videtur tamen haud immerito rejici hæc ſutura, non ſaltem ob doloris augmentum & operis difficultatem, ſed ob hæmorrhagiæ, inflammationis, entropii, atque ſymphyſis quoque metum.

Si cutis externa palpebræ nimium ſit condenſata, reſtricta, per aduſtionem, cicatricem retracta vel corrugata, poſſunt, primum humectantia, emollientia per modum illinitionis, epithematis, vaporis, emplaſtri &c. tentari, tum vero ſi opus ſit, ſubjungi recta ejuſdem cutis infra tarſum inciſio una alterave, ab uno angulo oculi verſus alterum, plus minus longa, cutis profunditate. Si alia, infra priorem, adhuc adornetur inciſio,

hæc

hæc illi parallela, in exigua diſtantia fiat. Alii lunatam ſemiellipticam imperant inciſionem, cornibus reſpicientibus maxillam, non oculum. Palpebra ſic relaxata diducitur ulterius modice, digitorum quin & emplaſtrorum ope; vulnuſculà linteo carpto, ſub prima deligatione ſicco, poſtmodum autem unguento digeſtivo impræguato replentur imo infarciuntur, donec ſuccreſcens nova caro hoſce repleverit ſulcos. Quod ſupra monuimus de compreſſis & faſcia decenter obducendis, hic quoque valet.

Si vero paralytica muſculi orbicularis in palpebra inferiore concurrat infirmitas tanto difficilior quidem erit curatio & ſucceſſus incertior; ſed ne hic quidem triſti fato ſtatim eſt relinquendus æger. Tentanda ſunt tonica, nervina, ſpirituoſa in-&-externa; calor ipſe ſiccus, quouſque ferri poteſt, plurimum conducit.

Quid tandem in illa ectropii ſpecie, quæ vel e vulnere vel ſaltem cum vulnere palpebræ tarſique perpendiculari fit, maxime cum notabili ſubſtantiæ deperditione, ſperandum ſit atque agendum? Sequenti curioſo declarabimus ſpecimine & curatione, quam propriis adminiſtravit manibus Excell. Dn. D. MAUCHART, cujus proin verba ex ipſius ephemeridibus practicis excerpta hic ſubjungemus propria:

Stuttgardiæ 1722. d. 12. Novembr. Dn. Aulber cerearius aulicus *Hof-Wachs-Bleicher* ætatis 28. annorum, cholericus, bibax jam aliquoties ſputum exſcreavit ſanguineum, nupero etiam vere; ab eo tempore, ubi meo uſus eſt conſilio, non amplius. Heſterna nocte equo vectus ſub arbore imprudens accepit ictum rami craſſioris in palpebram inferiorem oculi dextri, valde hinc inflammati. Hiantia vulneris labia mox glutinante emplaſtro ſtuduit adducere chirurg. Molwiz, & epithematibus calidis, ſpirituoſis inflammationi obviam ivit. Toto corpore tremit patiens, vertiginoſus. Jungitur aurium tinnitus, vomituritio. Venæ ſectionem in brachio imperavi & ℞. pulv. analept. frig. mind. compl. ℈ii ſuccin. ppt. ℈i, ſirup. fl. paralyſ. ʒv ▽ tiliæ, ceraſ. nigr. ana ℥iii, ▽ lil. convall. cum vino ℥i. Mixta dentur per trihoria tria cochlearia. Circa veſperam ponatur in altero brachio veſicatorium, dextro nempe. Curam externam chirurgo reliqui.

Die 25. Novembr. priora ſymptomata fere omnia ceſſarunt. Vulnus palpebræ inferioris valde hians adhuc, ne una quidem fibrilla magis ac ab initio, redunitum. Deprehendi illud in palpebra inferiore dextri oculi prope canthum oculi externum perpendiculare, unam tertiam partem pollicis longum a tarſo palpebræ deorſum tendens, labia vulnuſculi ſicca cicatrizata: pars diviſa hoc modo palpebræ ſemper ſe retrahit verſus naſum, ſub & ſine motu palpebrarum: oculus multam plorat purulentam lympham: viſus integer: palpebræ non tument. Fruſtraneam ratus omnem porro glutinationem, per emplaſtra tentandam. Scarificata hinc, ope parvuli ſcalpeli incurvi, donec parum ſanguinis funderent, vulnuſculi labia filo duplicato & cerato, per ſuturam itaque, junxi, factoque nodo firmavi,

acu-

acu exigua ancipite ( ſive ex utroque latere ſcindente ) anterius non nihil incurva uſus. Spatium ab ora in utroque labio reliqui, pro partis exiguæ conditione ſatis amplum, acumque in mediam hiantium labiorum partem adegi. Poſt tenuibus adhuc emplaſtri ſtyptici ſpleniis, oblique cruciatim poſitis proxime infra ſuturam, cutem & muſculum orbicularem ex utroque vulneris latere appropinquavi: compreſſis in angulo oculi interno collocatis pariter retractionem & niſum fruſtilli palpebræ verſus naſum impedire allaboravi: affectum oculum latiori adhuc compreſſa, albumine ovi conquaſſato cum ▽ roſ. imbuta contectum deligavi faſcia, oculus ſimplex dicta. Alterius, ſani, oculi deligationem & hinc omnimodam obtenebrationem futuram ſummopere deprecatus eſt patiens. Diætam tenuem, imprimis parum vini conceſſi.

Diebus 26. 27. Novembris oculus ſub quotidiana bina deligatione multum ſeri reddidit purulenti, palpebra inferior valde rubens, nullibi tamen tumida fuit, vulnus ne γρὺ quidem conſolidatum, ſed denuo magis hians, imo circa veſperam ſeparatum plane erat filum à palpebræ fruſto, quod angulum externum reſpicit. Ita ſpe noſtra ſuturæ excidimus. Die 28. Nov. efflagitante ægro novam ſuturam, eamdem uti prius, repetii, & oculum ſanum ſimul obligavi. Dolor inter pungendum tolerabilis & toto hoc altero triduo adhuc mitior & fere nullus erat. Die 29. 30. Nov. labia vulneris, uti poſt primam ſuturam. Tertio die iterum erupit filum è palpebræ fruſtillo verſus naſum. Die. 3. Dec. vulnus jam triduo ſibi atque emplaſtris glutinantibus & adducentibus relictum, plus ac antea cœpit hiare; hinc ſcarificatis prius & abſciſſis extimis labiorum vulnuſculi oris, acum exiguam dimidia anteriore ſua parte incurvam & ancipitem trajeci, debitis obſervatis cautelis & præceptis, per labia vulneris, eaque circumducto multoties acui filo, ut moris eſt in labio leporino, arcte juncta ita deligavi, ne cuſpis acus noceret, atque ut palpebræ perſiſterent immobiles: palpebrarum inflammationem præveni compreſſ: defenſivo ordinario imbuta ex albumine ovorum conquaſſato cum ▽ roſ. ſimulque cephalalgiam averſurus præſcripſi ℞. lap. ♋ ppt. ♃ii diaph. a a ʒß, ♁ cryſtall. gr. XV. ſir. rub. id. ʒvj ▽ cichor. Endiv. rub. id. ceraſ. nigr. a a ℥iß M. detur quarta pars ſingulo quatrihorio

Die 10. Dec. vulnus interea ne tantillum coaluit, ſed copioſum ploravit ichorem purulento-lacrymalem: acus itidem evaſit, latius jam diſtante vulnere. Alia, vulnera quæ habuit itidem dyſepulota fuiſſe refert. Jam porro quid conſilii? Sane, niſi oculi deformis, fruſtratæque toties operationis turpitudo ac ignominia & ægrum & me efficacius excitaſſent, omnem abjeciſſemus animum & ſpem. Rem igitur medicamentis ſolis aggreſſurus, expectandum duxi, num forte nova carnis ſtamina propullulent ex ipſo vulnere, hujuſque vacuum expleant.

Hinc interne ℞. rad. ſarſap. chin. a a ℥j. Herb. pyrol. milleſ. Summit. hyper. ana M. j lign. ſaſſafr. ʒvj ſem. fœn. ʒij, rad. ſymph. ononid. ana ℥ß. M. D. pro apozemate, mane veſperi libra ſemis. Externe pulv. conſolidans quotidie bis vulneri inſpergendus ℞. bol. arm. ppt. ▽æ ſigill. ſileſiac. rubr.

rubr. rad. ſymph. maſtich. ana ʒij, myrrh. rubr. el. ʒj aloës ſuccotr. ʒß, glutinis ſcriniariorum ʒiß M. F. P. ſubtiliſſimus. Vulnus dehinc emplaſtris glutinantibus, uti prius, aduniatur & deligetur.

Die 11. Decemb. Vulnus palpebræ inferioris quotidie magis hians. Ichoris purulenti copia quidem à biduo imminuitur. Maſſæ ſanguineæ impuritas ſcorbutica ſine dubio conſolidationi obſtat. Purgetur cras ℞. ℣ii dul. rite parat. Extract. cathol. ana ℈ß, mag. jalapp. gr. VII. M. F. cum eſſent. ſuccini pilulæ nro XV. D. Unde pluries καθ'ὑω purgatus fuit cum euphoria. Prioribus medicamentis & deligationibus diligenter continuatis intra decendium ita benedixit Deus, ut, ſuccreſcentibus quotidie è vulnuſculo novis fibrillis carneis, tam arcte, tamque belle clauderetur rebellis ille hiatus, ut ab initio non niſi cicatricis, vel novellæ potius carnis rubedo priſtini relinqueret aliquandiu mali veſtigium, & in ſummo vulnerati tarſi duæ exiguæ eminerent protuberantiæ, in loco ſcilicet diviſionis priſtinæ violentæ. Quæ vero incommoda geſtato per menſem empl. diapalmæ penitus evanuere, oculo hucuſque ſaniſſimo & naturali permanente.

Ita quod Plinius ait de natura: quod nullibi magis quam in minimis tota ſit; id mihi etiam de chirurgia videtur: quod ſcilicet hæc nullibi magis, quam in minimis ſit difficilis. Inſimul patet hoc exemplo omnia prius experienda eſſe, quam deſpondeat animum medico-chirurgus. Conſpexi dehinc multoties per aliquot annos eumdem ægrum oculis optime valentem & cicatricem priſtini vulneris vix amplius perceptibilem palpebramque in integrum reſtitutam ut ipſe miratus ſim.

Habetur ſic realis, practica, non cerebrina deciſio, & refutatio nonnullorum tam veterum, quam recentiorum auctorum, qui palpebras vulnere diviſas non coaleſcere, certe non per ſuccreſcentem laudabilem carnem coire ſtatuunt.

Aliquando ſuperat morbus vires & artem medici, aut delicatuli patientes (in quos Joh. Langii quadrant apprime verba, quod malint lento dolore & incommodo confici, quam ſemel & fortiter dolere, tuncque liberari) reformidant rejiciuntque moleſtum aliquod vel dolorificum remedium, ut hinc ſymptomatum quoque indicationem attendere & curam adornare palliativam oporteat, qua partim fœdus occultetur aſpectus, partim vero defluentibus perpetuo lacrymis obex ponatur: paucis hæc abſolvitur, nimirum emplaſtro quodam probe glutinante, quod ſerico nigro inductum affigitur toti palpebræ circa angulos oculi, atque toties renovatur, quoties è re videbitur. Cæterum diligenter & placide abſtergenda eſt everſa palpebra linteolo molli, vel ſpongiola detrita, aqua roſarum humectata, & iterum expreſſa.

Fons diæteticus, ultimo injungit ſeriam evitationem cauſarum occaſionalium, ſupra recenſitarum, in ſpecie ventoſi, rigidi atque fumoſi aëris, diætæ acris, vinoſæ, ſpirituoſæ, inflexionis nimium pronæ capitis, arctioris colli ſtricturæ, vigiliarum &c.

# COROLLARIA.

I.

ACcurata bulbi ocularis dimenſio in longum, latum & profundum non modo phyſico-mathematicam oculi hiſtoriam dilucidat, verum ſuos etiam uſus in phyſiologiam, pathologiam atque therapiam oculariam longe lateque diffundit.

II.

Ergo non fuit lis de lana caprina, quam olim jam moverunt atque nunc quaſi dirimunt de capacitate utriuſque ſic dicti cameræ oculi. In ordine ſcilicet ad cataractam, glaucoma, empyoſin, ſanguinem extravaſatum, hypopyum; &c. Diverſis quidem reſpectibus plurimum importat.

III.

Quid de præparatione oculi, quam docet Excell. Dn. Doct. MAUCHARTUS; liberat is bulbum oculi humani ab ambientibus & connexis partibus, ſolum relictum & appenſum nervum opticum, ſuiſque adhuc tunicis involutum pertundit perforatque tubulo in cavum uſque bulbi immerſo, aerem inſufflat modice, nervi extremum injecto circumducit vinculo, arctiſſimeque, ſub ipſa tubuli extractione, conſtringit, totumque ſic flatu ad naturalem uſque plenitudinem turgidum ſucceſſive relinquit exſiccationi ſpontaneæ bulbum in conclavi modice calenti.

IV.

Videntur hinc demonſtrari poſſe: globi ocularis dimenſio, pondus ſucceſſive decreſcens diverſarum tunicarum vel robur, vel tenuitas, vaſculorum choroideæ mirus & vorticoſus reptatus, pupillæ diameter & figura, humoris aquei & vitrei, penitus hac exſiccatione evaneſcentium, natura fluida, evaporabilitas per ipſos ſcleroticæ corneæque poros lentis cryſtallinæ, quæ non itidem hinc diſſolvitur, ſed in minorem tantum molem contrahitur, genuina denominatio, figura, ſoliditas, comparatio cum nonnullis cataractis cryſtallinis.

V.

Graviora obſtant impedimenta, quo minus eamdem adhibere exſiccationis methodum liceat in corde, atque expanſos exſiccatoſque ipſius ventriculos infuſa aquæ portione metiri. Sed locum habebit alia commenſuratio juxta principia geometriæ ſolidæ, in corde ſcilicet humano liquamine ceraceo debite repleto, & vel formicis vel tæniis ad ſucceſſivam carnis muſculoſæ depaſcentiam relicto. Parietibus & ſepto cordis ſic eroſis & abſumptis reliqua vero ceracea maſſa illibata manente, dimenſio thalamorum cordis accuratiſſima poteſt abſque impedimento inſtitui, niſi quidem & tum ſola ocularis inſpectio ſatis decidere videatur inæqualitatem & proportionem thalamorum cordis.

TANTUM.

XV.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

## TUMORIBUS CYSTICIS PALPEBRARUM,

ET SINGULARI STEATOMATICO-SCIRRHOSO

TUMORE, E PALPEBRA SUPERIORI EXCISSO.

*Quam Præside*

BURCARDO DAVIDE MAUCHART,

M. & Chir. D. & P. P. pro Doctoratu consequendo

*Defendet*

CHRIST. THEOPH. WEBER,

*MICRO-BOTTW.*

Tubingæ mense Novembr. anni 1750.

§. I.

PAlpebras oculi humani, ſuperiorem ac inferiorem, quid vocemus vulgo notum eſt. Quod vero conſtent communibus integumentis valde tenuibus, muſculo orbiculari, utramque cingente palpebram, (& ſuperior ſuo inſuper attollente, ſeu elevatore muſculo, ac ductibus glandulæ lacrymalis excretoriis) limbo cartilagineo, tarſo dicto, pilis ciliaribus ornato, & denique in ſuperficie interna gaudeant tunica vaſculoſa, conjunctiva palpebrarum dicta, atque glandulis Meibomii ſebaceis, quibus omnibus per ſua vaſa arterioſa, venoſa, lymphatica ac nervos abunde proſpectum ſit, id quidem in præſenti tractatione præſupponimus magis, quam pro dignitate proſequimur.

§. II.

*Subſunt palpebræ* variis non modo in genere præternaturalibus affectibus, ſed etiam *in ſpecie tumoribus*: œdemati, hydatidi, emphyſemati, eryſipelati, phlegmonæ, furunculo, apoſtemati, anthraci, fungo, ſcirrho, cancro occulto, chalazio, hordeolo, meliceridi, atheromati, ſteatomati. Seligemus hac vice pro themate diſſertationis tumores ſic dictos cyſticos palpebrarum, id eſt peculiari, proprioque concluſos folliculo, quorum communiter tres faciunt ſpecies, meliceridem, atheroma, ac ſteatoma.

§. III.

*Meliceris* μελικηρις, componitur ex μέλι, ιτος, το, mel & κηρίον, ου, τὸ, favus, cerea cellula, mel recondens. Veteribus ergo ac recentioribus eſt tumor, in peculiari tunica vel capſula includens humorem melli ſimilem, quoad conſiſtentiam, e cujus inciſa & aperta cyſtide, humor non ſecus ac mel e favo effluit. [*a*] *Hippocrates* quidem noſter Cous [*b*] meliceridis mentionem faciens, dubium reliquit, quid ibidem per μελικηρίδα in articulis factam intellexerit? An craſſi humoris redundantiam, quæ nec per ſudores, nec per urinam expurgetur, ſed in articulos decumbat, hiſque, ut aſſerit, vel claudicationem afferat, vel meliceridem? Anne ergo vel verum, quem hodienum vocamus, abſceſſum, loco puris, melligeno, craſſiore humore refertum? An liquorem glandularum, quas recentiſſime

 quidem

[*a*] Galenus L. de tumoribus præternaturalibus p. 83. b. (vid. not. noſtram c.) it. de method. med. c. 12. Aetius tetrabibl. IV. Serm. 3. c. 6. 7. Paul. Aeginet. Encheirid. tot. med. l. 6. c. 36. & l. 4. c. 34.

[*b*] Hippocr. Prorrhetic. l. 2. §. penultimo in edit. foeſ. operum Hipppocr. dicto libr. 2. p. m. 113.

quidem detexit, & hoc nomine appellavit, *Havers*, mucilaginosarum, in cavis articulorum obviarum, inspissatum, quin denique induratum? An vero tumorem, qui articulos, genua maxime, extus aliquando circumsidet, fungosum, & in loculis suis vario humore lento, tenacique scatentem? An vero, quod propius huc spectaret, similem humoris glutinosi, pellucidi, proprio inclusi folliculo, collectionem circa articulum, qualem observavit olim *præses* in summitate genu viri cujusdam parisini, & quam Celeb. Chir. Dn. *Gerard* feliciter extirpavit, significaverit, dubium est? Male vel interpretes & commentatores in loco hoc Hippocratis adsuunt explicationem meliceridis per abscessum, illamque ad abscessum, tanquam genus suum revocant, cum in textu originali ne verbulum de abscessu occurrat. *Galenus* dicit, [c] meliceridem, atheroma, & steatoma ab aliis referri ad abscessus, ab aliis vero ad aliud genus: horum vero affectuum naturam patere ex ipsis nominibus, quatenus materiam contineant vel melli, vel pulticulæ vel sebo similem, ut plurimum vero tunica quadam membranosa omnia hæc contineri. Meliceridis vero acceptionem æquivocam esse, & aliquando etiam sumi pro ulcere capitis cutem perrodente, quod proprie κηρίον vocatur, patet ex Aetio atque Celso.

## §. IV.

*Atheroma*, derivari ab ἀθάρα, vel ἀθήρη, quod genus esse pultis frumentaceæ, statuunt *Galenus*, *Paulus* [d] aliique, & hinc atheroma vocant, quod materiam contineat pulti similem. *Steatoma* vero, derivatur a στεάρ, ατος, τὸ, sebum, quando tumor cysticus materiam sebo analogam habet: vid. Autores modo allegati. Quamvis autem in ejusmodi tumoribus tunicatis præter tres illas contentorum species, multifaria etiam reperiantur alia, substantiæ vel solidæ magis, vel fluidæ, e. g. concrementa solida cartilaginea, ossea, arenulosa, gypsea, calculosa, corpuscula teretia quasi vermiculosa, globulus pinguedinis, glomer & nodus ex implicitis pilis, mucilago instar spermatis ranarum, liquor fluidus coloris lixiviosi, vel spissior instar fecis vini &c. qualium exempla vidit *præses* in propria praxi; tamen recte hactenus substiterunt recentiores medici in triga specierum, ne multiplicarent entia præter necessitatem, & in eo convenerunt a potiori, ut propriam membranam sive cystidem, quæ diversam materiam contentam includeret proxime, cunctis adsererent, licet eam *Galenus* tradiderit (§. 3.) ut plurimum tantum adesse. In steatomate quidem, quo magis grandescit, eo magis obliteratur, & distincta non occurrit amplius ea tunica propria, quæ in principio & in minore steatomate distincta adfuit, sed

[c] Galenus, ex edit. Juntar. Venet. 1609. in fol. tert. classis libror. galen. de tumoribus præternaturalibus c. 5. p. 83. b.

[d] Paul. Æginet. Encheirid. tot. med. l. 6. c. 36. Galen. meth. l. 14. c. 12.

ſed confunditur, complicatur, arctiſſime cohæret, aut denique ob nimiam diſtenſionem crepat, atque dilaceratur, quod quidem rariſſime fit, uti plus ſemel in eorumdem vel extirpationibus, vel ſectionibus hominum, alio morbo defunctorum, ſed tumores cyſticos hic ibi, extus vel intus, alentium, deprehendit *præſes*.

§. V.

Facile *diſtinguuntur* tres hæ tumorum cyſticorum ſpecies, *ab emphyſemate* palpebrarum, quod diffuſum hoc inferat tumorem, aereum, ſive flatulentum, preſſioni cedentem, ſed cito redeuntem, quique aliquando ſonum ſibilumque hinc reddat: ab *œdemate*, quod hujus tumor pariter totam occupet palpebram, ſed mollis ſit, & veſtigia impreſſa ſervet aliquandiu: ab *hydatide*, ſive vulgari, quæ lympham, continet pellucidam, ſive ſpeciali, quæ abs Celſo, Galeno, Paulo &c. inter ſingulares palpebræ ſuperioris recenſetur affectus, & proxime infra glandulam lacrymalem ordinarie occurrens conſtat pinguedine in globulum, & ſingularem maſſam coacta, quod vulgaris hydatis per elatam veſiculam, tenui veſtitam tunica, translucens facile agnoſcatur; ſpecialis vero altera hydatis mollem, inæqualem, & preſſioni retrocedentem efficiat tumorem; cum vero taliſmodi hydatis pinguedinoſa proprio incluſa fuerit folliculo, quod per nonnullorum authorum deſcriptiones haud obſcure videtur innui, tunc uti nulla fere re differt a ſteatomate, ita nec diſtinguitur. *Difficilius* autem *a ſe invicem diſtinguuntur*, antequam aperiantur, *meliceris*, *atheroma*, ac *ſteatoma*; ſteatoma quidem majorem tractui duritiem offert; meliceridis vero liquor contentus, etiamſi fluidior, folliculum ſuum ita tendere ſolet, ut a craſſiore atheromatis humore vel pulte non facile dignoſcatur, niſi foveis impreſſis citius reſilientibus. Neque vero magni intereſt, reſpectu curationis, an meliceris ſit, an atheroma, tumor ille palpebræ?

§. VI.

Phænomena atque *ſigna* cæterum habent *communia*. Cutis ſuperexpanſa hiſce tumoribus cyſticis ordinarie debitam ſervat coloris, craſſitiei, ac mobilitatis qualitatem. Aliquando tamen, & per notabile tumoris augmentum, vaſa cutis fiunt varicoſa, color naturalis mutatur in rubro-lividum, ſubſtantia incraſſatur. Nullus vero dolor, nullus rubor inflammatorius infeſtant. Principium exile eſt, ciceris vel lenticulæ magnitudine, incrementum tardum, ſucceſſive tamen, & per annos notabile, aliquando ſtupendum, ut hinc demum, ſi palpebrarum externæ magis parti inhæreat, pondere ſuo & mole incipiat moleſtare, palpebram ſuperiorem deprimere, bulbum oculi obtegere, ejuſque motum elevatorium impedire, quin tandem radicibus in orbitam diffuſis, ſede ſua expellere, & oculi prolapſum efficere, affluxum & inflammatoriam ſtaſin concitare.

In

In palpebra inferiore autem, & externe magis innidulans atque augeſcens tumor cyſticus, illam attollit, tarſum introvertit ac *Entropium* parit. Quemadmodum e contrario, ſi tumor internam magis ſuperficiem palpebrarum obſideat, tunc in inferiore ectropium, in ſuperiore hiantes palpebras, denudatum a palpebra ſuperiore bulbum maxima parte, moleſtamque frictionem, gravationem, irritationem bulbo impingit. *Omnes baſin* habent ordinarie latiorem & immobilem, ac dum tenues ſunt, parum vel extra cutim, vel tunicam palpebrarum conjunctivam prominent. Quando aperiuntur, aut poſt extirpationem examinantur, materia eorumdem contenta variæ, quam ſupra (§. 4.) declaravimus qualitatis ſe manifeſtat, benignæ utplurimum naturæ, & rariſſime cum aliquo fœtore conjunctæ. *Folliculus* vero proprius a potiori inſtar validæ, albo rubeſcentis ſe tunicæ habet, quæ extus undique mox tenacius, mox leviter, vicinis accrevit partibus, & vaſa ſanguinea recepit tam arterioſa quam venoſa, plus minus notabilia ac copioſa; intus vero in meliceride ac atheromate, ſuperficiem in aliis aliam exhibet, æqualem, vaſculoſam, granuloſam, albam, rubro-lividam, nigricantem: in ſteatomate ubique concretam arcte cum ſuo contento ſebaceo, lardeo, ſcirrhoſo, ſic ut in majore ſteatomatis augmento non poſſit bene diſtingui propria ejuſdem tunica.

## §. VII.

*Prognoſis.* In univerſum uti dolore, ſic periculo carent, niſi vel grandeſcenti mole aggravent, comprimant, ac orbita expellant bulbum ocularium, palpebræ inferiori incumbentes, hanc tumefaciant, bulbum irritent, velum quaſi corneæ prætendant, viſumque impediant: vel emollientibus intempeſtive in fermentationem ſuppuratoriam, aut cathæreticis in inflammationem, quin & cancroſam malignitatem præcipitentur. Diu & per annos ſub lento eorumdem incremento impune & citra moleſtiam geſtantur, ſola deformitate moleſti: quo autem vel latiores vel profundiores, vel majores, vel tarſis palpebrarum ſunt propiores, aut internam magis palpebræ ſuperficiem infeſtant, eo quoque ſunt difficiliores in operatione, & tractatione chirurgica. Dum exiles ſunt, & in principio, auſcultant aliquando remediis, atque topicis pharmaceuticis, & blandæ frictioni diligenter repetitæ. Raro in ſuppurationem deduci poſſunt emollientibus, imo ordinarie non debent. Cauſticis vero exeſi, nimiam aliquando irritationem, affluxum & malignitatem induunt cancroſam. Si quando etiam videantur ex uſu talium diſparuiſſe, non minus recrudeſcunt, & nova capiunt incrementa, ac ſi poſt folliculi inciſionem, apertionem, mundificationem, vel extirpationem, pars folliculi remanſerit.

In operatione extirpationis per imprudentiam aut temeritatem lædi facile poſſunt ac diſcindi *mox* muſculus palpebræ ſuperioris elevator, unde paralyſis hujus palpebræ, reſpectu elevationis, induceretur: *mox* tarſus

unde

unde difficilior consolidatio, ac palpebræ inæqualis & rugosa expansio, resultaret: *mox* glandulæ lacrymalis excretorii ductus super palpebra superiore commeantes, unde congestio & stagnatio liquidi lacrymalis in sua glandula; bulbo autem oculi in anteriore superficie siccitas inferretur: *mox* glandulæ Meibomii sebaceæ, unde liquidi eorum oleosi & sebacei secretio & excretio turbaretur, tarsi exsiccarentur, nitor corneæ desciscceret &c. aut ophthalmia conjunctivæ palpebrarum efficeretur. Cæterum *cysticus tumor internæ partis*, maxime loco alteriore palpebræ superioris, id non modo difficultatis habet in operatione, ut digitis ac instrumentis eo non liceat pertingere, sine gravissimis impedimentis, sed & post excisionem, aut quocumque modo factam tumoris extirpationem, corneæ aliqua labes facile affricetur, aut palpebra cum bulbo concrescat.

## §. VIII.

*Pathologia. Affectus* ad morbos conformationis pertinet, auctæ magnitudinis, quoad omnes dimensiones, ad tumores. *Subjectum morbi* sunt stamina fibrosa, membranacea, cellulosa tunicarum, musculorum atque vasorum palpebrarum, quæ succos & liquores earum naturales, lymphaticos, serosos, sanguineos recipiunt detinentque, a crasi & qualitatibus suis naturalibus desciscentes, inspissatos, extravasatos, coagulatos, induratos. *Causa* tumorum horum cysticorum *materialis* varia est, supra indigitata, plus minus vel liquida, vel solida: *causa* vero *efficiens* proxima, impuritas, spissitudo, eaque vel seroso-sulphurea magis, vel mucoso-terrestris, vel fibroso-solidescens, stagnatio, extravasatio, successiva congestio sanguinis ac seri, quibus correspondent, tanquam *subjecta causæ*, arteriarum lymphaticarum advehentium, venarumque diameter mutata, infarcta, obstructa, compressa, atque tandem in steatomate concrescens, atque solidescens, una cum liquoris sui contenti incrassatione, ac induratione magis magisque aucta, manentibus interea aliis vasculis paulo liberioribus, patulisque, quibus & ulterior liquor pro vegetatione & augmento affertur, atque pars aliqua, eaque mobilior, fluidior e tumore resorbetur iterum, crassior vero remanet.

*Causæ remotæ* sunt omnes eæ, quæ massam humorum successive talismodi particulis viscidis, salino-sulphureis, coagulantibus inficere possunt. Accedit ipsa palpebrarum perpetua & naturalis expositio ad aerem externum frigidum, humidum, stringentem, inspissantem, nec minus cutis palpebrarum tenuitas, & pinguedinis absentia, quæ alias vim & actionem aeris moderari possent, ac infringere. Si præcesserit, ut aliquando fit, injuria quædam externa, ictus, contusionis &c. qua canaliculi & fibræ distorqueantur, lacerentur, humorum stasis ac extravasatio successive inducantur, fundamentum mali, tumoris cystici, ponitur.

§. IX.

*Therapia.* Indicationes ſunt : tumores hos 1.) diſſipare, ac inſenſibiliter reſolvere : 2.) eorumdem concrementa inhibere : 3.) extirpare, incidere, abſtergere, exſcindere ; 4.) vulnus operatione inflictum conſolidare, ac cicatricem, quam fieri poteſt, minime deformem inducere. *Indicationi primæ*, diſcuſſioni ſcilicet, & reſolutioni inſenſibili, quam aliquando incipientes atque exiles hi tumores admittunt, inſerviunt, præter generalia tam interna, quam externa, laxantia, purgantia, venæ ſectiones, cucurbitulæ ſcarificatæ in dorſo, humeriſque, medicamenta aperitiva & incidentia, (quibus vero enumerandis jam ſuperſedemus) quam maxime etiam topica, diſcutientia & reſolventia : ſaliva, item urina tepida hominis ſani : ſacculi & epithemata, vel ſicca vel humida, in vino leviter ebullita, e fl. ſambuc., melilot., lavend., HB. hyſſop., ſem. fœnic., croco, camphora, hæcque interdiu, & frequenti repetitione, denuo calefacta : noctu autem empl. de ran. c. ☿io vig. diabotan. cum aliquibus guttis ol. philoſ. malaxanda, vel emplaſt. de gum. ammoniac., diaphoret. mynſ. Reſolutionem hanc non parum quoque adjuvat frequens & lenis frictio.

§. X.

*Indicatio ſecunda* præcipit impedire tumoris ulterius incrementum, ſi nempe tentata reſolutio inſenſibilis minus e voto ſucceſſerit, & vel æger, vel tumoris magnitudo ac qualitas inciſionem & extirpationem non admittant. Atqui vero licebit morari potius, quam penitus impedire incrementum, præcipue ſi tumor in notabilem jam evectus fuerit molem; tentare tamen oportet, affluxum nimium ad partem affectam moderari, revulſiones & evacuationes per intervalla inſtituere, purgantibus, diaphoreticis, ſanguinis ventilationibus : dyſcraſiam humorum corrigere, diætæ ac regimini convenienti ſtudere, emplaſtris tumorem munire deſiccantibus, leniter adſtrictivis, uti eſt empl. diapalm., vel de lap. calam. vel de minio & ſimilibus. Spes hinc affulget fore, ut aliquatenus & aliquandiu ſaltem intra cancellos retineatur tumor.

§. XI.

Qui vero *curationem* tum maturare, tum *radicalem* atque *conſtantem* tentare voluerint, illi *ad tertiam indicationem* apertionis, vel inciſionis tempeſtive ſe accingant. Incruento & mitiore modo negotium hoc aliquando ſuccedit e voto, ſi, quod ſuadet Dn. de Woolhouſe vel pulveris cantharidis unius tantillum, vel globulus emplaſtri veſicatorii e cantharidibus parati, tumori applicetur, ſeminis milii, vel capituli acus capitatæ mediocris, dia-

diametro, ut ſic excitata veſicula cutim aperiat, perforetque ſucceſſive, quæ tum inter digitos blande compreſſa, foramine facto eructet materiam qualemcumque contentam. Ne vero latius ſe diffundat veſicantis remedii vis, emplaſtrum e. g. diapalmæ, e pluribus conſtans ſtratis, & ſic ſpiſſius redditum, in medio perforatum, ſive quod vocant feneſtratum exili foramine, tumori eſt applicandum, & intra illud immittendum remedium veſicans, aut eſcharoticum, ſupra vero obtegendum emplaſtri hians orificium nodulo e goſſypio & faſcia molliter circumducenda eſt palpebris clauſis, & angulis oculi pariter goſſypio obtectis, ut ne ex veſicula excitata & crepante ſerum acre intra oculum depluat: ob quam rem pariter, quando hæc veſicula forfice aperitur, & ſub qualibet ſecutura deligatione ægri caput reſupinari, & verſus angulum oculi externum declinari debet.

Veſiculæ hujus excitatæ ſuppuratio, quemadmodum alias poſt applicita ſolet veſicatoria, debet protrahi quantum licet, impoſito betæ, butyro recenti perunctæ, folio, vel folio hederæ arboreæ recenti, vel emplaſtro diach. c. gumm. Intra octiduum, niſi totus evanuerit tumor, veſicula nova, priori ſcilicet jam exſiccata, ſimili modo iterum eſt excitanda, & in manatione ſeroſo-purulenta conſervanda. Majorem energiam exercet ſemel iterumque inſtillata in feneſtram emplaſtri ſupra memoratam, gutta ſequentis aquæ, (niſi quidem nimis diluta videatur,) quam *Woolhuſius* commendat: ex aquæ fortis ℈i. aquæ plantag. ℥ii. Immittitur hæc vel ope calami ſtraminei, intincti, vel penicilli, ægri capite valde reſupinato, & obſervatis circa deligationem ſupra laudatis cautelis; unde ſimilis conſequitur excoriatio ulceroſa, quæ unguento digeſtivo ordinario, vel mundificativo de apio, baſilico &c. poſt ſufficientem ſuppurationem & plenariam tumoris conſumptionem, ad conſolidationem denique, ope emplaſtri de lap. calam. perducenda eſt atque cicatricem. Sed methodum hanc non habere locum in tumoribus cyſticis, qui internam magis partem & ſuperficiem palpebrarum occupant, nemo facile erit, qui non perſpiciat.

## §. XII.

Aſt, ſi neque hæc methodus recidivam, & nova tumoris incrementa præciderit, ſupereſt refugium ad inciſionem, & extirpationem tumoris cum ſuo folliculo, id quod per tertiam indicationem (§. 9.) ſuaſimus. Hæc vero *extirpatio duplici* perficitur *modo* & fine: *altero*, ut per ſolam cutis & folliculi inciſionem, tam pateat liberior egreſſus materiæ contentæ, quam applicatio cathæreticorum, & mundificatoriorum, quibus & folliculus ſucceſſive conſumatur, & ulcus inductum detergatur: *altero*, ut tumor una cum ſua cyſtide ſemel atque ſimul extirpetur funditus.

*Prior modus* ſic ſe habet: cutis & folliculus ipſe tumoris lanceola inciduntur ac aperiuntur, ea longitudine, quam tumoris magnitudo requirit, tranſverſim, id eſt, angulis inciſionis reſpicientibus angulos oculi, materia

contenta emittitur ac exprimitur confestim, quantum licet, & diductis vulneris labiis fundus folliculi perfricatur vel penicillo, spiritu salis ammoniaci cum calce viva parato, aut spiritu vitrioli vel solo, vel cum melle remixto, imbuto, vel unguento Agyptiaco, vel lapidis infernalis attactu, totumque vulnus linteo carpto sicco repletur, obtegiturque emplastro defensivo, e. g. de spermate ranarum, pulveris croci, & camphoræ refracta dosi, atque oleo rosaceo malaxato, splenio sive gossypio ac fascia continente. Si metuatur inflammatio, aut acrior superveniat dolor, imponatur cataplasma e medulla pomi tosti, & cum croco & camphora in pultem redacta. Deligatio per sehoria, vel octihoria repetatur, ne acris ichor, quem plorabit vulnus, in oculum destillet. In secunda tertiaque deligatione, novum, exempto priori, immittendum est vulneri linteum carptum. Post hæc vero illinantur & imbuantur undiquaque fundus & latera folliculi tantillo unguenti fusci fel. Würzii, vel ægyptiaci, unguento digestivo ordinario remixti, & nodulus olivaris (bourdonet) e linteo carpto, similiter imbutus, ingeratur: unde si rite procedat suppuratio, & cystidis consumptio, fundus ulceris magis magisque contrahetur, angustabitur, aliquando etiam secedent fibræ, & ramenta folliculi, atque roseus vividusque succrescentis novæ carnis color hinc exsplendescet, & plenaria tandem consolidatio methodo absolvetur ordinaria.

Secus si fiat, denuo ac crebrius atteri ac consumi debent parietes interni cystidis, repetitis vel prioribus cathæreticis, vel aliis, vel & cauta scarificatione parietum folliculi, mediante tenui scalpello. Hanc methodum præfert *Maître-Jean*, [e] alteri, quæ plenariam & simultaneam imperat excisionem, quoniam hæc in praxi non ita facilis sit, quam quidem Theoreticis videatur.

## §. XIII.

Verum enim vero *radicalis folliculi excisio*, non modo nobis, per rationes a priori & posteriori ductas, [f] omnino *possibilis* videtur, dummodo tumor non nimium altas egerit radices, aut se luxuriose diffuderit, sed & *aliquando necessaria* esse, cum partes internæ palpebrarum obsessæ vix admittant, aut nonnisi ægerrime ferant attactum aut vim cathæreticorum. Sic autem adornanda erit hæc *extirpatio cystici tumoris*, *sub palpebrarum cute* eruendi atque excidendi: scalpello ancipite myrtiformi, vel alio, probe scindente, cutis ope digitorum elevatæ fit tanta, quantam exigit tumoris magnitudo, transversa incisio, id est, angulos oculi recta respiciens, simplex, nunquam, nisi in summo necessitatis casu, decussata aut crucialis, ob cicatricis futuram deformitatem, cavendo, ne folliculus in illa cutis incisione simul

[e] Maitre-Jean Trait. des malad. de l'œil p. 3. c. 12. p. 554.

[f] Vel solus Petr. de Marchettis tria suppeditat exempla feliciter exsectorum ejusmodi tumorum tunicatorum ex angulo oculi interno, & ex interna parte palpebræ inferioris, in obs. 21. 24. 25.

ſimul pertundatur. Si gravior ſuborta hinc hæmorrhagia impediat ultra progredi, fovendum prima die eſt vulnus aliquandiu, decocto tepido herbæ veronicæ & meliloti, deinde ad veſperam linteo ſicco obtegendum: mane ſubſequenti proſequenda exciſio, & remotis lintei carpti impedimentis, arripiendus eſt atque attollendus folliculus, mediante vel volſella, vel hamulo, vel trajecto mediante acu curva filo duplici cerato, caute ab adhærentibus vicinis partibus, ſcalpello, vel, quod in non valde magnis fecit Petrus *de Marchettis*, forfice, ſeparandus ac exſecandus totus.

Præcipit *Woolhuſius* ſtatim ab hac exciſione inſtillare aliquot guttas opobalſami, ſive balſami, de Mecha, & linteum, balſamo Arcei imbutum imponere, hancque vulneris curationem per ſehoria repetere, ſicque totum negotium tribus abſolvi deligationibus contendit. Fieri id poſſe concedimus, ſi avellanæ magnitudinem non exceſſerit tumor, ſi poſt folliculi ſeparationem ſanguis non fluat vel copioſius, vel diutius: certius autem fieri poſſe aſſerimus, ſi poſt laudati balſami inſtillationem labia vulneris adducantur ſpleniolo oblongo, emplaſtro bene glutinante obducto. Si prægrandis fuerit tumor, totamque non modo palpebram occupaverit, ſed etiam longius ſe diffuderit atque profundius, tum multo magis ſeriam induet operatio faciem, magno labore, multis moleſtiis, bulbi ocularii, quin ipſius vitæ periculo non vacaturam. Caſus ſpecialis, quem ſubnectemus, docebit, qua methodo tum ſit procedendum, eo igitur nos referimus.

Cæterum quod Dn. de *St. Yves* [g] jubeat in exciſione talium tumorum *cutim* digitis elevatam *ſupra tumorem forfice abſcindere*, tanta latitudine, quantam dimidia tumoris diameter conſtituit, ſequendo directionem plicarum, ſive rugarum palpebræ, id quidem duplici reſpectu facere videtur; altero ut magna tumoris ſuperficies uno ictu denudetur, altero, ut pars cutis, quæ poſt exciſum folliculum, redundaret, ſtatim auferatur; ſed in tumore molis exigua facile & cito fit ejus ſufficiens denudatio per ſcalpellum, neque cutis ita redundat poſt folliculi exſectionem, ut difformem pariat & rugoſam cicatricem, ſponte ſcilicet ſe contrahens, qua parte laxior fuit ex diſtenſione: in majore autem tumore, cutis non facile tantum & æqualiter attolli poteſt, aut forfex apte ſatis applicari, quin vel non ſatis de cute amputetur, vel ipſe folliculus ſimul corripiatur, & intempeſtive aperiatur. Utcumque etiam acuta fuerit forfex, dolorem infert majorem, quam ſcalpellum, nimiumque, vel non ſatis, agit, unde illam nec in radice tumoris reſecanda, niſi e petiolo pendeat, adhibemus: aliquando etiam cutis, firmiſſime adhærens tumori, ſe non patitur attolli.

## §. XIV.

Hactenus *dicta pertinent* a potiori *ad tumorem* a fronte aggrediendum i. e.



[g] De St. Yves des malad. des yeux, p. 121. ſimilem quidem modum jam docuit Aetius.

*in ſuperficie palpebrarum externa*, inter integumenta palpebræ & muſculum elevatorem, vel orbicularem, *ſi vero* ille teneat *regionem earum internam magis*, hoc eſt, inter tunicam palpebræ conjunctivam, & muſculum orbicularem, invadendus erit potius a tergo, verſus averſam palpebræ partem, præſertim ſi inſideat palpebræ ſuperiori, & loco quidem paulo altiore: quamvis enim in palpebræ inferioris ſuperficie interna inhærens tumor non adeo reluctetur priori exciſionis & extirpationis modo, neque etiam hinc tanta difficultas immineat impediendi concretionem præternaturalem hujus palpebræ cum bulbo ocularis, tamen in palpebra ſuperiori cuncta premuntur multo majori difficultate, immo in utraque palpebra poſt exciſionem tumoris interni, illud ſe objicit incommodum, quod & tumor nonniſi cum metu læſionis oculi, hamulo vel volſella elevari poſſit, & ſcalpellum ſub operatione in oculum facile impingat, tarſum, vel glandulas Meibomianas lædat, & ſuppuratio poſt exciſionem ſubſecutura labem corneæ queat affricare.

Ratio autem, quæ nonnullos authores, ipſumque etiam *Woolhuſium* adegit, ut internum & profundius inſidentem tumorem alia quam inciſionis & exſectionis methodo impugnaverint, hæc eſt, quod reformident, quæ per profundam exciſionem inevitabilis videtur, læſionem ac diſſectionem muſculi palpebræ ſuperioris tam elevatoris, quam orbicularis, imo & tarſi, tunicæ conjunctivæ, & glandularum Meibomii, ſicque totius palpebræ diſciſſionem & perforationem, unde malorum, ſupra jam allegatorum ilias propullularet.

## §. XV.

Itaque *alio modo* ſic *procedit Woolhuſius*, & inciſioni ac exciſioni *ſubſtituit ſetaceum*: acus curva, plana, anceps, juſtæ magnitudinis, duobus minimum, diſtinctis, non contortis filis tenuibus, e goſſypio paratis, qualia ad ellychnia vel tibialia contexenda ſolent adhiberi, aliquot ſpithamas, quin ulnas longis, inſtruitur; palpebra ſuperior, quæ acu hæc trajicienda eſt, una cum inhærente tumore ſtabilitur ope digitorum, ei utrinque verſus angulos oculi appreſſorum; acus infigitur, ac transfigitur prope angulum oculi externum per integumenta palpebræ, inter fibras carneas & tunicam ejuſdem conjunctivam, ac, directione obliqua & declivi verſus angulum oculi internum obſervata, erumpit & educitur in latere oppoſito circa angulum oculi internum; filaque per acum tranſmiſſa in vulnere ſervantur, eorum vero extremitas acui proxima liberatur ex hujus foramine, aut abſcinditur, altera longior extremitas in glomerem convolvitur, & mediante emplaſtro agglutinatur vel tempori, vel fronti, vel alio loco, quem ſubſecutura ſuppuratio non inundet.

Extrahenda dein quotidie eſt pars filorum, intra vulnus cruore ac pure inquinata, verſus angulum internum, & forfice reſcindenda, ita tamen ut nova pars filorum longior, intra vulnus promovenda, illinatur prius unguento

guento digeſtivo, & in foramine vulneris oppoſito tranſpicere, ſeſqui pollicis longitudine ſinatur : bina vulnuſcula obteguntur emplaſtro ex unguento roſaceo, atque hac methodo intra 15. dies ex voto percurari tumorem ejuſmodi cyſticum, notabilis etiam magnitudinis, aſſeverat ſupra laudatus Woolhuſius, id inſuper monens, ut, ſi tranſverſim, ſive juxta longitudinem palpebræ trajecto ſetaceo, muſculi ejus attollentis diſciſſio metuatur, ſetaceum injiciatur potius perpendiculare, ſive per altitudinem palpebræ, ab ejus margine verſus ſupercilium.

Quodſi etiam metus, quem *Nuckius* atque *Baſſius* injiciunt, e ſimili ſetaceo, quo hordeolum, & chalazion ſive grando palpebræ a nonnullis tolli jubentur, fundatus ſit, de alliciendis hoc modo magnis doloribus, inflammatione, affluxu, tumore; huic tamen obviam ire licebit non tantum prævia per purgantia, venæ ſectionem &c. præparatione, ſed etiam mox ab injecto ſetaceo applicitis topicis, quæ leniant, quæ repercutiant atque reſolvant, remediis; ſi vero ipſe folliculus acu filiſque illis adhibitis perfodiatur vel ſtudio, vel caſu, medius, tantum abeſt, ut mali quidpiam hinc augurari, quin potius tanto feliciorem ac certiorem folliculi conſumptionem ſucceſſivam & materiei, in eo contentæ, evacuationem ſperare oporteat, liceatque. *Dubitamus* tamen vehementer, *ſteatomati*, quod duriorem, compactiorem in ſe habet, & ſolidam, imo ſcirrhoſam materiam, hanc medendi rationem cum ſucceſſu felice, aut conſtante effectu *convenire*.

## §. XVI.

Supereſt ut ultimæ tandem *ſatisfaciamus indicationi* §. 9. nimirum *laudabilis inducendæ cicatricis*, poſt tumorem vel cathæreticis, vel exciſione, vel ſetaceo ſublatum. Ut bellam vero cicatricem procuremus, danda eſt opera, ut æqualis ſit, levis, mollis, non eminens, nec ſulcata, nec in profundum excavata, nec rugoſa. In facie, atque ſic etiam in palpebrarum cute, præſertim eo eſt annitendum; ideoque in ipſa cutis exeſione, & inciſione, nec vulnera, præter ſummam neceſſitatem, ſunt facienda vel nimis ampla ac longa, vel numero plura, utcumque enim hæc obducantur denique laudabili cicatrice, veſtigium tamen relinquunt, vel ſola majore albedine, quam reliquæ cutis, priſtinæ læſionis.

Duo etiam præcipue hic cavenda ſunt vitia in palpebra ſuperiore, ut ne cutis ejuſdem remaneat vel laxa nimis & pendula, aut quaſi inflata, vel ſtrictior & decurtata. Illud facile evenit, ſi cutis præmagno tumori olim ſuperexpanſa non abſcindatur tempeſtive, quouſque redundat; hoc, ſi nimium de labiis vulneris cutaneis deperdatur. Si inciſio longior, & ab uno cantho ad alterum uſque ſit facienda, hæc in ſummitate potius, paulo infra ſupercilium infligenda eſt, ſic enim ſub illa eminentia orbitali arcuata occultatur facilius inducta cicatrix, & abſorbetur quaſi per plicam cutis palpebræ naturalem : immo ſi perpendicularis inſuper inciſio ſit adjungenda, quæ priorem

ad

ad angulos vel rectos vel acutos decuſſet, tum inter pilos ſuperciliares velabitur minimum ſuperioris inciſionis cicatrix. Itaque poſt ſufficientem ſuppurationem adductis ad ſe invicem magis magiſque labiis vulneris, eiſque, ſi jam in extremo occaluerint, recentibus redditis per affrictum lapidem infernalem vel ſubtilem ſcarificationem, balſamicis ac deſiccantibus agendum eſt, lenibus quoque per impoſita ſpleniola compreſſionibus, eaque per ſtrata emplaſtrorum imbricata, methodo, quam infra (§. 28.) deſcripſimus. Talia vero emplaſtra, aliquandiu poſt formatam jamjam cicatricem, quotidie repetita, ſunt continuanda, neque cicatrix novella præcociter libero aëri exponenda. Singularem jam caſum illum, quem ante aliquot menſes ſub manibus habuit ptæſes, ſpectantibus philiatris omnibus, thema hoc diſſertationis non parum, quod ſperamus illuſtraturum, ſuperaddimus.

## §. XVII.

Anna Maria *Geigerin*, e pago Groſſ-Eislingen, præfecturæ Gœppingenſis, æt. ann. 24., bene colorata, habitus corporis toroſi, cæteroquin ſana, ſi dolores aurium, dentiumque, quos plus ſemel experta eſt, excipias, alias vero, ut refert, parce ac raro menſtruata, & jam a trimeſtri plane non. Muniis inter hæc ſervilibus ſtrenue ſemper defuncta: ante 10. vel 12. annos monita eſt, ipſa non advertens, de *corpuſculo*, piſi magnitudine, non rubente, nec dolente, *quod* ſub cute, *palpebram ſuperiorem* dextri oculi *occupaverat* fere mediam, proxime infra arcum apophyſis orbitalis oſſis frontis, abſque omni prævia, ipſi cognita, ſive externa ſive interna cauſa. De malo ipſi nullatenus moleſto, minus ſolicita, nihil oppoſuit parvis hiſce magni mali principiis, donec poſt luſtri decurſum, tumorem hunc, lentis incrementis adauctum in nucis uſque juglandis magnitudinem, chirurgo cuidam pagano commiſerit, qui, abſceſſum, vel aliud, neſcio quid, exemptu facile ſuſpicatus inciſionem ſuſcepit, ſed emanante non niſi copioſo ſanguine, deterritus feſtinavit inflicti vulneris quam potuit ociſſime conſolidationem.

*Crevit* dehinc *ſucceſſive tumor*, verſus interiora orbitæ procul dubio magis, quam ad exteriora; nam eodem tempore, quo externe conſpicuus erat nonniſi mole nucis juglandis, ante 7. ſcilicet annos, expreſſit tamen bulbum oculi e ſua orbita, ac ſic dictam *oculi procidentiam effecit*, unde hic crepans, ſummis cum dolorum tormentis, manationem ſeroſam ac purulentam reliquit per 14. dies, donec *bulbus jam longe contractior* factus *ſubſederit*, & coaluerit iterum vulnus ejuſdem: ad idem vero tempus uſque, ut *viſus ſucceſſive decrevit*, creſcente tumore, ſic poſt modo dictam bulbi crepaturam atque ſuppurationem *deletus* plane eſt, ac *perſtitit abolitus*. Denique *nupera hyeme velox* & notabile, quin *ſtupendum*, & ſpectatoribus nauſeabundum *cepit* tumor hic *incrementum*, imo vel ultima, ante ſuſceptam haud ita pridem extirpationem chirurgicam, hebdomadum biga, exiguo igitur temporis intervallo majus atque majus ſenſibiliter accepit augmentum.

§.

## §. XVIII.

Unde Proceres Gœppingæ, mulieris miſerti, *præſidem* hujus diſputationis oravere, quin exorarunt, ut, cum varii & medici & chirurgi manum admovere operi non auderent, ejus ſuſciperet curationem. *Is* coram aſpiciens atque explorans ægrotam, *obſervavit* tumorem occupare totam non modo regionem palpebræ ſuperioris, ab uno ad alterum oculi angulum, ſed & ſub cute per radicem naſi ad alterum vergere oculum, ſanum, viſuque præditum perfecto, illumque magna parte obtegere, dextramque palpebram ſuperiorem ſic deprimere, ut plane non potuerit elevari, oculuſque, quod vocant, aperiri: imo ſupra marginem orbitalis proceſſus oſſis frontis eminere pollicis latitudine, ſic ut tumor hicce media ſui parte, qua fuit craſſior, & quaſi ventricoſus, *magnitudine pugnum virilem exceſſerit.*

*Figuræ* autem fuit irregularis, & e tribus fere globis, quorum maximus in medio eminebat, faſtigiatus, minor verſus naſum inclinabat, alterumque oculum ſanum, minimus ad canthum oculi externum, compoſitus. *Cute* obductus fuit *integra*, nullibi vel inflammata, vel excoriata, vel exulcerata, ſed *vaſis varicoſis*, calami anſerini fere amplitudine, atro cruore infartis, ac in cute liveſcentibus, ob cuniculos nonnihil elevatos inæqualiter turgida. *Dolor* tumoris *nullus*, vel ſpontaneus, vel ex attactu, etiamſi rudiore, nec reliquarum partium vicinarum & remotiorum. Attactu vero durus & renitens percipiebatur, inſimul ſeſſilis, ſive immobilis, niſi obſcure & debiliter illo tantum medio ejuſdem, & elatiore vertice. *Palpebrarum* dextri lateris *motus* contractorius & elevatorius pariter ac *facultas videndi plane ſublati*, *bulbi* vero ocularii, *corrugati*, & complanati pars anterior, cum ſua tunica *cornea plane opacata*, & albeſcente, inter tumorem ſuperne dependentem, atque palpebram inferiorem depreſſam, proſpiciebat aliquantum, elato & nonnihil remoto ad ſuperiora per digitos tumore. In ſpecie vero *palpebra inferior dextra* verſus canthum oculi internum fuit inſuper *notabiliter tumida*, dura, lividique coloris: & per tranſverſam palpebrarum rimam, ſive naturalem hiatum *modicus* deſtillabat aliquando *humor*, *craſſeſcens*, lemaſque affigens palpebris glutinoſas.

## §. XIX.

Itaque *tumor* hic & excreſcentia, *ſebaceæ* ac *ſcirrhoſæ* viſus eſt præſidi *naturæ* & *extirpationis* quidem *difficilis*, nec periculo vacaturæ, ſed tamen *non impoſſibilis*, vel omni ſpe boni ſucceſſus deſtitutæ. Hinc operationi chirurgicæ ideo quoque magis ſubjiciendum reputavit, quod omnis ſpes pharmaceuticæ curationis exularet, certiſſimus vero metus immineret, fore ut prægrandis jamjam tumor, in immanem brevi non modo excreſceret molem,

lem, alterum ſanum exprimeret oculum, nares comprimeret, quin vel tandem ipſum os occluderet, & in abominandum deſciſceret ſpectaculum: ſed malignum quoqué morem, atque naturam carcinomatis indueret, e quorum vero malorum, vel alterutro, vel utroque conjuncto miſeræ patienti, tandem eſſet miſerrime ſuccumbendum.

Sed aures vellicabat præſidi non tantum propria confeſſio ægræ, de menſium ſuppreſſione, jam fere quadrimeſtri, ſed & nulla hinc conſecuta chlorotica cachexia, aliave hinc redundantia mala, imo ſuſpicionem graviditatis augebant abdominis, & hypogaſtricæ maxime regionis turgiditas, mammarum plenior habitus, licet preſſæ nullum per papillam redderent laticem. Unde ſerio & clam hortatus eſt ægram, ut ſi rem cum viro habuerit, candide aperiat, nec ſe diſcrimini vitæ, operatorem autem futurum opprobrio committeret. Aſt hæc non ſine indignatione graviter tulit hanc ſuſpicionem, ſancteque eſt conteſtata, ſibi nunquam cum viris illegitimum interceſſiſſe commercium, menſes vero ſemper parcos fuiſſe ac vel poſtponentes, vel ſecunda, tertiave periodo demum redeuntes. Quamvis autem lubricis ejuſmodi aſſertis plenam fidem adhiberi non poſſe meminerit præſes, tamen ob velox tumoris ſcirrhoſi ac notabile incrementum, quoque brevi temporis ſpatio redditurum eſſet operationem chirurgicam vel omnino impoſſibilem, vel certe tanto periculoſiorem, ſtatuit extirpationem tumoris & ſuſcipiendam, & maturandam, omni adhibita poſſibili curatione.

Hinc, præparationis ad operationem gratia, præmiſit lene laxans, unde quidem hæc mulier non niſi bis alvo mota eſt, & ſequentem pulverem una cum decocto pro potu, per ſeptimanarum bigam præcepit: ℞. lap. canc. præpar. ʒiij. Rad. ononid. ʒij. - ari vino præpar. - irid. Flor. ana ʒß. Tart. vitriolat. T. ʒj. Sacchar. lact. cryſt. ʒiij. Cort. chaq. ʒß. M. f. pulv. D. mane & veſperi tres cultri cuſpides. ℞. Raſ. lign. ſaſſafr. ℥ß. Rad. gram. ℥ij. - bardan. - ſcorzoner. - acetoſ. ana ℥j. Fl. til. ℥ß. ſem. fœnic. ʒij. M. C. C. D. S. *Stücke zum Tranck, und das Pulver darinn zu nehmen.*

## §. XX.

Cum vero ſub ipſa operatione de illis, quæ in aliis quoque incidunt, lipothymia e. g. & hæmorrhagia, hac vero ob multas tumoris venas varicoſas in præſenti caſu graviore metuenda, non modo proſpicere, ſed & in varios caſus, & præcipue vel tumoris ſolius, vel bulbi ocularii una extirpandi, cutis palpebræ ſuperioris conſervandæ ac decoræ olim cicatricis inducendæ &c. oportuerit eſſe paratum; itaque varia *ſupellex remediorum*, *inſtrumentorum*, *faſciarum*, *ſpleniorum*, *lintei carpti* &c. ante operationem inſtituendam decenter eſt comparata, atque ad promptum diſpoſita uſum. Scopo analeptico & temperante propinata ſunt, aliquot horis ante operationem, & ſub ipſa durante ſemel iterumque aliquot cochlearia: ℞. Corall. r. præp. Pulv. antepil. March. Lap. cancr. ſucco citr. ſatur. ana ℈ij.

Nitr.

Nitr. cryſtall. ʒß. aq. beton. - ceraſ. n. - violar. - bugloſſ. ana ℥ij. Conf. alk. inc. ʒiß. Sir. r. id. ʒvij. M. D. Summo mane etiam exhibita offa e jure carnis.

*Hæmorhagiæ deſtinata ſunt* : alcohol. ſpir. vin. crepitus lupi : ſpleniola quadrata e linteo quadruplici : linteum carptum, indigeſtum, ſive quod vocant, brutum : cauteria aliquot ignita : Pulv. ſtegnoticus, iſchæmus ſeq. ℞. Sang. Drac. Oliban. Tragac. ana. ʒj. Farin. volat. ℥ß. Terr. ſigill. ſileſ. r. Bol. armèn. ana ʒij. Alum. crud. ʒj. M. f. pulv. ſubtil. cum album. ovi conquaſſ. miſcend. ante uſum. S. *blutſtillendes äuſſerliches Pulver.*

Ad *uſus ſecandi, exſcindendi, ſeparandi, abſcindendi, ligandi* : varii ſcalpelli, recti, falcati, in ſpecie vero ancipites duo myrtiformes, ſuo manubrio firmiter, citra mobilitatem, conferruminati ac ſtabiliti : volſella, quali in anatome utimur : hamuli : ſpecilla ſulcata : forfices, rectæ ac curvæ : acus ancipites, chirurgicæ, rectæ ac curvæ, filum duplex ceratum trahentes. Lectus etiam in hypocauſto, & juſcula carnis calida juſſa ſunt parata haberi ; nec non ſpongiæ, aqua calida, acetum, & vaſa ad ſanguinem excipiendum.

## §. XXI.

Itaque in ſellam collocata muliere erecta, ex obliquo feneſtrarum, ab aſſiſtente chirurgo jurato, *Dn. Sturmio* ejuſque famulo capite & brachiis firmiter detenta : e directo ac proxime aſſidens mulieri *præſes*, illius pedes inter ſua comprehendit genua, tumque invocato DEI auxilio, ſpectante, me reſpondente & Dominorum Philiatrorum corona d. 27. Julii, h. a. mane hora octava *extirpationem* tumoris ſuſcepit, ac intra quadrantem horæ feliciter *perfecit*, *ſequentem in modum* :

Scalpello nimirum ancipite myrtiformi, quod citra cardinem junctum ſuo erat manubrio, inciſionem cutaneam, proxime ad arcum proceſſus orbitæ frontalis ab angulo externo fecit tranſverſam ad angulum uſque internum non modo, ſed & ſuper radicem naſi uſque in angulum oculi alterius ſani, itaque ſuper totum ſcirrhoſi tumoris dorſum : dehinc ſimilem cutaneam inciſionem, ſed perpendicularem, & quæ tranſverſam illam in medio decuſſaret, inflixit, trium fere pollicum longitudine : ſeparavit dehinc quatuor cruciati hujus vulneris angulos cutaneos a ſubjecto & adhærente ſcirrho, diductiſque per volſellas angulis hiſce, ipſius ſcirrhoſi tumoris radices ſeparando a radice naſi, bulbo oculi, ejus muſculis, & fornice orbitæ, proſecutus eſt. Magnum ſanguinis, quod hinc ſucceſſit ex apertis varicoſis vaſis, nonnulliſque arteriolis, diluvium injecit aliquam ſecanti moram, in abſtergendo & compeſcendo per ſpleniola, alcohole vini madida, linteumque carptum, in eo pariter imbutum, ſanguine. Digitos tamen & ſcalpellum brevi denuo immiſit cruento vulneri, & quam potuit caute ac celeriter ſtupendum hunc ſcirrhum, integrum ſine ulla laceratione radicitus ex ipſo etiam orbitæ fundo digitis extraxit, atque extirpavit.

## §. XXII.

*Præſtita* ſic feliciter hac *extirpatione*, digito ſtatim *explorare cœpit* ubivis, num occultæ forſan alicubi in orbita, angulis oculi, circa glandulam lacrymalem, vel alibi reſtitent tumoris radices, aut ſolitaria diſtincta tubercula, cum vero horum nihil quidquam, ſed totam fornicis orbitalis partem dimidiam ſuperiorem perioſtio denudatam, levem tamen ac politam detexiſſet, ad vulneris purgationem a grumis, quantum quidem hæmorrhagiæ metus permiſit, orbitæ maxima nunc parte vacuæ, repletionem per linteum carptum, albumine ovi conquaſſato & pulvere iſchæmo immixto, imprægnatum, ac ſpleniorum alcohole vini imbutorum, magnique ſplenii extimi ſicci impoſitionem, totiuſque oculi obligationem mediante faſcia, quæ oculus audit ſimplex, properavit, ægramque in proxime adſtantem lectum ſe componere, & juſculum carnis gallinaceæ juſſit haurire.

## §. XXIII.

Sub initium & progreſſum operationis effuſæ ſunt e vulnere *duæ circiter ſanguinis libræ medicæ*, ſic ut extreme non tantum expalluerit mulier, ſed & lipothymiæ proxima fuerit, quæ tamen debilitas & exhauſtio plurimum adjuvit hæmorrhagiæ ſuppreſſionem. Poſt impoſitos vero plumaceolos iſchæmos & ſplenia conſtitit torrens ille ſanguineus. *Haud indolentem fuiſſe operationem* ſatis teſtata eſt ægra clamore & agitatione corporis, operatori moleſtis. Totum *extirpare oculum videbatur ſupervacaneum*, cum nulla tali labe laboraverit, poſt ſeparatum illum tumorem ſcirrhoſum, quæ ſibi vindicaverit ulteriorem, longam, difficilem, novoque ſtipatam periculo operationem ac extirpationem. *Palpebræ ſuperioris* vero *cuti* in ſeparatione tumoris ideo *parcebatur*, ut ad finem curationis atque conſolidationis duo vulneris tranſverſalis labia facilius adduci, & nova caro generanda, quæ cavum orbitæ expleret, cute naturali palpebræ obduceretur pulchrius, quemadmodum & huic fini reſpondit eventus.

Quod vero tumor, œdematoſo-emphyſematicus viſus, palpebræ inferioris in ſuo extremo ad angulum oculi internum intactus fuerit in operatione relictus, cauſa eſt, quod præſes ſpem conceperit fore, ut ſublata jam per tumoris ſcirrhoſi extirpationem, cauſa gravitationis & compreſſionis, hæc palpebræ inferioris intumeſcentia vel ſponte, & mediante vulneris ſuperioris larga, quæ expectari debebat, longaque ſuppuratione, ſit diſparitura, vel diſcutientibus facile diſſipanda, vel & ſi duro nodo durus denique ſit opponendus cuneus, id commode reliquo fieri poſſit tempore, nec in mora periculum ſit futurum.

*Tumor* ſcirrhoſus *extirpatus*, & a cruore adhærente purgatus *pependit quinque uncias*, ſive decem lotones, non ſumpto in computum plurimo ſan-

ſanguine, qui e tumore ac integumentorum, vaſis varicoſis effluxerat durante extirpationis operatione. Coloris fuit albicantis, figuræ irregularis, tuberoſæ, in medio antico, ceu baſi, faſtigiatus, in poſtica autem facie conicus, apice coni, pollicis integri diametrum complente, in fundum orbitæ directo, in lateribus verſus oculi angulos inæqualiter tuberoſus & quaſi prolifer: nulla peculiari aut diſtincta cyſtide concluſus; uniformis, ſubſtantiæ ſolidioris, ſebaceæ, ac in latere baſis conici tumoris aliquam partem cartilagineæ duritiei, quemadmodum & ipſa aliquot vaſa ſanguinea vacua, albida, tumorem hunc trajicientia, notabilem craſſitiem cum duritie obtinuerunt. Nil vero quidquam organici, nullam vel glandulæ lacrymalis vel muſculi veſtigium exhibuit:

## §. XXIV.

Ipſo *reliquo*, *poſt operationem* peractam *ac ſubſequo die*, continuatio mixturæ temperantis, analepticæ, ac antiſpaſmodicæ, ſupra deſcriptæ, una cum diæta tenui, abſtemia, frequentibus tamen juſculis carnis, chærefolio recenti medicatis, quiete corporis & animi, præcipiebantur. Famulus vero chirurgicus die nocteque juſſus eſt ægræ aſſidere, & num hæmorrhagia redeat, invigilare.

Altero ab operatione die d. 28. Jul. circa veſperam prima vice ſolvuntur faſciæ, ac linteum carptum, præmiſſa vini tepidi ac ſpiritus vini irroratione & inſtillatione, caute removetur a vulnere, ac orbita eximitur ad ultimum uſque ſtratum, quod ob metum revocandæ hæmorrhagiæ relictum eſt. Detecto ſic vulnere ac orbitæ cavo, nulla ſecuta eſt hæmorrhagia: *nullum* in orbitæ oſſe, quod naturaliter affixam habet glandulam lacrymalem, *hujus glandulæ veſtigium*: *oculi bulbus* cum omnibus ſuis muſculis *illæſus*: hic ibi in orbitæ parte concava, ac ſuperficie, *perioſtei defectus*, os nudum: *oſſa* vero *orbitæ* cuncta levia, albida, *ſana*: *margo frontalis orbitæ*, prope angulum oculi internum, ubi cartilaginea tumoris ſcirrhoſi pars adhæſit, ſicut in ipſa operatione *nudus*, *aſper* acutuſve digito operatoris ſe ſtitit, ita & jam poſt ablationem impoſiti apparatus chirurgici, aſperulus tangebatur. Incertum an ex levi carie, vel avulſa ſaltem cum ſcirrho portiuncula oſſis. In ſubſequa vero tractatione nulla cariei ſymptomata ſe manifeſtarunt.

*Labia vulneris*, vicinæque partes pro more tument leviter. Nulla adhuc ſuppurationis indicia. Levem in vulnere ardorem ac tenſionem ſenſit ægra, & nonniſi de preſſorio ventriculi dolore queritur: pulſum tamen lentum habet ac debilem.

Munitur vulnus & expletur orbita denuo linamentis carptis, albumine ovi conquaſſato, ac unguento digeſtivo ordinario, cui pulvis ille ſtegnoticus erat commixtus imprægnatis, locus vero orbitalis marginis aſperulus ſpleniolo, eſſent. myrrh. ſine ſale alcalino parata irrorato, ſpleniis vero aqua

ſclopetaria imbutis, faſciaque. Exhauſto, quod reliquum eſt prioris mixturæ, hæc ſequens continuetur in ſehoria, quantitate 4. cochlearium. ℞. Lap. cancr. citrat. pulv. March.--Pannon. r. c. ana ʒß. Nitr. puriſſ. ℈j. cort. chaq. ℈ß. aq. ceraſ. n. -- beton. -- ſcorzon. -- ſcord. ana ℥ij. Sir. papav. errat ʒvj. M. Proxima nocte hora decima ſumat Theriac. cœl. Wirttb. gr. ij.

## §. XXV.

*Die* 29. *Jul.* Nullum apparuit extraordinarium, vel morboſum phænomenon. Intumeſcentia labiorum vulneris aliquantum ſubſedit. Dolor ventriculi imminutus. Appetitus ſolidorum ac liquidorum magis viget. Alvus conſtipata. Pulſus æqualis, & heſterno vividior. Vulnus obligatur ut heri. Relictum linteaminis carpti ultimum ſtratum, non extrahitur totum, ſed forfice tantum circumciditur ac minuitur ſuſpenſa manu. Ad noctem præbeantur Liq. C. C. ſuccinat. gt. XX. e mixtura heri præſcripta, quæ & ſingulis ſehoriis ſolitaria repetatur. Præbeantur loco prandii pruna damaſcena exſiccata & cocta, ad alvum lubricandam: victus autem de reliquo ſit tenuis.

*Die* 30. *Jul.* Suppuratione ſeroſa incipiente, deligatio bis quotidie inſtitui cœpta, & relictum huc uſque ultimum lintei carpti ſtratum, vino calente prius humectatum, non decerptum & exemptum abſque ullo ſanguinis fluxu.

*Die* 31. *Jul.* Hæc iterum multiſque ſequentibus diebus mane ac veſperi repetita eſt deligatio vulneris quotidie. Suppuratio laudabilis ſuccedit, facta deterſione placida per ſpecillum cochleatum, molli linteo carpto obvolutum, plumaceoli unguento digeſtivo, aliquando etiam remixto cum Balſamo Arcæi, orbitæ vero oſſibus petiola linea, eſſentia myrrhæ impregnata, & bulbo oculi, per palpebrarum commiſſuram proſpicienti, & ob priſtinum tumorem ſcirrhoſum, plus juſto prominenti ſplenium craſſius, imponuntur, ſicque ſurſum placide is reprimitur, ut in naturalem ſuam ſedem, orbitam, ſe reciperet magis magiſque. Nihil vel febrile vel ſpaſmodicum, vel aliud quidquam, quod malum portenderet omen, huc uſque ſupervenit. Alvus etiam reſpondit, & cardialgia penitus ceſſavit.

## §. XXVI.

*Primis Auguſti diebus portiuncula* ſcirrhoſi *tumoris* ſuper fornice oſſium naſi relicta fabæ magnitudine, conſumi tentata eſt inſperſo leni pulvere ſeptico e rad. ariſtol. long. ver. -- irid. flor. ana ʒj. alum. uſt. ʒß. ſed *impatiens* fuit vel leniſſimæ hujus irritationis, quin incrementa capiens poſt aliquot dies, coëgit præſidem recurrere ad radicalem exciſionem mediante ſcalpello, quam vero in tertiam abhinc ſeptimanam differre oportuit ob *interveniens* duabus vicibus *eryſipelas* totius dextri lateris faciei, auriculæ collique, prima

prima quidem vice levius, & brevi tranſitorium, ſecunda vero gravius atque longius, ſed abſque tamen præjudicio vulneris & ſuppurationis, quæ procedebant e voto. Propinata tum eſt ſequens mixtura: ℞. Lap. cancr. præp. conch. præp. pulv. pan. r. c. Nitr. puriſſ. ana ʒß. Cort. chaq. gr. XII. aq. fumar. -- ſcorzon. -- card. ben. -- nymph. ana ℥ij. Liq. anod. min. H. ʒj. Sir. pap. er. ℥j. M. Ultimo inſultu eryſipelaceo feliciter ſuperato, imperatum eſt ſeq. infuſ. theiforme, mane ac veſperi ſorbillandum, libræ dimidiæ quantitate, ℞. Rad. ariſtol. long. ver. ʒvj. -- ononid. -- ſarſapar: opt. ana ℥j. Scob. lign. ſanct. ℥iß. -- ſaſſafr. ʒvj. Fl. hyper. HB. meliſ. -- marrub. alb. ana ʒiij. Sem. fœnic. ʒij.

*Die* 23. *Aug.* hactenus in orbita nihil quicquam de priſtino tumore repullulavit, ſed laudabilis caro ſuccreſcere, & vacuum orbitæ cœpit reſarcire, ipſa vero orbitæ oſſa longe maxima parte perſtant adhucdum nuda. Aſſumpſit hoc die ægra ſal. cath. Angl. 1. Unica cum ol. deſtillat. fœnic. gt. ij. & hinc bis tantum alvo mota eſt.

## §. XXVII.

*Die* 24. *Aug. reſecta* funditus eſt non modo *portiuncula* ſcirrhoſi *tumoris*, radici oſſium naſi inſidens, de qua paulo ſupra mentionem injecimus: ſed & *tumor*, œdematoſo-emphyſematicus ab initio viſus, *palpebræ inferioris* qui hactenus tantum abeſt, ut ſponte & ab impoſita aqua ſcolpetaria fuerit diſſipatus, ut jam potius in nucis juglandis magnitudinem, & globoſam aſſurrexerit figuram, ſedullo exploratus, ac *ſcalpello profligatus* eſt. Specillo autem tenui ad latus hujus globoſi tumoris, in foramen hians immiſſo, deprehenſus eſt ſinum recondere ſub ſe arcuatum, juxta ductum palpebræ inferioris in mediam uſque hujus regionem. Unde immiſit præſes aliud ſpecillum ſulcatum ad finem uſque ſinus, hujuſque ductu immiſſa forfice optima ſubtili, diſcidit primum ſuperexpanſam tenuem cutem: digito exploravit apertam hanc cavitatem, multumque fungoſæ cariis innidulantis partim digito expurgavit, partim ſcalpello excidit non minus, ac folliculum tumoris globoſi, rubro liveſcentis, primo digiti attactu ſtatim crepantis, & ſincerum, quo fartus erat, ſanguinem etuctantis. E novo hoc vulnere modicus manavit ſanguis, lintei carpti, & ſpir. vin. irrorati, impoſitione cohibitus. His expeditis vulneris ſuperioris in orbita & palpebra ſuperiore cura ac deligatio mox eſt ſubjuncta, omnibus ibidem phænomenis voto ac expectationi reſpondentibus.

## §. XXVIII.

*Tractatum* porro eſt *utrumque vulnus* digeſtivis, balſamiciſque, ſuperiore quidem ad optimam conſolidationem tendente, aſt inferiore rebelli, & ob repullulaſcentem cito & copioſe carnem fungoſam, hic ibi indureſcentem, valde ſuſpecto. Hinc *circa ſept. initium* longa & profunda ſatis *inciſione apertus*

*eſt*

*totus*, qui carnem fungosam aluit, *sinus*, & excisa *omnis*, quæ recruduerat, *fungosi concrementi massa*, atque duobus *ferramentis ignitis* sic *repressa* & suffocata, ut inducta dehinc laudabili suppuratione, hic palpebræ inferioris longus & profundus sinus, quam optime, mediante primum oleo myrrhæ per deliq. parato, pulvillis instillato, dein balsamo Arcæi coaluerit intra tres septimanas, & consolidatus manserit. Proxima vero, quæ hanc ustionis operationem excepit, nocte, propinata ægræ est seq. Emulsio: ℞. Sem. pap. alb. ʒiij. - quat. frigid. maj. excort. ana ʒß. aq. samb. - nymph. - cer. n. ana ℥iß. bugloss. ℥ß. M. f. emuls. - colat. add. pulv. march. antimon. diaphor. ana ʒß. Nitr. puriss. ℈ß. Sir. pap. alb. ʒvj. D. reliquis diebus continuari jussum theiforme infusum. (§. 26.)

*Sub reliqua* per Septembr. ad medium usque Octobris *tractatione* nihil obvenit notatu dignum, & fœmina hæc pancratice vixit, floridumque, sub victu jam pleniore concesso, faciei colorem, vires habitumque corporis recepit plenissime. Vulnus quod super radicem nasi ad angulum internum oculi excurrebat, penitus, & æquali planaque cicatrice clausum, &, ne fœdam relinqueret eminentiam, solicite impeditum est, impositis imbricatim petiolis, e tenui serico nigro (Taffetas) incrustatis emplastro diapalmæ, & superpositis spleniolis, fascia oculi communi appressis.

## §. XXIX.

*Laudabilis* firma, rosea, sensilis *caro*, e fasciculo conico musculorum oculi progerminans magis magisque *explevit vacuum orbitæ*, ipsam vero superficiem concavam superiorem ossium orbitæ nova membrana, ceu periostio, latiore atque latiore incremento perrexit obtegere. Lentius processit hoc negotium illo, sic ut externam vulneris consolidationem digestivis & suppurativis compesci & suspendi oportuerit, donec ossa fuerint undique perfecte membrana obducta.

Curaverat Præses jam inde a prima operatione & excisione tumoris scirrhosi, ut labia vulneris cutanea pulvillis, digestivo imbutis unguento, cuti suppositis, suffulcirentur, atque sic intempestiva & præcox accretio eorumdem cum nova carne succretura, non minus ac eorumdem limbi introversio præveniretur; sed cum triduum peregre abesset, factum est, ut vulneris hujus labium superius parte sua anteriore concreverit citius pauloque ineptius cum producta nova carne supercilii, non satis scilicet elongata & complanata cutis illa parte, ut hinc in medio tumidula ac turgida quasi eminuerit tantillum; quæ vero laxior & eminens pars, uti successive impositis spleniis multum cessit, ita nullum est dubium, quin post aliquot menses, sponte penitus complanetur. Denique cum & *ossa orbitæ novo periosteo* tota essent *obtecta*, & interna cavitas orbitæ laudabili carne undique repleta, & non nisi extima vulneris rima superesset consolidanda, hæc, utpote sicca tenui cuticula occallescens, bis lapide infernali defricari, & excitata hinc superfi-

perficialis eſchara abſtergi tempeſtive debuit, unde *labia vulneris* in *totum* & belliſſime *coaluerunt d.* 18. *Oct.* h. a. & quatriduo poſt *domum reverſa* eſt hæc *mulier*, ab illa oculi ſarcina liberata, ac *perſanata. DEO ſit laus & gloria!*

## §. XXX.

*Arcus ſuperciliaris piloſus* integer ſuoque loco, *palpebra* vero *ſuperior cute ſua* naturali inveſtita, perſtiterunt poſt ſanationem. *Nulla* ullibi *deformis protuberantia. Bulbus oculi*, jam ante operationem ſuſceptam contractior & ſplendore ſuo corneæ privatus, infra pendulus *ſe retraxit* aliquantum verſus orbitam, & palpebra ſuperiore tantum non totus eſt obtectus: palpebrarum, ſuperioris & inferioris margines, ſive *tarſi*, *ſervarunt* naturalem ſuam *arciformem extenſionem*, citra omne vel ectropium vel entropium. *Muſculi* hujus oculi *quatuor recti* conjunctas vires & *actionem retrahendi bulbum*, plus ſemel inſpicienti comprobarunt *illibatas*, tam ſub ipſa periodo ſuppurantis adhuc vulneris, & orbitæ nondum carne nova expletæ, quam poſt plenariam conſolidationem, ubi bulbus ipſe oculi aliquando retrahi conſpiciebatur. Imo vero & *glandulam lacrymalem* cum ſuis ductulis excretoriis adhuc *in ſalvo eſſe*, licet ſede ſua naturali motam, videbatur arguere haud obſcure, quod durante hac cura, & poſt vulneris artificialis conſolidationem, per diſtinctas vices lachrymantis mulieris ob dolores e. g. ſub cauteriſatione perceptos, alias etiam propter ſuſpectæ graviditatis opprobria, verum lachrymale liquidum ex interiore palpebrarum ſede per genas exundaverit. Unde, cum liquidum hoc lacrymale, in ſua glandula ſecretum jugiter ac ſuper bulbum oculi excretum non perpetuo ſuperaverit tarſorum aggeres, oculumque, quem vocant, plorantem effecerit, recte inferri putamus, quod & reliquæ lacrymarum viæ per puncta lacrymalia &c. manſerint integerrimæ. An vero *palpebræ ſuperioris motus elevatorius*, qui hucuſque abolitus videbatur, *ſit rediturus* poſtliminio, & de integritate ſui muſculi elevatoris teſtatura? *tempus docebit.* Nos certe nec curamus, nec optamus, ſed mallemus conſtanter potius obtectam manere difformem oculi bulbum.

Dimiſſæ poſt plenariam curationem mulieri ſuaſum eſt, ut, ſepoſitis quidem jamjam omnibus ſpleniis ac faſciationibus, orbicularem tamen pannum ſericum nigrum, emplaſtro diapalmæ obductum, floreni magnitudine, impoſitum geſtet, ac ſubinde renovet, minimum tota imminente hyeme, ac ab aere frigido arceat oculum: ipſius vero Magiſtratum per litteras certiorem reddidit Præſes de fama & ſuſpicione graviditatis, quam incurrerit hæc mulier cœlebs, ipſique legitimam commendavit inquiſitionem & curam.

TANTUM.

DIS-

XVI.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA DE ΟΦΘΑΛΜΟΞΥΣΙ NOV-ANTIQUA, SEU WOOLHUSIANO-HIPPOCRATICA.

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*DEFENDET*

JO. GEORG. GMELIN

TUBING.

Tubingæ menſe Julii anno 1726.

# PROEMIUM

*Miraculo pene similis res est, quod per tot secula suam adhuc tueatur auctoritatem magnus Hippocrates noster! Hanc vero mirari, quin rimari mirum non est eum, qui vel Philosophiæ & medicinæ in prima ætate sua maximam imperfectionem, vel earumdem opimum nostris temporibus augmentum, imo & quot capita, tot sensus, novaturientium maxime nostrorum hominum attento perspexerit animo. Authoritatis quidem idolum, quod plus justo venerata est antiquitas, & præjudiciorum nebulas eliminare ac displodere magis magisque nostrum rectissime annititur ævum; sed, pessimo simul consilio veterum medicorum subinde deserit exemplum, qui morborum historias & imprimis signa curatius tradiderunt, ut hinc Cel. Stahlius ex illorum lectione se plus profecisse fateatur, quam neotericorum, & Cel. Lentilius [a] malit scriptorum aliorum totas triremes perire, quam unius Hippocratis libros, atque doctiss. ille Veronensis medicus Jo. Ant. Turcus sæpius dicere consueverit: se immensa novatorum commentaria præ una Hippocratis & Galeni pagina facile contemnere [b]. Ita sane Hippocratem non modo*

*Semper honos nomenque suum laudesque manebunt (sed attenta quoque ipsius operum lectio plures adhuc usus salutari nostræ arti affundet egregios; presso namque suo stylo aureas sæpe suppressit & abscondidit cautelas, curationes, operationes.*

*Quis eruditorum nescit hodie, Hippocratem in libello, quem inscripsit* περὶ ὄψιος, *mentionem facere alicujus* ξύσιος τῶν βλεφάρων ὀφθαλμῶν *i. e. rasionis palpebrarum oculi; sed, præter unum Dom.* Jo. Thom. de Woolhouse *nemo istius paragraphi sensum assecutus est,* [c] *cujus igitur viri natales & studia non ob hoc solum, sed plurima alia in rem ophthalmiatricam merita, tribus indicare non alienum videbitur. Is Prosapia nobilis Anglolondinensis, in Collegio Westmonasteriensi sub invocatione St. Petri Regius a pueritia Alumnus, inde in Collegio Sacrosanctæ Trinitatis apud Cantabrigienses graduatus, hinc Oxonii in Collegio St. Mariæ Magdalenæ socius regens, Jacobi II. Britannorum quondam Regis*



[a] Tab. Consultator. p. 40.
[b] Freher Theatr. Viror. erud. claror. p. 1302.
[c] Eph. Nat. Cur. ad Cent. V. & VI. append. p. 134.

*gis ophthalmiater, in Gallias patria exul trajecit, & Parisiis interea maxime medicinam exercuit oculariam magna cum nominis celebritate, jamjam Christianiss. Regis bibliothecarius subalternus, illustr. societatis Regiæ Londinens. & Berolinens. collega, nec non per plures annos in Prochotrophio Ter-centum cæcorum Parisino, vulgo dicto l'hopital royal des quinze vingt, inspector, hæreditariam quasi per quatuor generationes eruditionem ocularium insigni locupletavit accessione, per sedulam auctorum, veterum imprimis Græcorum, lectionem, per itinera in Italia, Galliis & patria, & per amplissimam praxim* [d].

*Prochotrophium hocce, quod tot oculorum morbis affectos alit, optima ophthalmiatrorum, quæ sui similem nullibi habet, est palæstra, ubi modo laud. Woolhousius tot affectuum oculi species, quas supra ducentas quadraginta numerat, clare demonstrat suis assectis, convocando menstruatim istos ægrotos, ut examini se quivis sistat. Egregio hoc instituto non tantum, sed novimestri insuper collegio ophthalmiatrico apud Cel. Woolhousium & creberrima post ea per biennium conversatione Parisiis frui & aliquot, sub ejusdem auspiciis, nobiliores oculis feliciter administrare operationes mihi licuit in subjectis vivis. Neque obstitit, quin stimulum potius addidit faventissimo Woolhousio, quod celeb.* Heisteri, *t. t. prof. Altorf. doctrina, patrocinio atque hospitio egregie olim adjutus, fidelissimi hujus præceptoris memoriam, licet sine factione, perpetuo colerem, novamque cum celeb.* Anellio, *ophthalmiatro Parisino, inirem amicitiam; inter quos, quam magna cum animorum contentione bellum literarium hucusque gestum est, tam singulari quisque celeberrimæ hujus trigæ me prosecutus est favore.*

*Inter dictata collegii istius Woolhousiana, quæ magnum complerent volumen, & quæ præter tot morborum species, quadraginta insuper docent operationes in oculo instituendas, vix duas absolvit paginas eximia operatio, de qua hic agemus, eo quod ipsam oretenus saltem tradendam voluerit, nec litteris mandari permiserit unquam. Hanc autem diutius eruditorum desiderio, &, quod potius est, ampliori ægrorum commodo subtrahere nefas duxi. Hinc, pace Cel. Woolhousii, ipsam hic plenius descriptam meisque scholiis & experimentis auctam candide aperiam, faxit* DEUS *feliciter.*

CA-

[d] Plura de Woolhousii doctrina & vita ad invidiam & ostentationem esse scripta putant aliqui in præfat. & passim, des Differt. Savantes & critiq. de Mr. de Woolhouse par Mr. le D. Cerf. à Ffort. 8.

## CAPUT I.

*Historia operationis & instrumenti.*

§. I.

OPhthalmiatriam veteribus non adeo incultam fuisse ex Hippocrate passim, Galeno, Aëtio, Celso &c. abunde constat, utpote qui insignium eo tempore ophthalmiatrorum, Demosthenis, Justi, Severi, Jesu Haly &c. non modo, sed plurimarum quoque operationum, oculis adhibitarum disertam faciunt mentionem. Aliqua in hanc rem exhibet specimina notissimus ille Hippocratis, περὶ ὄψιος libellus, neglecta & prætervisa quidem hactenus à plerisque, vel quod tanti non facerent isthunc libellum, sicuti commendatissimus alias Hippocratis commentator *Prosper Martianus* illum in suo indice libror. Hipp. & toto commentario plane omisit, [*e*], vel inter spurios insuper numerarent, ut in eo commentando laborem collocare noluerit *Hier. Mercurialis* [*f*]. Hanc litem jam non facio meam. Sicuti enim scripta Hippocratis edita putat Martianus non ab uno illo Coo, sed aliis ejusdem nominis, nec multum interesse censet, modo veram doctrinam & Hippocraticis dogmatibus consentientem contineant; ita & de hoc controverso Hippocratis fœtu tandem decidere liceret, qui sane, licet undiquaque perfectus non sit, gravitati tamen Hippocratis & doctrinæ nihil derogare videtur. Textus græcus ita se habet;

§. II.

Ὅταν δὲ ξύῃς βλέφαρα ὀφθαλμοῦ, ξύειν εἰρίῳ μιλησίῳ ὅλῳ καθαρῷ περὶ ἄτρακτον περιειλῶν αὐτήν, τὴν κεφάλην τοῦ ὀφθαλμοῦ φυλασσόμενος, μὴ διακάυσῃς πρὸς τὸν χόνδρον: σημεῖον δὲ ὅταν ἀπόχρυ τῆς ξύσιος, ὅκ ἔτι λαμπρὸν αἷμα ἐξέρχεται, ἀλλὰ ἰχὼρ αἱματώδης ἢ ὑδατώδης. Foësii versio, à Lindenii parum abludens, hæc est: cum autem oculi palpebras radis, lana, milesia, crispa, pura, circa fusum convoluta radito, ea cautione adhibita, ut oculi coronam evites, & ne ad cartilaginem peruras. Satis derasam esse palpebram indicio est, si non amplius sincerus sanguis, sed sanies cruenta & aquosa efluat. [*g*] Hujus paragraphi genuinum sensum à nullo usquam Hippocratis interprete perceptum expositumve hactenus fuisse asserit Cel. Woolhousius, in eo omnes deceptos ratus, quod ἄτρακτον reddiderint per fusum, quod nunc dierum obsoletum, insulsum & absurdum omnino sit; tempore vero Hippocratis nihil clarius & emendatius dictum fuisse; cum

[*e*] In magno Hippocrate coo explicato. fol. venet. 1652.

[*f*] In censur. oper. Hippocrat. 8. Basil. 1584. quod absurda non pauca & ab Hippocratica gravitate atque doctrina longe aliena habeat.

[*g*] Versio foësii, 8. Francof. 1596. nro. 42.

cum illo tempore atractylis, ( cardui aculeati ſpecies ) pro fuſo agreſti fuerit, quia vero fuſus hodie longe alius ſit, oportuiſſe, loco fuſi, carduum atractylim dicere, qui inſtrumentum vere idoneum ad incidendum & ſcarificandum conſtituat, iſtiuſque lanæ mileſiæ uſum non fuiſſe ſolum ut obſtaret, quo minus cardui ſpicula juſto profundius oculum ſubintrent, ſed ne digitos quoque chirurgi intimius pungant [*h*].

## §. III.

Ἄτρακτος, ου, ὁ, itaque imprimis quid hic ſignificet diſpiciendum erit. Galenus in lexico vocab. Hippocraticorum interpretatur: Ὀυ μόνον τὸν εἰς τὸ ἱερουργὸν χρήσιμον ἀλλὰ καὶ τὸ ξύλον τοῦ βέλους, i. e. non ſolum utenſile ad ſacrificium, ſed & lignum haſtæ. Quod ſane rem implicat magis quam explicat, niſi ſphalma ſubſit, ut loco τοῦ ἱερουργὸν, exprimi debuiſſet χειρουργικὸν. Eurip. pro ſagitta, Pollux pro parte mali ſupra antennam utitur; Ariſtoteles, Plutarchus, Suida pro *fuſo* ſumunt, Plinius pro *colu* [*i*]. Nam ἄτρακτος, inquit, cnici ſylveſtris mitior ſpecies eſt, caule tamen rigido, itaque & colu antiquæ mulieres utebantur ex illis, quare quidam atractylida vocant. Ἀτρακτυλὶς, ίδος, ἡ, ſpina eſt, aſſerente Dioſcoride, [*k*] cnico ſimilis, ob idque a Galeno VI. Simpl. κνίκος ἄγριος dicitur, & a Plinio cnicus ſilveſtris, & quod ſanguineum ſuccum fundat, phonos; folia fert quam cnicus multo longiora, in ſummis virgis, maxima parte nuda eſt & aſpera ὧ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται ἀντὶ ἀτράκτου, i. e. interprete Ruellio, qua fœminæ pro fuſis utuntur; capitula in cacumine ſpinis horrent; flos luteus, tenuis. Spina hæc variis ſynonymis innoteſcit, carduus vulgaris matthioli, vulgatiſſimus viarum lobelii, carthamus ſilveſtris tragi, carlina ſilveſtris dodonæi, vulgaris cluſii, cnicus ſpinoſior C. Bauh. atractylis media geſn. heracantha tab. & denique colus ruſtica Cord. Ægineteæ atractylis ruſtica, vel cnicus ſilveſtris è ſpinarum exiſtit genere. Hujus itaque cardui ſpinoſa & aculeata capitula, lana mileſia, quæ optima fuit in Ionia ex urbe Mileto, circumvoluta, adhiberi vult Hippocrates ad radendas palpebras, cui inſtrumento vegetabili nomen ἄτρακτος impoſuit, vel ob figuræ ſimilitudinem cum colu, tunc uſitata, & cui cannabis pexa ſolebat circumvolvi, vel ob materiæ, è qua colus & inſtrumentum hoc conſtabant, identitatem. Confundunt hic auctores latina quoque vocabula colus & fuſi, quæ tamen ſunt res diſtinctiſſimæ, ut vel è veteri fabula & effigie de Parcis ſatis ſuperque claret. Colus hodienum eſt bacilli inſtar longioris, immobilis, cui pexa cannabis circumdata & firmiter alligata eſt, ut digitis nendo deduci & in filum contorqueri poſſit, quod dein fuſo circumvolvitur, donec in juſtum excreverit

[*h*] E. N. C. ad cent. V. & VI. append. p. 134. anno 1717. ubi Woolhouſius indicem inſeruit quadraginta circiter operat. chirurg. quas oculis adminiſtrat.

[*i*] Hiſt. nat. LXXI. cap. 15.

[*k*] L. III. cap. 25.

verit glomerem. Colus german. *die Kunkel*, gallis la quenouille, fusus autem sive fusum dicitur *die Spindel*, fuseau. Itam ergo atractylida veteribus potius pro colu, quam fuso inserviisse crediderim. An ἔριος significet hic crispam, s. pretiosam, s. sanam & mitem lanam, juxta homonymias Homeri, parum interest. ξύειν est infinitivus pro imperativo, dialecto Ionica, à ξύω, rado, lacero, scalpo, attero, polio, depecto.

## §. IV.

In hac operatione & derasu jubet Hipp. vitare coronam, τὴν ἐφάνην, oculi circulum illum corneæ externum, ubi veteres non incongrue dixerunt omnes oculi tunicas concurrere & coire, qui ideo locus cæteris partibus oculi externis & sensu gaudet exquisitiore & vasculis sanguineis est refertior, ut hinc ulcuscula, furunculi ibidem occurrentes & omnes læsiones sint pejoris commatis. Cartilaginem s. tarsum pariter nimis profunde lacerari & radi vetat Hipp. μὴ διακαύσῃς inquiens πρὸς τὸν χόνδρον, non peruras, quod metaphorico sensu accipiendum erit, quatenus nimia isthæc laceratio exquisitum, quasi ustionis sensum infert vel ad alteram operationis partem & appendicem spectat, quatenus Hipp. jubet, si opus sit, post abrasionem adhiberi etiam ferramenta minime, s. leviter candentia, quibus palpebræ intus debeant inuri, maxime in casu durioris occallescentiæ. Minime tamen hinc consequitur, Hippocratem in hac rasione & attritione palpebrarum usum fuisse telo ferreove instrumento candenti & ignito, cum vel sola lanæ circumvolutio repugnet, quæ hinc incensa palpebris & oculo periculosam intulisset inflammationem.

## §. V.

Inter paucissimos tum veteres tum recentiores, qui vel mentionem fecerint hujus operationis, eminet *Paul. Ægineta* [*l*] his verbis: si callus in palpebrarum trachomate s. scabritie durior his (pharmaceuticis nempe) non vincatur præsidiis, genam inversam pumice, l. testa sepiæ, l. foliis ficulneis, aut instrumento, quod à palpebrarum rasura blepharoxyston vocant, abradimus. *Rhases*, [*m*] palpebram proponit exasperandam esse & exulcerandam instrumento, quod dicitur rosa, ex frondis rosæ nimirum circulatæ similitudine; nam habet caput, inquit, quale denarius & hoc deraditur, usque quo submoveatur asperitudo. Hoc vero instrumentum putat *Marc. Aurel. Severinus*, [*n*] esse illud, quod ad ungulæ oculi derasum vulgati apud chirurgos usus fuisse scribit *Arnald. Villanovanus*, calvum ab eo vocatum, & abs Severino l. c. rudi quidem & obscura delineatione exhibitum, de quo ait: fortassis instrumentum est, quo veteres ad deradendas palpebras usi sunt



[*l*] Medicin. totius Enchirid. 8. Basil. 1546. l. 3. cap. de Trachom. p. 173.
[*m*] Tract. 1. Divis c. 22.
[*n*] Libr. de efficaci Medicin. p. 2. c. 107. p. 114.

βλεφαροξύστρος nominato: cujus meminit *Thom. Minadous* l. 3. de affect. ext. c. 16. quod eſt de trachomate. Cel. Woolhouſius in Mſſ. aſſerit, in vetuſtis codicibus Hippocratis atque Æginetæ hujus inſtrumenti adumbrationem reperiri, unde forſan mutuatus ſit Severinus. Sed idem vel adeo male perſpexit hujus blepharoxyſtri ſtructuram, vel certe verbis & typo tam obſcure expreſſit, ut quale ſit, hinc vix divinare liceat. Suſpicor ego, ejuſdem caput circulatum eſſe & denarii magnitudine, figuræ concavæ, cujus altera ſuperficies levis & glabra ſit, & hinc inſtrumentum vocetur calvum, altera vero, concava ſcil. aculeis ſpiniſque aſpera cardui cujuſdam, in circulum artificioſe diſpoſitis, cui affixum eſt manubrium, vel ut commodius teneatur, vel ut Hippocratis fuſum, ab interpretibus ſic dictum, melius exprimat.

Reliqui, quos novi, auctores pari laborant obſcuritate: *Al. Benedictus*, *Jo. Gorræus*, [o] *Steph. Blancardus*; [p] qui blepharoxyſton definiunt, quod ſit inſtrumentum chirurgicum radendis, vellendis concinnandiſque palpebris aptum, à nonnullis xyſtrum appellatum, ἀπὸ τοῦ ξύειν; l. ξυρᾶν, quod eſt radere, tondere. Unus ille ſupra laud. *Woolhouſius* quædam commentatus eſt in hunc textum Hipp. quæ operæ pretium faciant. Cum tamen in E. N. C. & paſſim in catalogo ſuarum operationum & inſtrumentorum, it. in ſupra memoratis diſſertationibus criticis, imo in ſuo ipſius MSSto ænigma hoc ophthalmicum penitus ſolvere noluerit hactenus, non potuit non grata eſſe publico litterario, quæ Duisburgi ad Rhen. 1721. prodiit diſputatio medico-chirurgica, de ſcarificatione oculari Hippocratica, ejuſque in plurimis oculorum affectibus inſigni utilitate, ab *Jo. Henr. Hampe*, Siegenanaſſovico, pro licentia, quæ hujus myſterii revelationem promittebat. Neſcio autem, qua de cauſa, Cl. D. Hampe plures quidem auctores allegaverit, textum græcum reſolverit, partes oculi anatomice deſcripſerit, & morbos, qui hanc experiuntur operationem, pleroſque explicuerit, juſtæ tamen lectorum expectationi in xyſtri ophthalmici compoſitione & uſu, operationis item multiplici ſubjecto & modo debite indicandis & deſcribendis minime ſatisfecerit [q].

## §. VI.

Inſtrumentum itaque huic palpebrarum raſioni dicatum ingenia eruditorum & artificum hucuſque non minus exercuit, ex quo textus Græci analyſin ſuppeditavit, atque regno vegetabili illud deberi ſubinnuit nunquam ſine laude nominandus Woolhouſius. Plures hinc enatæ ſunt blepharoxyſti ſpecies,

[o] Definit. med.

[p] Lex. med. ſub tit. blepharoxyſton

[q] Id. reprehendit in Hampio celeberr. Heiſterus in chirurg. German. nov. & locuplet. 1724. Norimb. in 4to edit. p. 399. cap. de ſcarificatione, ubi refert, quod hujus arcani revelatio ipſum magno conſtiterit pretio, ſe vero malle ipſam Woolhouſii deſcriptionem expectare, quam ſua, forte non ad Woolhouſii mentem facta, novam hujus incurrere reprehenſionem.

cies, breviter indicandæ. *Primum* ſit, quod Woolhouſius blepharoxyſton vocat κατ' ἐξοχὴν, ſpeciemque refert exigui cochlearis è chalybe, cujus ſuperficies convexa pluribus circumquaque eminentiis exilibus, inſtar limæ, exaſperata eſt, concava vero levis. *Alterum* bivalve quaſi eſt, argenteum ferreumve & è duabus laminis planis anterius rotundis, pollicem vere latis, poſterius arctioribus & in manubrium coalitis conſtat, cujus inferior lamina ſeu valva immobilis aliquot phalangis exilium è chalybe acuum, firmiſſime inſertis, horret, eaſque per foramina oblonga valvæ ſuperioris elaſticæ tranſmittit, ſi hæc comprimatur. *Tertium* vocaveris lanceolam verſatilem, duabus tenuibus atque exilibus valvis abſconditam, quod palpebris ſubditum, in gyrum moto longiori ſtylo, cui ſuperius conferruminata eſt lanceola, hanc foras vertit & palpebras incidit. Uſus hujus periculo non caret. Pariſiis certe de infauſta ejuſdem applicatione aliqua audivi exempla. Agmen claudit ineptiſſimum illud, quod tres cuſpides chalybeas intra ſe invicem incurvatas habet, quibus ſane divelli potius & dilaniari oportebit oculi partes, quam incidi ſaltim & ſcarificari. Sed & duo priora non majori videntur encomio digna. Quamvis enim caſus occurrant adeo calloſarum & induratarum partium e. g. in trachomate, ut duro nodo durus merito quæratur cuneus, multiplici tamen ex ratione videntur tunc præſtituræ inciſiones ſeu ſcarificationes lanceola ordinaria factæ, quæ viam pandant ſubtiliori noſtro xyſtro, dehinc applicando.

Felicius rem acu tetigerunt, vel inſtrumentum è ſchola Woolhouſii petierunt *ill. medici Berolinenſes* [*r*] verba hæc ſunt: inſtrumentum, quo peragitur oculorum ſcarificatio, ex vili aliquo vegetabili præparatur, mediantibus cujus præeminentibus tenerrimis denticulis, minuta inflata vaſa, ſtringendo, lacerantur. Idem ſagaci conjectura aſſecutus eſt celeb. D. D. *El. Camerarius* noſter, vir ſupra meas laudes poſitus, [*s*] ſuſpicans, conſtare illud ex ariſtis ſcite colligatis, pungentibus, aſperis & ſubtiliter ſcindentibus, imprimis ſpicarum hordei atque ſecalis. Jam itaque cum plenariæ myſterii propalationi proximus ſis, ben. Lector, noli quæſo inventi pretium è materiei vilitate, unde componitur inſtrumentum, metiri, ſed ex incomparabili; quem mox adjungam, uſu. Quantum vero caſui & ingenio debeat inventio noſtrorum in medicina præſidiorum, hujus inſtrumenti natales denuo teſtantur. Læſus quidam graviter oculo per acutam ariſtæ cuſpidem in manus incidit ingenioſiſſ. Woolhouſii, narrante hoc mihi eodem, huicque anſam præbuit de remedio & inſtrumento cogitandi, quod inflammationem tunicarum, quam effecit, tolleret iterum, diſruptis vaſculis ſanguine turgidis, juxta illud Ovid. [*t*].

*Sic mihi res eadem vulnus opemque feret!*

CA-

[*r*] Act. med. Berol. vol. IV. c. 6. p. 107. an. 1719.
[*s*] Diſp. cui titul. Miſcellaneæ theſes medico-chirurgicæ, 1724. theſ. VI. p. 20. 21.
[*t*] Ovid. Triſt. l. 2. eleg. 1. v. 20.

## CAPUT II.

*Inſtrumenti Woolhouſiani denominatio, materia, forma, prærogativæ.*

### §. VII.

XYſter l. *Xyſtrum* optime vocatur ab effectu & uſu raſionis ſ. lacerationis, quam præſtat, (: licet à veteribus quoque id nomen medicamento ſiccanti & leniter cathæretico fuerit impoſitum, [*u*] item ſcalpro raſorio, [*x*] cum epitheto *ophthalmicum*; quod nomen generale ideo præferendum videtur determinatæ magis blepharoxyſti ſ. palpebrarum raſoris, appellationi, quoniam noſtro non palpebræ tantum ſubjiciuntur xyſtro, ſed aliæ inſuper oculi partes, & alias etiam blepharoxyſis multum differt à noſtra ophthalmoxyſi. (vid. c. 3.) Materiam ipſi ſuppeditat ſpica ſecalis, hujuſque non tam ariſta, quam gluma. Spica vero botanicis eſt conus erectus, ſive oblongus, ſive admodum acutus è floribus l. ſeminibus ſpiſſe compoſitus: ariſta dicitur, acus exilis & longa, e gluma extans; gluma vocatur, folliculus grani in frumentis [*y*].

Secale appello plantam graminifoliam, flore ſtamineo, culmiferam grano majori, ad panificia utilem, quæ culmo ſ. caule eſt elatiore, ſpica paulo compreſſiore, quaſi quadrangulari, perpetuo ariſtata, grano ſtrigoſiore tenuiore & nigriore, glumis non undique tecto, ſed magna ex parte nudo, farina nigriore, humidiore, nobis *Roggen*, gallis du ſeigle dictum.

Glumæ hæ ſecalis ſub examen vocatæ obſervantur aſcendere per ſpicam è duplici latere binæ, quarum ſe quævis exhibet bifidam & hiantem, ut granum maturum, quod continet ſolitarium, hinc magna parte nudum proſpiciat. Glumæ hujus bifidæ interna dimidia pars ſ. ſegmentum, quod reſpicit proximum alterius glumæ oppoſitæ granum, mollior, tenuior eſt atque multo brevior, externa vero pars rigidior, in dorſo minimis quaſi denticulis acutis, albidis, ſurſum ſpectantibus horret, inque ariſtam coit cum reliquis ſuis lateribus, quam minimæ ſpinulæ aſperam undique reddunt. Hanc ego ſecalis glumam exteriorem, denticulatam neque hic botanicis pro nota characteriſtica, qua ſecale differat à congeneribus, hordeo, panico &c. obtrudo, neque pro objecto phyſiologiæ botanicæ, cui ſcil. uſui horrentes iſti ſerviant denticuli, quem tamen haud unum ſuſpicor. Sufficit hoc loco, iſtas glumas exteriores & ariſtatas partes, à ſpica placide avulſas l. abſciſſas, numero 10. l. 12. quin plures, ita colligandas eſſe, ut ariſtæ omnes prope glumam filo lineo, l. ſerico fortiori, cerato conſtringantur, filumque pluries circumducatur firmiter, ut petiolus quaſi & manubrium efformetur dimidii fere pollicis,

[*u*] Paul. Æginet. l. c. l. VII. p. 696.
[*x*] Jo. Scultet. armament. chir. tab. VI. p. 11.
[*y*] Jo. Raji. meth. plant. Lond. 1703. p. 197.. ſqq.

cis, lati, longitudine, quo inſtrumentum poſſit teneri ab operatore, ſicque ſub aliquali minimarum ſcoparum ſimilitudine xyſtrum conſtituere opthalmicum.

Glumæ vero ita in circulo ſunt collocandæ & dirigendæ, ut earum dorſa ſeu anguli maxime denticulati atque ſcindentes undique ſpectent extrorſum aciemque ſuam parti affectæ inter operandum infigere queant. Adornatis ſic glumis atque ariſtis filo connexis, aliqua portio glumarum ſuperius reſecatur, ut omnes æqualiter emineant; ſic pariter, quod ultra fili convolutiones in cauda & fine petioli ariſtati protenditur, forfice reſecatur.

## §. VIII.

Spicæ hæ pariter ac ipſa hinc compoſita xyſtra loco temperato aſſerventur & unius ad ſummum anni ætatem contrahant. Alias enim vel nimis exſiccantur, ſicque ſub operatione franguntur, aculeoſque tunicis oculi altius infixos relinquunt; vel nimia humiditate molleſcunt, ſicque debita ſpiculorum rigiditas & tonus fatiſcunt. Cuilibet operationi novum plerumque admovetur xyſtrum, quod nondum inſerviit, quoniam ipſius ſpicula inter operandum obtuſa atque detrita non amplius ſcindere valent, niſi ubi molle & detritum expetatur expreſſe (v. §. ſeq. 9. ad calcem.)

Ariſtæ ſolæ reſectis glumis, in xyſtri formam colligatæ tam acriter non ſcindunt, & ruptioni aliiſque incommodis magis ſunt obnoxiæ; hinc neque hordeum neque congeneres herbæ frumentaceæ huic negotio aptæ ſunt.

Omnium huc minime quadrat *inermis avena*, quam tamen recentiſſ. de morbis & operationibus oculariis ſcriptor Pariſinus, Dn. *de St. Yves* [z] in ſcenam producit his verbis: les uns la font (ſcil. la ſaignée de l'œil) avec un aſſemblage de pluſieurs barbes d'épis d'avoine en forme de broſſe, dont on ſcarifie la conjonctive, en la paſſant rudement ſur cette membrane. Mirum ſane lectoribus videbitur, qui hunc Woolhouſii æmulum & Pariſiis non degentem modo, ſed olim quoque ejuſdem in deligationibus oculariis ſubinde miniſtrum adeo latere potuerit hæc operatio, ut ipſam confunderet cum venæ ſectione oculari & avenæ acutas vel ſcindentes affingeret ariſtas, quam tamen totam quantam inermem & nulla ſui parte huic negotio aptam natam mox judicabit, qui ſemel illam inſpexerit vel obiter. Hanc, aliaſque plures anatomicas atque chirurgicas animadverſiones proferendi in hunc Dn. de St. Yves librum, ob multas nihilominus encheireſes & obſervationes utiliſſimas ſua laude non privandum, dudum occaſionem præbuiſſent Woolhouſianæ cribrationes, ſub meo nomine, me autem inſcio, nunc & invito, prelo mercurioque eruditorum pariſino commiſſæ, niſi tempus concatenatis meis & magis neceſſariis utilioribuſque diſtractionibus impendere practicis, cætera



[z] Nouveau trait. des malad. des yeux &c. 8. Paris 1722. p. 194. ſeq.

vero non tam disputationis ferram reciprocare, quam christianam Ovidii laudem sectari maluissem.

*Non ego mordaci distrinxi carmine quemquam!*

§. IX.

Succedanea glumæ secalinæ pro xystri fabrica curioso scrutatori regnum vegetabile offeret plura; aculeos huc advocare licet & hamulos variarum cardui, lappæ &c. specierum. Caules, folia, calices, fructus, asperi, aculeati quot suppetunt? Imo è reliquo naturæ penu, regno scil. animali & minerali, quidni alia xystri specimina juvabit depromere? Allicientur itaque fortassis nob. DD. opponentes, ut naturam artemque felici connubio jungentes aliud excogitent inveniantque xystrum ophthalmicum, omnibus numeris absolutum. Veteribus, ad attenuandum & atterendum trachoma, leucoma callumque duriorem, in usu fuisse folia ficus, pumicem, testam sepiæ, asperam certorum piscium marinorum cutem &c. è Galeno & Ægineta patet.

Specialem adhuc attentionem meretur equisetum majus, depile, nudum à Fuchsio vocatum, caules habens geniculatos, scabros, qui per microscopium observantur constare multiplici serie perpendiculari, s. plurimis quasi columellis, quæ plurimis conferto agmine denticulis cuspidibusque, oblique sursum inclinatis exasperantur cum intermediis inter quamvis columellam sulcis perpendicularibus. Caules hi artificibus inserviunt ad ferrum, lignum &c. polienda, venales sub nomine *Schachtelhelm* vel *Schafftheu*. Alteram equiseti speciem pilosam culinis inservire nostris & hinc abs fuchsio [a] vocari *Kandten-Kraut*, quasi herbam cantharorum purgandorum, notissimum est. Qua ratione hinc equisetum in genere sit absterfivum, adstringens, traumaticum, præsertim in pulverem contritum vulneribusque insperfum ex Fuchsii &c. commendatione, illis ex indigitata particularum figura deducendum relinquo, quibus alias medicamentorum particulæ hamatæ, scopales, cuspidatæ & reliquæ explicationes ejusmodi placent. Caulem modo majoris istius equiseti huc traho, quo nimirum in trachomate, scirrho, ectropio aliisque morbis, ubi superficiem callosam durioribus aggredi, arrodere & quasi limare decet, felicius forsitan utaris, ac nostro xystro, quod vel nimis laceraret, vel uncis suis sub operatione infixum longiorem necteret moram, & dolorem ægro causaret exquisitiorem in parte affecta valde callosa.

§. X.

Ex his autem facile perspiciet ben. Lector, *xystrum Woolhousianum* omnibus reliquis hactenus allatis palmam præripere; hujus enim sive parabilitatem spectes, s. pretii vilitatem, s. tenendi commodum, s. adhibiti securitatem

[a] Herbar. german. in fol. c. 21.

tem, undiquaquè sese commendabit. Exigua ejusdem moles hucusque etiam egregie favit Woolhousianis affectis ad occultandum sub digitis commode hoc instrumentum, eidem adhuc fini apud formidolosas patientes vel aliam ob rationem, utiliter inservitura. Nullus autem huic metus est ab hæmorrhagia periculosa vel lethali, quam tamen à subtilibus licet lanceolis, nec adeo profunde adactis, in cucurbitularum cum scarificatione impositione profectam subinde narrant historiæ. [*b*] Mirum pariter est, à dentibus s. cuspidibus non valde acutis vel scindentibus, sed acuminatis saltem & rigidis [*c*] quos hirudo s. sanguisuga abscondit in ore suo triangulari, & ope horum parti, cui applicatur sugendæ, vulnus infligit triangulare non adeo profundum, tantum concitari affluxum, ut per plures non modo horas, sed etiam dies pertinaciter fluat sanguis, nec ischæmis linteisque impositis facile sisti queat, licet nulla conspicua vasa videantur læsa, testante soleit ss. mox laudato *Dillenio*; sed nec tale quid, sub frequenti & asperiore etiam subinde Woolhousiani xystri usu hactenus evenisse constat, nec facile eventurum puto. Timidas & delicatulas plures jam personas hoc aggressus sum xystro, aliquas etiam teneriores sub operatione in lipothymiam lapsas, sed nondum mihi accidit, quod J. *Walæus* [*d*] de timidis observavit: quod scil. eis scarificatio interdum sanguinem non educat. Pariter, cum vegetabile hoc xystrum unicæ operationi adhibitum suo officio plerumque sit defunctum & abjici debeat, (: exceptis paucis casibus, ubi xystrum hoc emollitum quasi & è prægressa operatione paulisper detritum præfertur, quam tamen emollitionem quoque præstaret brevis maceratio xystri recentis in aqua tepida) molestiam hanc toties repetendæ compositionis eximia hac compensat securitate, ut sic propagandi contagii in malignis & contagiosis oculorum affectibus non evadere possit vehiculum, sicuti scalpella, lancettas ab ægro inquinatas & non satis detersas sollicite, sontica, aliis sanis posthæc adhibitas, mala novimus intulisse [*e*].

---

## CAPUT III.

*Operationis nomen, subjectum, indicantia, analogia, modus, cautelæ, usus.*

### §. XI.

SIcuti vocavimus instrumentum, ab effectu, xystrum ophthalmicum (§. 7.) ita ipsam operationem appellabimus *ophthalmoxysin*, s. oculorum rasionem. Cur autem illas non retinuerim denominationes, sub quibus jam inno-

[*b*] Rhod. obs. 69. c. 6. it. E. N. C. cent. IX p. 13. it. Langius epist. 40. l. I. p. 175.

[*c*] Cuspides illæ s. aculei male negantur a Franc. Poupart, journ. des sçav. 1697. edit. Amst. Tom. 25. p. 537. recte v. asseruntur & pinguntur ab Jo. Jac. Dillenio E. N. C. cent. 8. obs. 57. p. 338.

[*d*] Method. Medend. p. 90.

[*e*] Crato in Epist. 139. p, 243. meminit scalpelli impuri, in scarificatione communi peri-

innotuit, ſcil venæ ſectionis ocularіæ, l. ſcarificationis oculi, vel blepharoxyſis, mox patebit? Ab ipſo Woolhouſio vocatur paſſim le degourdiſſement ou degonflement & ſcarification du globe de l'œil; [*f*] item ſpecifica oculi ſcarificatio. Abs Cl. D. Hampe l. c. atque ab aliis pariter ſcarificatio vocatur ocularis. [g] Non pudet me ſcarificationis tituli, qui chirurgorum turbam in germania dirimit in claſſem ſic dictorum purorum & impurorum, inter quos plerumque non melius ideo convenit, quam inter canes atque feles. [*h*] Sed cum ſcarificatio plurimum differat ab hac operatione & inſtrumento & modo, ſubjectoque ordinario, præſtare videtur nomen ξύσις τοῦ ὀφθαλμοῦ, ſ. ophthalmoxyſis Hippocraticum retinere.

*Subjectum* ſ. partes oculi, quæ huic operationi ſubjiciuntur, non *palpebrarum* modo *interiora* conſtituunt, (uti vult Cl. Hampe.) ſed ipſius quoque oculi *tunica conjunctiva* atque *cornea*, it. *glandula* & *caruncula lacrymales*, in certis caſibus. Ut plurimum tamen palpebræ tantum hanc experiuntur operationem. Partibus hiſce nunc anatomice & phyſiologice expendendis ſuperſedeo, cum id toties & noviſſime ſit actum ab aliis, & quæ forſitan de proprio poſſemus aſpergere, nos hic longius juſto abripierent. Plura forſitan afferentur ad hanc rem facientia in *orat.* mea *inaugurali* propediem habenda de *minutiis anatomicis*, *magnis in praxi momentis*. Subjectum hoc varie p. n. afficitur, ſicque fit *indicans* noſtræ operationis. Ita *tunica conjunctiva* ſ. ipſum album oculi xyſtro ſubjicitur ophthalmico, cum ulcere obſidetur exiguo, *Pſydracium* dicto, cujus fibræ vaſculave mox mox divellendæ ſunt per ophthalmoxyſin, antequam ſuppuretur: it. in *panno*, l. panniculo, ut ipſi nutritio intercipiatur & incrementum inhibeatur, vel poſt operationem panni relictæ, uti facile fit, aliquot fibræ penitus diſcerpantur & deleantur: it. in *chemoſi*, ubi vaſcula ſanguinea valde turgent & ſupra corneam eminent; porro in *phlyctænis* ſeu bullis ardentibus, quæ *corneam* æque ac *conjunctivam* obſidentes & ſerum acre roſivum continentes mox aperiendæ ſunt acu quadam ophthalmica, l. lanceola, dehinc xyſtro noſtro radendæ & decocto traumatico fovendæ. Magis adhuc tunica cornea requirit ophthalmoxyſin, juxta Cel. Woolhouſium, in *venoſitate*, ubi vaſa ſanguinea, nova quaſi, corneæ inducuntur atque turgent, quod alias etiam ſæpe accidit in chemoſi, & panniculo carneo, vaſculoſo, qui corneam ſubinde profundius penetrant, ut ex pellucida plus minus rubeſcat, opacetur, vid. ſæpe cit. in E. N. C. locus. Palpebrarum itaque, ſuperioris & inferioris, internæ ſuperficies ordinarium ſunt

periculoſe inficientis. Apud nos in oppido Canſtatt ante 20. annos venam ſecuit chirurgus ægro, lue venerea contaminato, eademque lancetta pluribus aliis venas aperiens fœdam pariter i: ſinuavit ſiphylidem, de cujus arthriticis reliquiis nuperrime auhuc me conſuluit mulier Canſtadienſis, licet curam poſtea ſuperarit ſalivatoriam.

[*f*] Le Cerf. diſſ. crit. dans la ſpecificat. des 40. operat oculaires de Mr. de Woolh. §8.

[*g*] E. N. C. append. ad cent. V. & VI. p. 134. §. 5. & p. 136. §. 1.

[*h*] Hanc litem falſe perſtrinxit Jo. Caſp. *Schwarz in der gezancten Narrenkapp der bader und barbierer. Frenyh.* 1712.

ſunt ophthalmoxyſis ſubjectum, idque non modo in domeſticis palpebrarum morbis, ut in *ectropio*, *miltoſi*, *trachomate* &c. ſed in pluribus quoque aliis oculi in-& externis affectibus. *Caruncula lacr.* in encanthide ſeu relaxatione & intumeſcentia [*i*] in *peribroſi* ſeu pruritu & exulceratione &c. *Glandula* vero *lacr.* in prolapſu & anaſtomoſi ſeu hiatu, apertione & laxitate p. n. ductuum ſuorum hydroblepharicorum leniori quandoque corriguntur & roborantur ophthalmoxyſi.

## §. XII.

*Analogæ Operationes*, quæ cum ophthalmoxyſi vel confunduntur, vel ejuſdem uſum illuſtrant, & aliquo modo ſimiles ſunt, huc redeunt: *Blepharoxyſis*, ſuffricatio, levigatio, interpunctio & depuratio palpebralis (ſynonyma ſunt Woolhuſio.) inſtituitur in omni ulcerationis ſpecie glandularum lacrymalium & ciliarium, in trachomate, ectropio, cæteriſque palpebrarum & tarſorum affectibus inveteratis & rebellibus, qui communiter nulli remedio cedunt (*k*). Proprie tamen reſtricta eſt ad duriores aſperitates & varias palpebrarum calloſitates, quas jubet Woolhouſius primum incidere & interpolare pluribus vulnuſculis ſuperficialibus, per interſtitia ſeparatis, & apice ſaltem lanceolæ ordinariæ ſuſpenſa manu velociter infligendis, Gallis dechiqueter, ut locus dehinc fiat duriori xyſtro ferreo, ſuperius allegato & refutato (§. 5.) *Apotripſis corneæ* eſt adverſio, eroſio macularum albidarum, l. condenſatarum & corrugatarum corneæ pellicularum & reſeratio obſtructorum ejuſdem vaſorum cryſtallinorum, procurata vel ope medicamentorum, ſuperius ex parte indicatorum, vel raſionis & abraſionis ſuperioris pelliculæ & cruſtæ, quæ in cornea eminet, mediante ſcalpello exiguo, quod invenit Conſt. Africanus, ſcalprum vocans ophthalmicum ſeu xyſtrum, & feliciter hanc apotripſin primus forte celebravit. *Phlebophtalmotomia*, venæſectio ocularia non facile dignoſcitur in ſcriptis Woolhouſianis, typo impreſſis, ab ophthalmoxyſi, de qua in præſens agitur, imo confunditur adeo, ut prædicata, quæ tribuuntur ſcarificationi oculariæ (ſeu ophthalmoxyſi:) & phlebophthalmotomiæ tanquam utrique narrentur communia, cum re ipſa tamen ſint contraria & incompatibilia. E. g. in diar. erud. Pariſ. 1696. d. 12. Novembr. venæſectio ocularia laudatur, quæ perfici poſſit cum æque exiguo dolore, ac periculo, ope parvulæ lanceolæ, quam phlebotomen ocularium nominat, inque E. N. C. l. ſæpe cit. p. 133. ad eumdem modum & inventionem provocat, quibus revera phlebophthalmotomia peragitur. Jam vero mire diſſonant verba in diſſ. crit.



[*i*] Scarificat vero & attenuat abraditque ipſam ita auctam productamque Woolhouſius xyſtri ſui ſubtilis acieculis, poſteaque collyrio adſtringenti deterſivo & deſiccativo priſtinam fibris tenſionem reſtituit. Sunt ipſa Woolhouſii verba l. c. E. N. C. p. 136.

[*k*] In E. N. C. & catal. operat. Woolhouſian. diſſert. crit. DD. le Cerf. In hoc catalogo peculiarem efficit operationem e levigatione palpebrarum calloſarum, quam tamen in E. N. C. unam eandemque deprædicat cum blepharoxyſi. Sed cavendum hic, ne entia præter neceſſitatem multiplicentur.

Woolh. cit. p. 350. ubi iterum ſcarificationem & phlebotomiam oculi pro ſynonymis affert, & ceu operationem, ab Hipp. in libello de viſu obſcure indicatam allegat, cujus vero illuſtrationem & inventionem in ſupra citat. diar. erud. Pariſ. & catalogo ſuorum inſtrumentorum prius impreſſo, notam fecerit. Atqui in ophthalmoxyſi, ſeu quam vocat Woolhouſius, ſcarificatione oculi, inſtrumentum eſt vegetabile, e glumis ariſtarum ſecalinis & dolor ægri inter operandum exquiſitus, in phlebotomia vero oculi adhibetur lanceola, minerale & ferreum inſtrumentum, quæ nullum, l. exiguum ægro dolorem cauſat, ut cætera taceam, quibus diſcrepant.

Inventionem hujus Phlebotomiæ ſuam quanti æſtimet cel. *Woolhouſius*, inde ſatis patet, quod inæſtimabili illi comparet (*l*) ſecreto *Hovii*, quo cataractas ſine operatione prætendit curare, (*m*) hactenus autem, quod ſciam, pauciſſimis probavit exemplis. Inventum hoc phlebotomiæ oculariæ primum publico annunciavit *Woolhouſius* in catalogo ſuorum inſtrumentorum, quem Pariſiis anno 1696. imprimi curavit in 8vo, cujus extractum exhibet diar. erud. Pariſ. edit. Amſtel. tom. 24. anno 1696. die 12. Novem. p. 681. ad hoc inventum ſe refert Woolhouſius in E. N. C. loc. cit. p. 133. & Magiſtro Antonio exprobrat ejuſdem ignorationem, in ephemeridibus gallorum tamen dudum memorati. Hanc vero phlebotomiæ oculariæ vel inventionem, vel deſcriptionem certe, jam ante plus quam centum annos propalatam fuiſſe abs famigeratiſſ. *Fel. Platero* [*n*] Cl. Woolhouſius ægre non feret, ut moneam, utpote, qui facit exceptionem ab illa doctiſſ. *Schelhammeri* regula vel obſervatione [*o*]. Inſtituitur hæc phlebotome in *panniculo vaſculoſo*, *ſebel Arabum* dicto, ubi plexus vaſculoſus, ruber ex angulo oculi interno utplurimum ortus, toti denique implicatur conjunctivæ, extumeſcit, tenſiones, lancinationes dolorificas, lacrymationem, & viſum reddit obſcurum; vel in *Sevola Conſtantini Africani*, cum vas ſanguineum prætumidum majora indies ſumit incrementa, & pruritum ſubinde provocat moleſtiſſimum & lacrymationem, nec minus viſum corneamque obfuſcat.

Operationem tum præcedunt variæ præparationes per veſicatoria, V. S. arteriotomiam temporum, ſetacea, fomentationes &c. ſcopo & evacuandi & revellendi, deinde elevatum parumper vaſculum ope acus curvæ, planæ, non ſcindentis, forfice diſſecatur vel lanceola; ſi plura turgeant, reſcinduntur

[*l*] Diſſ. ſcav. & crit. p. 311.

[*m*] Hovius de circ. hum. motu in ocul. p. 122.

[*n*] Prax. med. l. 1. Tit. de viſus læſ. 8. Baſil. 1609. p. 280. Panniculo l. tollendo: l. poſt exſectionem repullulaturo, venarum tunicæ adnatæ inciſionem ſuadet opponendam, impoſitis poſtea ſiccantibus; item ſæpe ſecando illas venas, ut ſanguis profluat, panniculum l. præcaveri, ne formetur, l. factum marceſcere aſſerit. Eodem provocat M. A. Severinus, de Effic. med. Fft. 1646. p. 55. C. 10. de phlebotome venular. oculi tunicarum.

[*o*] Additament. ad introd. in med. Helmſtad. 1687. p. 255. In anglis pleriſque omnibus deſiderat, quod ſpernant monumenta antiquitatis, & alto ſupercilio, priuſquam evolvant, contemnant, partim præjudiciis ſeducti, partim ex αὐταρκία quadam, niſi tamen forſan diſſimulent.

tur vel ſimul & ſemel, vel repetitis vicibus pro ratione circumſtantiarum, & ſanguis, qui hinc emanat, fluere non cohibetur, ſponte ceſſaturus. Si vaſcula hæc ſanguinea contorqueantur in varicoſos nodos, hi ipſi cauterio actuali exiguo inurendi ſunt, ut vis ignis in ipſam penetret ſcleroticam, non tamen perforet eamdem, niſi in caſu *Phacoſis*, quæ tumor eſt niger, lenti ſimilis, ubi ſclerotica exulcerata tranſparet & protuberat per adnatam. Ibi ſanguis coagulatus, diſſectione plenaria ſcleroticæ, penitus educi debet. Hujus phlebotomiæ oculariæ, ſ. diſſectionis vaſculorum ſanguineorum ſpeciem, aliquibus uſualem allegat quoque Dn. de St. Yves, [*p*]. Ad phlebotomiam ocularium adhuc referunt illam venæ angularis, in angulo nempe oculi interno, ſectionem tantopere commendatam ad plurimos capitis, oculorum & faciei morbos ab agmine medicorum veterum atque recentiorum [*q*].

## §. XIII.

Hujus opthalmoxyſiæ uſum porro illuſtrat communis illa & κατ' ἐξοχὴν ſic dicta *ſcarificatio*, quam & chirurgi, ſic dicti puri (§. 10.) ope ſcalpelli raſorii vel alius exercent in partibus oedematoſis, gangrænoſis, ſphacelatis, & balneatores celebrant in tantum non omnibus corporis regionibus externis, ſcopo derivandi atque revellendi, idque mediante vel lanceola elaſtica, tanta celeritate & artificio, ut miratus olim ſit Cel. Dionis [*r*] vel capſula illa ſcarificatoria, cujus aliquam ſuppeditavit ideam Ægineta [*s*], amplificavit Paræus, [*t*] perfecerunt recentiores, ut laudabile doloris atque laboris nunc præſtet in ſcarificatione compendium. Hujuſmodi ſcarificationibus aggrediuntur Galli & Angli quoque *amygdalas* prætumidas, inflammatas, ſcirrhoſas, Ægyptii vero *gingivas*, *nares*. Harum ſcarificatio, Ægyptiis tantopere laudata in febribus malignis, ex haud una ratione meretur commendari & noſtratibus. *Applicationem hirudinum*, *ſuctionem vulnerum*, crebras ſic dictorum *Aleptarum*, ſeu unctorum, *frictiones*, *acupunctuam Chinenſium* multum habere, quo conveniant cum ophthalmoxyſi, ejuſque uſum illuſtrent, facile diſpaleſcet, ſi conferantur invicem.

## §. XIV.

*Modus operandi in ophthalmoxyſi* ut clare & diſtincte pateat, enarrabo, quæ operationem præcedere, conſtituere & conſequi debeant? Præcedit vero utplurimum conſuetarum revulſionum & derivationum una alterave, per lenes pur-

[*p*] Trait. des malad. des yeux p. 195.
[*q*] M. A. Severinus in efficac medicin. p. 55.
[*r*] Cours d'operat. de chir. Pariſ. 17 4. p. 718.
[*s*] Encheirid. tot. med. p. 460. quidam ut uno ictu tres plagas injicerent, inſtrumentum excogitarunt, tribus ſcalpellis æqualibus ſimul junctis.
[*t*] Chirurg. L. XI. c. 5.

purgationes, per venæſectiones, in pedibus maxime & jugulo, per cucurbitularum, cum vel ſine ſcarificatione uſum, per ſetacea auricularum & nuchæ, per hirudinum applicationes, in partibus ab oculo remotis ſcopo revellendi, in propinquis derivandi; in duriore trachomatis & ectropii ſpecie præmittuntur aliquot inciſiones ſeu ſcarificationes, lanceola factæ, vel puncturæ & attritiones per blepharoxyſton Æginetæ ferreum, dehinc ſuccedit mitius noſtrum vegetabile ophthalmoxyſtron, epithemata, cataplaſmata, fotus, collyria varia pariter ſubinde ſunt prælibanda.

Ipſa *operatio perficitur* hunc in modum: ægro l. in ſella ſedenti, l. quod præſtat, ſupino jacenti in lecto, capite declivi, manus caputque tenentur ab adſtantibus, ſi opus videatur; lumen l. ſolis l. candelæ modicum & à latere affecti oculi admittitur, palpebras ægri radendas claudit operator & arcte adducit invicem, ſeu ipſum ægrum claudere jubet, dehinc alterius manus indicem palpebræ ſuperiori, & pollicem palpebræ inferiori admovet, eaſque leniter deprimit, ut tarſi cum maxima palpebrarum interna parte vertantur extrorſum & ectropium quaſi artificiale conſtituant. In hoc ſitu detentam ſuperficiem internam palpebrarum utramque xyſtro ſuo, quod alterius manus pollice & indice tenet, ab angulo externo verſus internum quaquaverſum radit, vel ordinarie ſuperne deorſum perpendiculariter quaſi (ne glandulæ ceraceæ Meibomii divellantur) plurimis inciſionibus, puncturis, lacerationibus ſimul vulnerat, interpolat, & pro rei exigentia, l. levius, l. profundius adigit illos denticulos glumæ uncatos ſ. ſerratos, adverſim, ſive contra ſpicula ſua inclinata, ſicque eo efficacius inflicta. *Terminum operationis* raro illum ab Hipp. (§. 1.) præceptum aſſequi licet, ob delicatulos noſtri ſeculi ægrotos, qui dolores ab operatione provenientes diu ferre recuſant, & vel unius xyſtri aciculas unica vice obtundi & obteri vix patiuntur. Duplicem vero iſta Hipp. verba ſenſum admittunt, cum ſatis deraſæ palpebræ hoc ſignum conſtituunt: *ſi non amplius ſincerus ſanguis, ſed ſanies cruenta l. aquoſa effluxerit.* Scil. num hoc criterium intellexerit de quantitate operationis continua l. diſcreta, obſcurum eſt? i. e. anne operationem una vice eouſque continuari, donec ſanies modo cruenta effluat? num vero per intervalla repeti voluerit, donec non amplius ſanguis ſincerus, ſed cruenta l. aquoſa denique ſanies promanet. Terminum vero, hoc illove ſenſu acceptum, optime figit effectus ſperati obtentio, cum partes inflatæ ſubſident, infarctæ deplentur, duræ molleſcunt, ſicque temperies, conformatio, color, uſus &c. partium ad naturalem redeant ſtatum. Aliquando bis uno die perficienda eſt, ſi urgeat dolor, l. vaſorum turgeſcentia, l. inflammatio, ut in variis caſibus ophthalmiæ, panni vaſculoſi & inflammatorii, chemoſis &c. Ordinarie ſemel quotidie mane vel veſperi, aut alternis diebus, aut adhuc rarius, in affectibus inveteratis, rebellibus raro plus quam decies vel quindecies adhiberi ſolet, *intra minutum fere ſemper abſoluta.* Effectus operationis ita peractæ ſenſibilis hic eſt, ut grumuli ſanguinis fibroſi, coccinei, inſtar arterioſi, promanent, dehinc ſerum ichoroſum, l. gelatinoſum, uti in ſcarificationis

fine

fine alias accidit, exſudat per dimidium fere quadrantem horæ. Huic fluxui promovendo, ſanguinique ſtagnanti per reſerata jam oſcula expellendo favent liquida tepidaque medicamenta, quibus immiſceri voluit Hipp. (§. 1.) loc. cit. flores æris abſterſivos, ope ſpongiolæ, l. linteoli detriti, per horæ quadrantem, & ulterius, continuo ita applicanda, ut oculus bene foveatur, eluatur, abſtergatur, roboretur. Cel. Woolhouſio mihique, ex veterum commendatione, fere ſolum herbæ hyſſopi exſiccatæ infuſum in aqua fervida, & tepide applicitum, pro hoc ſcopo ſuffecit.

## §. XV.

Mutantur autem hujus fomenti ſ. epithematis ingredientia vel ſtatim ab operatione, l. aliquandiu poſt, pro morbi ratione. Nimirum ſi *ſpiſſus, ſtagnans ſanguis* ſit diluendus, ſeligantur reſolventia è fl. ſamb. lavend. Hb. Hyſſop. chæref. ſem. fœnic. rad. valer. croco, camphora; cum *ſanguis & lympha acriores* temperari debeant, prioribus adde mucilaginoſa, rad. ſymph. Sem. lin. pſyll. Gum. arab. Hb. melil. verbaſc. *Ulceroſam diatheſin* extergent lenia ſiccantia, abſterſiva e. g. ſummitates hyperici hb. agrimon. Sacch. canar. myrrha, in aqua calc. viv. leniter ebullitæ, l. ſolutio lap. medicamentoſi crollii in aqu. plantag. l. flores æris in infuſo calido. *Atoniæ* ſolidarum partium obviam ibunt infuſa & decocta tonica adſtringentia è fl. roſ. r. hb. plantag. rad. ſymph. biſtort. Olib. myrrha in aqua ferrarior & vino rubro ana leviter decoctis, & ſic porro. Balſami quoque ophthalmici, ſ. alius collyrii liquidi reſolventis l. lenientis, l. detergentis, oculis inſtillati tepide, uſus, noctu maxime ante cubitum, impoſito deſuper quadruplici linteo ſuffumigato, calido, ſæpe cum prioribus jungendus eſt medicamentis. Horum apozematum calidorum halitus ſ. fotus ad oculum dirigitur à quibuſdam ope infundibuli, cujus baſis ſubditum excipit vaporem, & dimittit per foramen ſuperius, quod eſt anguſtius, ad oculum vel apertum, l. palpebris clauſum. Hunc in modum uſurpari ſolent aquæ minerales noſtræ ſulphureæ ad varios oculorum affectus, cui tamen methodo prætuli hactenus fomentationes ſupra laudatas, ope mollioris ſpongiolæ l. linteoli ſic applicitas, ut ab initio quaſi continuo videaris oculum abluere & extergere palpebrarum interiora, dein vero epithema, leviter expreſſum palpebris impoſitum, & ſicca compreſſa obtectum aliquandiu relinquas, donec refrigeſcere cœperit. Huic tramiti intra bihorium vel centies inſiſtere jubeo ægrum, & aliquot poſtea horis indefeſſum priorem repetere laborem.

Quo ſtudioſius æger ſibi cavet poſt operationem ab aere frigido, & valde luminoſo per aliquot dies, eo melius ſuo conſulet oculo. Hinc vel in loco verſetur obſcuro, vel umbellam è charta pergamena viridi, vel alia re, ſupra oculos ſuſpenſam geſtet, & à lectione, ſcriptione abſtineat. Pariter quæ oculis noxia & in vulgus innotuere, vitentur, imo, ubi l. inflammatio ſuſpecta, l. dolor gravior, l. affluxus largior, diæta tenuis ſervanda eſt & tem-

perans, carnes, vinumque proſcribendæ. Quando corneam, l. carunculam lacrymalem ophthalmoxyſi oportet ſubjicere, ſpeculo opus erit oculari commodo, quale correctum illud Woolhouſianum eſt, quo palpebræ ſerventur diductæ, & ipſe globus oculi detineatur ſtabilis inter operandum, in reliquis vero raſionis oculariæ ſubjectis ſpeculum oculi potius impedimento foret, quam uſui. Si tamen vel ob reniſus ægri, vel palpebrarum, ſuperioris maxime, quæ ſemper difficilius tantum evertitur, quantum opus eſt, craſſitiem, tumorem &c. non liceat partes operationi ſubjiciendas ſatis detegere, quidni arripiatur *conſilium* celebris olim in Anglia ophthalmiatri, *Turberville*, quod exſecutus ipſe eſt, teſte Woolhouſio, ad palpebras pro lubitu & ſine tot manuum impedimentis diducendas in operatione ungulæ ſ. panni? quod huc redit: adaptavit iſte duo fruſtula lintei novi, limbo ſuo (Gallis liſiere, German. *Selbende*) inſtructi, eaque glutine ſcriniariorum liquefacto obducta, oris atque tarſis palpebrarum, aliquot ante operationem horis ita adglutinavit, ut pars lintei exigua ſub ipſa palpebra affigeretur, ſicque poſtea, attractis illis laciniis inter operandum, palpebræ ſine negotio verterentur extrorſum.

## §. XVI.

Plures circa hanc delicatam operationem *cautelæ* obveniunt *practicæ*, quam aliquibus videri poſſet, qui vel ſubtiliſſimam & intricatam oculi ſtructuram neſciunt, vel non perpendunt, operatorem in minima parte occupatum, totum requiri, ſicut de natura *Plinius* aſſeruit: illam nuſquam magis quam in minimis totam eſſe. Primum igitur huc ſpectat generalis cautio, quo chirurgus ſuæ proſpicit conſcientiæ & famæ. *Nec temere, nec timide.* Eo non mox provolandum & ægri ſanguis proterve ſitiendus eſt, niſi neceſſitas urgeat, vel alia jam ſpem fefellerint. Moneat ægrum, ſeque hoc *prognoſtico muniat* medicus, operationem, non ſine dolore, ſed brevi, peragendam ſanguinis viſcidi ſtagnantis evacuatione & excretis grumulis ſtipari. Ab unica operatione non ſemper deſideratus obtinetur mox eventus, nec ſemper & infallibiliter à pluribus; ſucceſſu tamen temporis, ubi ab omni medicatione deſiti it æger, uti alias per hyſterergiam, eum votis reſpondiſe obſervavi plus ſemel. Accidit aliquando, ut vitio l. operatoris, negligenter glumas inſtrumenti colligantis, l. rudiorem ſub operatione impetum exercentis, l. ariſtarum nimis ſiccarum & fragilium, ſpiculum remaneat in oculo, quod, ceu *ſpina inflixa*, mox turbas daret, morbo priori ſubinde majores, niſi æque cito ac facile extrahi l. ſpongiola poſſet abſtergi. *Glandulæ ciliares* illæ, *ſebaceæ Meibomii* dictæ, in palpebrarum raſione per xyſtrum vegetabile citra damnum tanguntur ordinario, ne tamen perpendiculariter & undulatim ſitas raſione tranſverſali nimis profunda lædas & exulceres, cave; multoque magis in illa palpebrarum interna intumeſcentia, vaſorum ſanguineorum turgeſcentia & igneo tarſorum *rubore*, quæ *Pachyten Galeni* conſtituunt, cum noſtra ophthal-

thalmoxyſi caute mercandum erit, paulo ſuperius in palpebris inſtituenda, ne textura harum glandularum peſſundetur.

In carunculæ atque glandulæ lacrymalium affectibus, poſt allegandis, ſumma diligentia & ſuſpenſa manu id agendum eſt, ne vel prolapſæ partes ulterius ſedibus ſuis dimotæ lacerentur, l. ductus aquoſi diſrumpantur, l. puncta lacrymalia exulcerentur, coaleſcant. *Pellucidam corneæ tunicam* ſi profundius laceres excorieſve imprudenter, relinquetur cicatrix l. macula albida, indelebilis præſertim apud adultos, quæ viſum poſthæc eo magis intercipiet, quo vel latior & profundior, vel pupillæ magis erit obverſa. In caſu frequentis & profundæ raſionis, vel exulceratæ ſimul internæ palpebrarum ſuperficiei, poſſet denique bulbus oculi cum palpebris concreſcere, & e levi gravior morbus, ſcil. *ſymphyſis* & *proſphyſis* naſci. Hinc juxta *Fel. Plateri* conſilium [*u*] frequenter movendus eſt oculus, l. exigui 69. lapilli, l. levia ſuccini fruſtilla, l. ſemina hormini intra palpebras, inſinuantur, concretionem impedientia. His bene obſervatis ophthalmoxyſin feliciter ſemper adminiſtratam nec ullo malo ſymptomate vidi exceptam. Unicum mihi ſuppetit exemplum in puella, cui non tam operatio hæc innocentiſſima, quam ineptiſſimum licentioſe viventis regimen peſſime cedit. Nimirum hypopyo laborans bis jam ſuſtinuerat hanc operationem, non ſine ſpe felicis ſucceſſus, ſed epithematibus calidis humidiſque obtectum oculum adeo incaute aëri expoſuit libero, frigidiuſculo, ut ſemel e feneſtra proſpicientem, altera vice in culina verſantem ipſe deprehenderim. Hinc quid mirum, quod expanſa & aucta oculi interna ſuppuratione globus denique crepuerit & de viſu fuerit actum?

## §. XVII.

Succinctam hanc operationis deſcriptionem excipiat affectuum, quibus convenit, in claſſes diſtributio, ut non tam omnes ſpecies, quam genera in conſpectum prodeant. Iſtis enim tot jam referti ſunt libri, neque falcem licet hic immittere in ampliſſimam iſtam meſſem, ſed ſufficit normam exhibuiſſe, qua omnes oculorum, aliarumque partium affectus metiri queat ben. lector, in quantum huc ſpectent. Laudabilem itaque, imo unicam quandoque præſtat ophthalmoxyſis opem, in ocul. affectibus, quatenus.

(*α*) Sanguinem & lympham, quantitate, motu, orgaſmo, ſtaſi, extravaſatione laborantem corrigit, in *taraxi*, *ophthalmia*, *hypoſphagmate*, *chemoſi*, *varicibus*, *venoſitate corneæ*, *contuſionibus*, *gangræna*, *anthrace*, *emphyſemate*, *encanthide*; *ſtagnatione humorum oculi*, quæ obſcurum & nebuloſum reddit viſum; hoc intuitu ſæpe perutilis & neceſſaria eſt poſt alias operationes ocularias, quibus ſupervenit pertinax ſubinde & periculoſa inflammatio e. g. poſt operationem hypopyi, fiſtulæ lacrymalis, cataractæ, ungu-

[*u*] Prax. l. 1. p. 280.

ungulæ ſebaceæ, quæ omnes quandoque infeliciſſima poſt ſe trahunt ſymptomata, niſi occurras hac ophthalmoxyſi.

(β) Vitalem laticem, advocat, allicit, vaſis, quæ adſtricta fuerant, reſeratis, in *ſcleriaſi* ſ. lippitudine arida, *ophthalmia tabida*, *atrophia oculi*:

(γ) Sanguinem viſcidamque lympham ab internis oculi tubulis revellit, evocat ſicque obſtructiones internas, compreſſiones, tenſiones minuit, tollit, in aliquibus *guttæ ſerenæ* ſpeciebus, *hypopyo*, ſ. pure retro corneam, *hypohæmate*, ſ. ſanguine extravaſato retro corneam, *empyoſi*, ſ. pure retro iridem, *ectaſi*, ſ. *hyperauxeſi* iridis &c. Quomodo incipienti medeatur cataractæ, ex mente *Hipp.* & *Severini* & juxta *Hovii* nova inventa [x] hac vice paucis expedire nequeo.

(δ) Dolorem, à vaſorum diſtenſione nimia, l. liquidi acrioris collectione ortum aufert, vel lenit, in *ophthalmia*, in *pſoroſi*, ſ. prurigine tarſorum & canthorum, &c.

(ε) Ulceroſas impuritates evertit, mundificat, conſolidat, quatenus infixum ſulphureo-Θinum fermentum provocat, diſpergit, & blandiori lymphæ, quæ partes læſas demulceat atque conſolidet, viam pandit, in variis oculi exulcerationibus e. g. *argemo*, *peribroſi*, *mydeſi*, *encaumate* &c.

(ζ) Luxuriantem carnem divellendo delet, in pladarote & hyperſarcoſi palpebrarum, callum incidendo, carminando emollit in *ectropio*, *miltoſi* & *ptiloſi* tarſorum.

(η) Partibus relaxatis, debilibus tonum reſtituit, quatenus nimios humores educit, diſtendentes vaſa p. n. vel deficientes liquores & ſpiritus allicit, ut ſic tubuli ad naturalem redeant diametrum & tenſionem, uti in *atonia*, ſ. anaſtomoſi ductuum excretoriorum glandulæ lacr. in *metoſi* ſ. phthiſi *pupillæ*, it. procidentia bulbi oculi à partu difficili, ictu, vomitibus.

Multiplicem hunc uſum ſaniori, quod ſpero, theoriæ ſuffultum prudenti confirmatum iri praxi, confido, & multoties in variis oculorum affectibus mihi e voto, ſucceſſiſſe, vere teſtor. Cæcis ſane pluribus, in his etiam regionibus, quorum aliqui ne montem Pico, naſo imminentem, amplius vidiſſent. Viſum reſtitui pleniſſime per hanc operationem, DEO juvante.

## §. XVIII.

Supereſt, ut de uſu Xyſtri vegetabilis amplificando pauca adjiciam, ſimulque fidem meam liberem, quam olim in diſp. mea inaugurali pro licentia (y) expoſitam, amici cujuſdam objectionibus impugnatam vidi. Scil. ibid. mentionem feci fiſtulæ perinæi calloſæ, variam medicationem diu reſpuen-

[x] Jac Hov. de Circul. humor. mot. in oculis Lugd. bat. 1716.

[y] De Hernia incarcerata ſolerti delineatione illuſtrata, novaque extricata encheireſi p. 21. Tubing. 1722. d. 7. Jan.

puentis, quam vero Lutetiæ Pariſ. in noſocomio, a charitate dicto, feliciter conſolidaverim, inſtitutis labiorum fiſtulæ calloſorum ſcarificationibus, ope xyſtri Woolhouſiani. Hanc vero hiſtoriam impugnat, l. limitat minimum, cl. D. auctor diſſert. inaug. pro lic. de variis lithotomiæ generibus, Argent. 1724. habitæ p. 31. his verbis: volunt quidem nonnulli illas fiſtulas, ſc. perinæi, ſcarificatorio Woolhouſiano, quo in ſcarificatione oculorum utitur, curare, exemplaque etiam hujus rei, & quidem experientiæ propriæ proferunt: ſed omnino credendum eſſe puto, non fuiſſe illas fiſtulas jam formatas, ſed partes tantum cuticula quadam obductas, ex qua deinde callus oritur: alias enim illæ ſubtili hoc ſcarificatorio nullo modo tolli potuiſſent. &c. Ad hæc reſponſurus ego omnes rationes anxius conquirere ſuperſedeo, quibus a priori poſſibilitas talis cutæ evincatur; ſed hiſtoriam ſaltem curationis abs me geſtæ, fideliter ex ephemeridibus meis exſcriptam communicabo, ſicque illos convincam, qui vel facti hiſtoriam vocant in dubium, vel rei feliciter geſtæ, laudem ſibi falſo arrogare voluerunt. Nimirum:

Die 4. Aug. 1721. In noſocomio charitatis puer 10. ann. ante trimeſtre calculo ſectus abs Dn. Gerard, (chirurgo tum primario noſocomii,) calculus totum latus ſiniſtrum perinæi occupans, ovi gallinacei magnitudine prominuit & catheteris in veſicam introductioni obſtitit. Apparatu ſic dicto minore ſectus æger, calculus, ovum gallinaceum magnitudine æquans, ſolidus, æqualis, non valde aſper levi extractus fuit opera. Ab eo tempore vulnus nunquam coaluit penitus, labiis calloſis induratum. Trochiſci cathæretici de minio nuperrime iterum appliciti nihil effecerunt. Vulnus pallet, calloſum eſt, urina atque mucago, *des clairs*, per vulnus & penem exeunt. Nullus dolor, nulla febris; cætera etiam bene habet, valde tamen macilentus eſt. Veſica bene detergatur bis per diem, decocto hordei cum melle roſato injecto. Labia vulneris fortiter ſcarificavi ad fundum uſque, ubi inſignem duritiem ſcarificatorio Woolhouſiano reſiſtentem percepi, unde ab initio puer nullum ſenſit dolorem, adhuc ſemel poſt ſcarificationem injeci, vulnuſque elui. Solum plumaceolum, decocto imbutum, vulneri impoſui, compreſſas faſciamque leviter adſtringi juſſi, cruraque per aliam faſciam popliteam, la jarretiere, arcte appropinquavi. Cætera, quies, paucus potus. *D.* 5. *Aug.* vulnus optato colore rubet. Nulla interea mucago excreta. *D.* 6. vulneris heſternus color, mucago jam pauca, urina per vulnus & penem. Injeci aquam calcis vivæ cum parum ſpir. vin. mell. roſat. & gt. aliquot balſami de mecha. *D.* 9. *& ſqq.* injectiones ex aqua hord. mell. roſato, parum ſpir. vin. & aqua calcis vivæ ab initio bis, dein ſemel in die fieri curavi, ſimplicemque plumaceolum vulneri imponi, at labia ejus, compreſſis e latere utroque poſitis, adduci. Medicus, DD. Reneaume, nitrum præſcripſerat, rogavi, ut addat ſuccinum, in bolo. Scarificavi altera vice leviter. Mucaginem hactenus ut & urinam per penem maxime reddidit. *D.* 18. Labia vulneris rubore florent, pars ſuperior jam conſolidata. Scarificavi fortius. *D.* 19. ſuper linteo, cui incumbit, urina madido, reperimus fruſtula calculoſa. *D.* 21. injectiones

ceſſent. Plumaceolo & vulneri illinatur mel roſat. & du melange (ſeu ungt. digeſtivi & incarnativi remixti invicem) partes fiſtulæ vicinæ foveantur ſpir. vin. calefacto. *D.* 24. *Aug.* parum urinæ per vulnus exſtillat. Mucaginem iſtam rariſſime, per penem quoque reddit. Labia vulneris appropinquentur duobus ſpleniis, ex Empl. de la croix glutinativo. *D.* 6. & 7. *Septembr.* ne guttula per vulnus ſeu fiſtulam promanavit, lintea non madida. Decubitus & quies adhuc per aliquot dies obſerventur: hinc, præmiſſa purgatione penitus ſanatum dimiſi, ſuadens, ut jam per aliquod tempus ab omni nimia crurum divaricatione, perinæi frictione & attritione ſibi caveat ſtudioſiſſime, interea modicæ deambulationes in noſocomio nihil quicquam mali intulerunt novellæ cicatrici.

Ex his itaque patet, fiſtulam fuiſſe vere & profunde calloſam, cujus latera jamdudum induruere, ob deliteſcentem diu calculum in perinæo, & quæ variæ tractationi in-& externæ ultra trimeſtre ipſiſque cathæreticis emendari & tolli reſpuerat. Hæc autem mea methodus facilior breviorque adhuc eſt illa, quam cel. *Franc. Roncallus*, med. Brixienſ. [z] ingenioſe invenit & evulgavit. In caſibus tamen gravioribus, ad urinam e pene & non e fiſtula dimittendam, poſſet ſimul in uſum vocari ſyringa ejuſdem vermicularis, ſ. catheter flexilis judicioſe emendatus.

Ad alios denique uſus adhuc trahi poſſe xyſtron vegetabile, ſagax facile perſpiciet lector ulteriorque, rerum magiſtra, experientia probabit. DEO, omnis lucis fonti, & à quo paucæ etiam hæ ſcintillæ in me promicuerunt, ſit laus atque honos in æternum!

[z] Nova meth. extirpandi carunculas & curandi fiſtulas urethræ. Brix. 8v. 1720.

FINIS.

XVIII.

XVII.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA DE MACULIS CORNEÆ EARUMQUE OPERATIONE CHIRURGICA, APOTRIPSI.

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*DEFENDET*

JO. WILHELM. BOURY

IHRINGO-MARCHICUS.

Tubingæ die 29 Aprilis anno 1743.

## §. I.

MAcula, græcis dicta σπῖλος, κηλὶς, ἐξάνθημα, (*a*) medicis in genere significat colorem superficiei cuticulæ vel mutatum, vel alienum certe per cuticulam resplendentem, [*b*] majoris minorisve ambitus, uno, pluribusve in locis, sic tamen, ut vicina superficies naturalem suum servet colorem. [*c*] *Rulando* atque *Johnstono* idem denotat ac cataracta, vel suffusio. Quod tamen per tropum rectius, quam in rigore medico dicitur. *Maculam*, vel maculas *corneæ* cum tantum non omnibus medicis oculariis appellamus variam hujus tunicæ oculi descisscentiam à statu naturali pelluciditatis, eamque ordinario plus minus albidam, magis minusve diffusam, cum vel sine substantiæ alia læsione e. g. erosione, exulceratione, incrassatione, turgescentia & elevatione &c.

Οὐλὴ, vulnus ad sanitatem perductum, seu nota vulneris sanati: *cicatrix*, quales scil. notabilem exhibent albedinem, in genere pro omnibus accipitur cicatricibus, unde etiam, prout habet *Actuarius*, [*d*] cicatrices oculorum superficiarias nonnulli ὐλὰς tantum, hoc est cicatrices: alii νεφέλιον, h. e. nubeculam & albuginem tenuem appellant. Sed & *strictiore sensu* sumitur ὐλὴ, ut infra §. 6. dicetur. Galli talem corneæ maculam vocant *une tache*, Germani, *einen Flecken auf dem Aug*, *auf dem Stern*. *Bartisch*, [*e*] noster vocat *ein Fell*, significatu quidem æquivoco, competente potius pterygio, panno &c. *An. Maître-Jean* [*f*] maculam, une tache, lentis crystallinæ vocat, quando hæc aliqua saltem sui parte est alterata, & aliquam dumtaxat pelluciditatis suæ partem amisit.

## §. II.

Quamvis autem e neotericis aliqui differentes ejusmodi maculas corneæ distinctis, pro more veterum, haud insigniant nominibus, quemadmodum *Yvesius*

[*a*] Ἐξάνθημα Hippocratis male vertit Celsus per pustulam Quamvis enim per homonymiam passim Hippocrati etiam denotet pustulam, sumitur tn. alibi etiam pro efflorescentia levi, quæ superficiem cutis non excedit. Quantum v. differat macula a pustula, in propatulo est.

[*b*] Sic æthiopis cuticula non nigricat, sed diaphana transmittit colorem nigrum, profundius in reticulo cutis malpighiano latentem. In vitiliginibus, *den Sommerflecken*, *Sommersprossen* vitium coloris fusci pariter non residet in epidermide. Hinc irrito conatu nonnemo illis imposuit empl. vesicat, sperans fore, ut cuticula sic detracta, nitidior ac purior posthac resplendescat nova succretura Sed spem fefellit eventus.

[*c*] Hinc ineptus foret, qui universalem ictericor. flavedinem inter maculas numeraret.

[*d*] Actuarii, Zacchariæ filii, medicus s. meth. med. L. II. c. 7. de oculor. vitiis.

[*e*] *Georg Bartisch Augendienst in* 4. *Sulzb.* A. 1686. p. 215.

[*f*] Ant. Maître-Jean. Maladies de l'œil p. 116.

*Yvesius* [*g*] inter corneæ maculas nonnisi albuginis receptum nomen affert, & *Taylor* [*h*] meras descriptiones, absque titulis s. nominibus specificis, variarum ejusmodi macularum atque cicatricum corneæ sistit; nos tamen & hic veterum premere vestigia, & receptos servare terminos technicos malumus, vel sola ex hac ratione, quod distinctas tales maculas consultius sit propriis vocibus exprimere ac distinguere, quam longa verborum ambage singulas toties describere, quoties facienda est earum mentio. [*i*]

Igitur omnium primo, tantoque magis, incumbere nobis videtur recensio & illustratio terminorum, antiquissimis medicis familiarium, nostraque adhuc civitate medica donatorum, quanto magis & hi ipsi subsunt æquivocationibus.

## §. III.

Ἀχλὺς, ὺος, ἡ, caligo, nebulosa quædam est obscuritas in genere. Aëris perturbationem nominari dicit *Galenus* [*k*] cujus crassamentum sit medium inter nubem & nebulam, nebula spissius, nube vero tenuius. *Visum* vero *nebulosum*, caliginosum *distinguimus* ἀπὸ τῆς ἀχλύος, inter corneæ vitia acceptæ, ut genus à specie, ut effectum à causa. *Ille* à pluribus diversis oriri potest causis, *hæc* est specifica corneæ labes nebulosa. Quamvis ergo passim Hipp. & Galen. τὴν ἀχλὺν & τὸ ἀχλυῶδες in genere sumpserint mox pro aere crasso turbido, mox pro visu nebuloso, obtenebrato, pro humoris, qui circa pupillam est, conturbatione; elucet tamen e Prorrhet: *Hippocratis*, [*l*] ubi dicit: caligines & nubeculæ & subalbicantes cicatrices, ægides dictæ (ἀχλύες καὶ νεφέλαι, καὶ αἰγίδες) exteruntur ac evanescunt, nisi eo in loco vulnus aliquod subortum sit, aut illic antea cicatricem aut pterygium esse contigerit: quod eam pro macula etiam corneæ accipiat.

Authori *Isagoges* antiquissimo [*m*] sive Galenus sit, sive alius, ἀχλὺς dicitur tenuissima cicatrix aeri caliginoso similis, ex ulcere superficiario enata, totum oculi nigrum (i. e. corneam nigricanti pupillæ obtensam) occupans. *Aetio* (*n*) caligo, ἀχλὺς, est superficiaria exulceratio in oculi nigro

[*g*] St. Yves nouveau traité des maladies des yeux. Paris ann. 1722. p. 222. 229. 235.

[*h*] Jean Taylor Mechanisme du globe de l'œil. 8. Paris 1738. p. 284. sqq.

[*i*] Hominem dum vocamus, uno verbo exprimimus animal sensu & ratione præditum. Melonem nominando ejusque species, non totam descriptionem afferimus, sed nomen hoc genericum, & pro discriminandis speciebus, pauca adiicimus prædicata, quæ notas characteristicas specificas exprimant. Musculorum e. g. scapulæ, notionibus à figura, situ, usu petitis, uno nomine singulos denotamus, non plenis descriptionibus. Atque sic per infinita alia exempla.

[*k*] Cl. Galenus Comment. 2. in Prorrhet. Hip.

[*l*] Hippocrates Prorrhet. s. prædict. l. II. p. m. 102. edit. in fol. Francof. 1621.

[*m*] Isagoges s. Medici author c. 15. de oculor. vitiis.

[*n*] Aëtius Tetrabibl. II. l. 3. c. 25.

gro enata, aëri caliginoſo aſſimilis, colore cœruleo, nigri magnam partem occupans. Cum autem ſuper pupilla, (ἐπὶ τῆς κόρης) ægri non facile vident. *Paulus Ægineta* (o) obiter & generaliter de cicatricibus oculi tractat: cicatrices, inquiens, quæ in ſuperficie oculi innaſcuntur, à quibuſdam generali nomine cicatrices, à nonnullis vero nebulæ: quæ altius deliteſcunt, leucomata, i. e. albugines dicuntur. Et paulo poſt: leviores vero maculas anemones ſuccus exterit. &c. *Actuarius* [p] diſtinctius effatur: cicatrices autem oculorum ſuperficiarias, nonnulli ἀλὰς tantum h. e. cicatrices, alii νεφέλιον, (h. e. nubeculam & albuginem tenuem) appellant: ſi altius deſcenderint λευκώματα, (i. e. albugines craſſas) nuncupant.

Quamvis autem haud negemus e recentioribus *Guillemæum*, *Antonium*, *Cowardum*, &c. collocare ἀχλὺν & νεφέλιον inter ulcera corneæ, ducem ſecutos Æëtium, quod in ejuſmodi ſuperficialibus corneæ ulcuſculis aliquando quaſi fumus, aut nebula, ex albo cœruleſcens diffundatur. Verum cum multo ſæpius ſuperficiales hæ exulcerationes pelluciditatem corneæ non turbent, &, ſi turbaverint, maxime nihilominus diſcrepent à corneæ fumoſa, nebuloſa obfuſcatione, ſuperficie ejus non eroſa, qualis eſt in ſtatu ulceroſo, ſed æquali, integra, per modum lævigatæ cicatricis manente; profecto, niſi ad cicatrices retuliſſent antiqui medici haſce maculas nebuloſas atque nubeculoſas, & fruſtra & periculoſe deſudaſſent in medicamentis detergentibus, acrioribus, cathæreticis, imo aſperioribus adhibendis, quæ ſtatum ulceroſum non potuiſſent non gravius exaſperare.

Unde ἀχλὺς & nobis *definitur* ſic: *Macula corneæ ſuperficialis tenuiſſimā, inſtar aëris fumoſi vel nebuloſi, albocœruleſcens, radios luminis non perfecte tranſmittens: vel diffuſior maximamque corneæ ſuperficiem, vel hic ibi aliquod ſaltem ſpatiolum, ut plerumque fit, occupans.*

## §. IV.

Νεφελη, ης, ἡ, *nubem*, aliquando etiam *nebulam* ſignificat, νεφέλιον, ου, τὸ, *nubeculam*. De tunica oculi cornea Hipp. Galenus, Aëtius, Ægineta &c. prædicant νεφέλην, ſ. ejus diminutivum, νεφέλιον, tanquam cicatricem, (ſive, ut Aëtius cum aſſeclis ſtatuit, ulcus,) ſuperficiariam, albugine longe minorem & albam, caligine, ἀχλύῳ, profundiorem & minorem, colore vero candidiorem. Ὁμίχλη, ης, ἡ, nebula, nonnullis etiam audit. Nephelia quoque dicuntur, quæ in unguium ſuperficie nubecularum ſpeciem repræſentant. Hæ ipſæ, quas noſtra vernacula floſculos unguium appellant, maculæ unguium albidæ, plurimum merentur comparari cum noſtris corneæ nepheliis. Levem atque ſuperficialem corneæ exulcerationem, ſive hujus convexam, ſive concavam ſuperficiem occupet, & quæ aliquando etiam

[o] Paul. Æginet. Encheir. l. III. cap. de cicatric. & leucomat.
[p] Actuarius de meth. med. l. II. c. 7. de oculor. vitiis.

etiam colore griſeo-albido, tenui notatur, nuper [q] vocavimus ἐλκύδιον, aut ἐλκύδριον. *Nos* itaque per *nephelium*, ſive nubeculam, intelligimus *eam corneæ maculam, ſ. cicatricem, albam, exilem, non profundam, quæ aliquam hujus regionem in ſuperficie, utplurimum externa, occupat. Talis uti majoris eſt albedinis & denſitatis ac ἀχλὺς* (§. 3.) *ita tranſitum radiorum quoque magis impedit.*

§. V.

Αἰλὶς, ιδος, ἡ, deriv. *vel ab* αἶξ, αἰγὸς, ὁ καὶ ἡ, caper, capra, *vel ab* αἴσσω, cum impetu feror, irruo, ingruo. Significat communiter *pellem caprinam: munimentum pectoris: ſcutum: rete* contextum ἐκ σεμμάτων: *procellam*: it. quidpiam quod meditullio pini arboris innaſcitur. Quid vero hæc vox in ſenſu medico & Hippocratico importet? variæ ſunt opiniones. *Hippocrates* bis mentionem facit αἰλιδος, ſemel in Prorrhet. ſ. Prædictionibus, iterumque in coacis prænot. [r] Ibi videtur referre inter ſubalbicantes corneæ cicatrices, in claſſe caliginis & nebulæ: (§. 2. 3.) hic vero λεπτὴν, alii legunt λευκὴν, αἰγίδα ſumere Hippocrates, prout Foëſius ſuſpicatur in commentario, pro quodam *albeſcente humore* concreto, *concremento* quoddam *excrementitio* e vapore craſſo, nubeculam quamdam aut caliginem referente, quod oculorum aciei prætenditur, eamque velut offuſo quodam craſſamento obſcurat. *Galenus* αἰγίδα explicat [s] per ἀγλίην, & in Hipp. Prorrheticis ſignificare ſubalbicantem cicatricem, & in Coac. Prænot. *exalbeſcentes concretiones* putat. Sed merito vapulat Foëſio, cum in Hippocrate, citatis locis nullibi ἀγλίης vocabulum extet. *Galli* τὴν αἰγίδα vocant *l'Aigle*, ſ. *Aige*, procul dubio per illam ſynonymiam ſeducti Gallenicam; ab ordinaria enim gallica ſignificatione, de l'aigle, aquilæ, toto abludit cœlo.

*Maître-Jean* αἰγίδα, l'aigle, deſcribit: quod ſit *macula ſubalbida in albo oculi*, inducta ab humore pituitoſo & gypſeo, qui ſucceſſive congeratur inter pelliculas conjunctivæ ac corneæ: atque hunc ipſum humorem, ſi magis induretur, & quaſi callum formet, affectum producere, qui πῶρος, callus, vel πώροσις, obduratio, vocetur, cæterum vero αἰγίδα & λεύκωμα, de quibus loquitur, ſpecies eſſe parvorum atheromatum aſſerit. [t] Plurima horum e Guillemæo videtur hauſiſſe Maître-Jean. Cur ille vero, it. Bruno in Lexic. Med. αἰγιαὶ, αἰγιὰς, non αἰγὶς, quod tamen unicum nomen eſt, quo Hippocrates utitur, ſcribendum putent, non perſpicimus?

Quicquid denique horum ſit, magni non putamus intereſſe, ſive dicamus

[q] Præſid. diſp. de ulcerib. corneæ. §. 4. p. 6.

[r] Hippocr. Prorrhet. p. m. 102. ad finem, & Coac. Prænot. S. II. §. 218. p. m. 153. edit. ſcil. in not. noſtra lit. m.

[s] Galen. in Exeges vocum Hippocrat.

[t] Maître-Jean Trait. des malad. de l'œil p. 462. An recte ita ſentiat? tranſeat.

mus Hippocratem ἀιγίδας tanquam ſynonymum, vel parum differentem affectum ἀπὸ τῆς ἀχλύος καὶ ἱεφέλης attuliſſe, atque ſic entia præter neceſſitatem à poſteris male multiplicari: ſeu intellexiſſe talem corneæ maculam, ipſi etiam conjunctivæ communem, quæ ab humore craſſiore, albicante, inter lamellas harum tunicarum ſtagnante, atque inſtar procellæ irruente, vi etymologiæ, proficiſcatur. Nobis, ſi quidem diſtinctam mereatur definitionem, ἀιγὶς dicitur *talis corneæ vel macula, vel cicatrix, ſubalbicans, craſſior caligine & nubecula, quæ fit vel ab humore concreto, ſpiſſiore, albicante, non purulento, vel per modum cicatricis, à prægreſſo vulnere, vel ulcere.*

## §. VI.

Παράλαμψις, ἡ, à παραλάμπειν, à latere ſplendere, vel parum fulgere. *Hippocrates* [*u*] ejus mentionem facit hanc: quod ſi in oculi nigro παράληψις orta ſit, nigri aliquid dealbat, ita, ut ſi diutius perſeveret & aſpera & craſſa, etiam veſtigium aliquod poſtea relinquat. Quamvis autem vitium hoc ſcriptionis exemplaria cuncta, tum ſcripta, tum publicata retineant, indubitate tamen legendum, παράλαμψις, & non παράληψις, recte judicat Foeſius, cum ipſe *Galenus* in mox laudata exegeſi vocum Hippocratis legerit παράλαμψις, hancque ita explicuerit: paralampſis eſt *in oculorum nigro ſplendicans cicatrix* (ἐπιλάμπουσα οὐλὴ) eo quod paulo craſſior ſit, quam quæ ἀιγὶς dicitur. Plurimæ nationes vocant *margaritam oculi*, à relucente unionis colore albo. Galli vocant *le grand nuage*, magnam obnubilationem. Obſidet ordinario medium corneæ, è directo pupillæ, durior eſt, craſſior, aſperior, tumidior ſeu elatior atque major ægide. *Woolhouſius* eam obſervavit aliquoties *floccum nivis referentem.* Nimirum è craſſo ac viſcoſo humore indurato, in ſuperficie & poris corneæ magis magiſque congeſto pellicula concreſcit, cui induratæ aliæ ex aliis ſupercreſcunt lamellæ, inſtar ſtratorum ſuper ſtratis, quæ à motu palpebrarum, ſuperioris maxime, lævigantur, magiſque conſtringuntur. Unde eſt fortaſſis, quod Galenus hunc affectum quoque vocaverit δέρμα, pelliculam, cutem.

*Paralampſis ergo eſt macula corneæ reſplendens, elata, craſſa, durior, omnem radiis tranſitum præcludens, medium corneæ convexæ, aliquando maximam hujus ſuperficiei partem externam obſidens.*

## §. VII.

Οὐλὴ, quæ communiter pro omni cicatrice ſumitur, determinatur ſtrictius ab *Authore Iſagoges*, qui, cicatrix, inquit, appellatur, ubi nigro oculi (corneæ) ex alto ulcere membranæ craſſities ſupervenit & color albidior apparet. Accidit quoque albæ membranæ dictæ, ſed non perſpicitur &c. *Cicatriculam* vocant authores latini, oblongam & anguſtam cicatricem è



[*u*] Hippocr. Prorrhet. L. II. S. 2. p. m. 102. ad finem.

vulnere relictam, quæ visionem velut intersecat & dividit, ut loquitur Platerus in Prax. L. 1. p. 228.

## §. VIII.

*Λεύκωμα, ἀλϐῶ, τό, Leucoma, Albugo ἀπὸ τοῦ λευκοῦ*, ab albo dicitur. Denotat vel id ipsum *quod dealbatum est, vel tabellam albo colore inductam, vel album ovi*, vel in sensu medico *affectum oculi*, albuginem. *Author definit. medicar.* antiquiss. ille sic inter affectus oculi definit: crassa profundaque cicatrix, ulceri inducta: & *Auth. Isagoges* inquit: albugo nihil à cicatrice (scil. stricte sic dicta, §. 7.) differt, nisi quod ex vulnere major cicatrix, simul & crassior in iride nascatur, quam albuginem nominant. *Paulus Ægineta* paucissima hæc habet: [x] cicatrices quæ in superficie oculi nascuntur, à quibusdam generali nomine cicatrices, à nonnullis vero nebulæ: quæ altius delitescunt, leucomata vocantur. Ex *Actuario* pariter jam supra adduximus, (§. 3. not. q.) quod cicatrices oculorum, si profundius descenderint, leucomata nuncupentur. *Antonius Maître-Jean* [y] leucoma, s. albuginem describit, quod sit macula superficialis alba corneæ, excitata ab humore pituitoso & quasi caseoso, qui, collectus insensibiliter & insinuans se sub epidermidem, qua obtegitur cornea, visum impedit quamdiu ita subsistit. *Yvesius* [a] hæc habet: albugo est species maculæ, quæ corneæ accidit transparenti, à succo inducta subalbido, qui in hujus tunicæ substantia stagnat. Infiltratur idem sensim sensimque, ad ultimum vero copia sic augetur aliquando, ut totam operiat corneam diaphanam, ægrique nulla amplius distinguant objecta. *Taylor* [b] uti quamplurimis oculorum morbis peculiaria ac dudum recepta nomina haud impertit, ita in capite de morbis compositis s. complicatis tunicarum oculi, corneæ conjunctivæ ac albugineæ exhibet descriptionem, quæ videtur in albuginem quadrare: dum, morbus existit quidam, inquit, ubi inter pelliculas corneæ externas effunditur materia subalbida, aliquando super certa saltem parte, alias super tota corneæ substantia, cum prima specie ophthalmiæ (levioris nempe) juncta.

*Woolhousius* albuginem refert ad genus cicatricum, & pro ulcere habet, græcis *ὑπϐλον*, subnascens ulcus dicto, quod cœcum, occultum, cicatrice obtectum sit, neque tamen ulcerationis indicium exhibeat, licet fundum habeat impurum, quodque ab initio curationis l. mali non bene detersum fuerit. Sed mittimus plures aliorum definitiones, nostramque hanc subjungimus: *Leucoma, s. Albugo est macula corneæ alba, lævis, spissior densiorve,*

[x] Paulus Æginet. Encheirid. L. III. cap. de cicatric. & leucom.
[y] Ant. Maître-Jean des malad. de l'œil p. 464.
[a] St. Yves Malad. des yeux p. 235.
[b] Jean Taylor le mechanisme de l'œil. p. 290. §. 14.

*ſiorve, vel in ejus medio, vel tota ſuperficie convexa, utplurimum cum aliqua eminentia, aliquando ſine hac, coloris albo-cretacei, aliquando cum levi quadam inflammatione, ſæpius ſine hac, radios luminis intercipiens, ut nullus, vel exiguus ſaltem luminis ſenſus ſuperſit.* Nobis vero perinde videtur, reſpectu formalis rationis, quam in maculæ ponimus colore, craſſitie, profunditate, ſ. illa per condenſationem pellicularum corneæ, ſ. per modum cicatricis, ſ. ab humore albo, ſpiſſo, atque caſeoſo quaſi, fuerit orta.

In *Hiſtoria Tobiæ* ſacra plus ſemel mentio fit λευκωμάτων [c] quæ reddiderunt interpretes per cataractas, pelliculas p. n.les, maculas, i. e. *Staaren*, *Hautlein*, *Flecken*. Servamus hoc thema philologico-ophthalmiatricum, non uni obnoxium difficultati, proximæ alii diſſertationi, ne præſentis circulos turbemus, vel nimium extendamus.

## §. IX.

Supereſt *macularum* corneæ *ſpecies notabilis*, *ſenibus* admodum *familiaris*, quæ magnum, ſæpe totius peripheriæ, ſ. circuli corneæ externi tractum occupans, in forma circuli, ſ. ſegmenti ſaltem & arcus, ab ipſo circulo corneæ externo (ubi ſcleroticæ committitur cornea & albugineæ conterminatur) incipit, atque lineæ, plus minus, latitudine verſus aream & centrum corneæ ſe expandit, coloremque utplurimum habet album, alias ex albo cœruleſcentem, rariſſime ſubflavum aut fuſcum. Conſtans eſt hæc arcuata macula, imo creſcentibus ſenectæ annis augetur aliquantum & dimenſione in longum ac latum, & coloris obſcuritate, citra tamen ullum malum, vel incommodum, & abſque ullo viſus præjudicio.

Miramur à tot celeberr. atque lynceis oculariis medicis, ipſo etiam *Woolhouſio*, prætervifam fuiſſe hanc maculam non minus evidentem, ac ſenibus frequentem. Deprehendimus in ſolo *Tayloris* libro [d] aliquod hujus obſervationis veſtigium, cujus verba latine reddita ſic ſonant: obtingit aliquando exigua opacitas æqualis ſuper alterutro corneæ latere in forma arcus, quæ plus minus ampla eſt, coloriſque ſubflavi ac æqualis. Niſi jam multitudine notionum ſecundarum in ophthalmiatria obrueremur, poſſet novum, cum vetus non ſuppetat, nomen huic ſenili maculæ effingi, & γεροντόξον, *arcus ſenilis* appellari.

Non exigui hæc eſt obſervatio momenti, quatenus ejuſmodi macula corneæ ſenilis, conjunctivæ oculi tunicæ continua, facile poſſet incautum fallere circa locum determinatum inſtituendæ punctionis vel inciſionis corneæ in operatione hypopii: aut conjunctivæ, albugineæ ac ſcleroticæ, una



[c] Tobiæ II. 11. VI. 10. XI. 8. 15.

[d] Jean Taylor mechaniſme de l'œil p. 284. §. 88. Il ſe trouve quelquefois une petite opacité égale ſur un des côtés de la cornée en forme d'arc, qui eſt plus ou moins grande, & dont la couleur eſt jaunatre & égale.

pertundendarum in operatione cataractæ vel empyesis. In priore enim, hypopii, casu, incisio nimis alta, id est remota nimis à circulo corneæ, in altero casu nimis ad circulum corneæ propinqua, imo in ipsissimo circulo corneæ, quin cornea ipsa, gravi errore posset institui, cum macula talis corneæ facile posset imponere pro ipsa conjunctiva.

## §. X.

*Phænomena* harum corneæ macularum *antecedanea* sunt: *ætas* infantilis atque puerilis, ut ophthalmiis, hincque oriundis corneæ ulcusculis, variolis, morbillis &c. sic etiam succedaneis inde maculis corneæ magis sunt obnoxiæ. Senilis vero ætas specificam illam opacitatem maculosam (§. 9.) magis experitur. *Temperamentum* phlegmatico-sanguineum, ad stases lymphatico-sanguineas pronum. *Dispositio hæreditaria* non plane hic excluditur, quatenus ophthalmiæ ac ulcerationes corneæ, quæ maculas & inducunt & relinquunt, plurimum ipsi debent. *Aër fervidus*, solaris, vel alius intense igneus, diu oculis admissus, ut è furnis fusoriis, inflammans, exsiccans, indurans: vel *intense frigidus* rigidusque, rodens, stringens fibras, humores inspissans, figensque: vel *acris*, stimulans, corrosivus, effluviis acribus, corrosivis imprægnatus, ut in confectione nitri, aquæ fortis &c. *Vigiliæ*, lucubrationes in multam noctem. *Cibi* acres, saliti, infumati, frequentes, copiose comesti. Acerba frequensque *lachrymatio*.

*Excretiones* consuetæ, seu naturales, seu artificiales, suppressæ neglectæve, sanguineæ, catarrhales, purulentæ, ichorosæ. *Dentitio* gravis. *Medicamenta acria*, vitriolico-adstrictiva, vel *quæcumque peregrina*, *aspera*, acuta, acria oculis & corneæ applicita, illapsa, illisa, affricta. *Adustio* per ignem actualem vel potentialem. *Achores*. *Ophthalmiæ*, præsertim *epiphora*. *Ulcera corneæ* varia, nec non *phlyctænæ*. *Unguis oculi*. *Post operationem* & curam *pterygii*, *hypopii*, *staphylomatis* &, parem ob rationem, *è vulneribus* quibuscumque corneæ remanent sæpe, præsertim in adultis, cicatrices & maculæ albidæ. *Palpebræ* interius *asperæ*, duræ. *Cilia introversa*. *Pestis* subitaneas haud infrequenter etiam producit maculas adnatæ & corneæ albas, rubras, lividas, nigras, suspectissimas omnes. [*e*]

## §. XI.

*Phænomena constituentia & concomitantia*. *Primum* phænom. est *coloris*, qui è diaphano corneæ naturali mutatur *in albido-cœrulescentem*, tenuem rarumque, ut in caligine: *in album*, saturatiorem, ut in nubecula, utrumque superficialem magis: *in resplendentem*, ut in paralampsi: *in crassiorem*, profundiorem, *cretaceum*, ut in leucomate: *in variegatum* è striis vasculisque capillaribus, sanguine rutilantibus, albidæ maculæ intertextis, qualia se

[*e*] Godefr. Bidloo in Exercit. anatomico-chir. L. 2. Exerc. 8.

ſe & levioribus & profundioribus ejuſmodi maculis paſſim immiſcere ſolent.

*Alterum phænomenon* eſt *loci*, quem macula præciſe occupat in cornea. Varius hic eſt, *partialis*, ut plurimum ac tantum non ſemper in ſuperficie convexa corneæ, ejuſque vel *peripheria*, ut in arcu ſenili: (§. 9.) in *medio*, ut in leucomate: denique *hic ibi*, promiſcue, indeterminate, uno pluribuſve locis per intervalla, quemadmodum *ſæpe in* nebula & caligine; ſed & *totalis*, univerſæ corneæ, aut à potiori ſaltem, ut aliquando in caligine. nebula, albugine. Nec *corneæ ſuperficies interna*, concava ab ejuſmodi libera eſt obnubilationibus & cicatricibus, ab ungue, aut fiſtula corneæ introrſum ruptis, poſt exulcerationem ſuperficialem internæ ejuſdem ſuperficiei, cujus in nuperis diſſertatiunculis mentionem fecimus. [*f*]

*Tertium phænom.* eſt *quantitatis* diſcretæ ac continuæ, numeri ſcil. & dimenſionis in longum, latum & profundum, præter jam dicta, vel una ſolum, vel plures diſcretæ ſunt maculæ, variæ amplitudinis, à magnitudine ſeminis papaveris albi ad lenticulæ, majoremve latitudinem: *figuræ & directionis* variæ. Aliæ ſunt tantum *ſuperficiales*, epidermidem corneæ ſolummodo occupantes, ſicut caligo: aliæ *profundiores*, altius & pluribus corneæ lamellis inhærentes, c. notabili aliquando ſubſtantiæ incraſſatione, condenſatione ac calloſitate.

*Quartum phænom.* eſt ratione *ſuperficiei*, vel *æqualis*, lævis, (ad ſenſum certe talis [*g*] & naturaliter convexæ, ut in caligine, nebula: vel *elatioris*, protuberantis, ut paſſim in paralampſi, leucomate: vel & *depreſſioris*, complanatæ, ut aliquando in cicatrice, poſt aduſtionem, aut puſtulam varioloſam, ulcuſve profundum remanente: vel *aſperioris*, ſcabræ, inæqualis, ut in illis occurrit corneæ maculis, quæ ulceroſam conjunctam habent eroſionem & nebuloſam obfuſcationem. Ordinario autem macularum ſuperficies æqualis eſt atque lævis.

*Quintum phænom.* in ipſius ægri *ſenſu viſus*, atque *tactus* reſpectu doloris. Ille per modum ἀμβλυωπίας [*h*] aliquatenus impeditur & *obnubilatur* per maculas corneæ tenuiores, rariores: gravius per craſſiores, profundiores, præſertim ſi ex oppoſito pupillæ obtingant, ſic ut homines ſibi videantur *per fumum*, *nebulam*, *nubem*, *linteum* laxius *tranſpicere*, atque ſic objecta vel *obſcurius* & *difficilius*, vel *plane non amplius percipere viſu*, ſicut in leucomate. Cæterum, niſi ophthalmia, aut alius affectus oculi tenſivus, inflam-

[*f*] In Præſid. diſpp. de ungue oculi p. 9. & de ulceribus corneæ p. 12. §. 12.

[*g*] Hic non eſt quæſtio de corneæ nec inæqualitatibus imperceptibilibus, quas ſuſpicatur Mery in Hiſt. & act. ac. reg. ſcient. An. 1704. p. 19. & 356. nec de poris, qui humorem preſſione plorant, de quibus Winslov. in eiſd. act. & in expoſit. anat.

[*h*] Ἀμβλυωπία, viſus aliquod impedimentum, obſcuritas, nomen generale, quod complectitur varias plurimaſque viſus imminuti cauſas, maxime vero etiam maculas corneæ, de quibus hic agimus. Conferantur plura de amblyopia apud Joh. Val. Scheid in egregia diſp. de viſu vitiato. Argent. A. 1676.

inflammatorius, internus jungatur, visus non est dolorificus, nec sensus adest ardoris, pulsationis, tensionis, aliusve incommodi. Maculas corneæ è lue pestifera, intense dolorificas, è malo autem venereo insensiles observavit Bidlous loc. jam cit. Visio depravatur ægris, quatenus pro situ & extensione maculæ in cornea, tantummodo *percipiunt objecti* cujusdam majoris *partem* vel *superiorem*, l. *inferiorem*, l. *lateralem*, l. *dimidiatam*, l. idem *dissectum* quasi. Si macula centrum occupat corneæ, melius *à latere vident.* Unde vel objectum lateri corneæ pellucido obvertere, vel oculum eo detorquere coguntur. Rarissimum est phænomenon, quamvis è Galeno plurimi etiam recentiorum faciant ordinarium, sed jam à Mercuriali & Sennerto contradictum atque negatum, ictericorum *visio flava*, ob corneam bilioso flavoque colore tinctam, ut prætexunt. Sanguis etiam, nisi æqualiter, ac tenuiter effusus sit inter corneæ lamellas, id quod vero accidit rarissime, *visionem rubram* non pariet.

*Sextum phænom.* est conjunctionis atque *complicationis cum aliis* oculi *affectibus*, e. g. ophthalmia variarum specierum, præsertim *epiphoræ*, quæ cum jugi largissimoque ferventium lacrymarum fit diluvio, atque *chemosis*, quæ cum insigni est conjunctivæ intumescentia spongiosa & expansione super ipsam corneam: *Ulceribus corneæ: Pterygio* in corneam expanso: *Trachomate* & ficositate *palpebrarum*: *Ttrichiasi*, sive pilorum ciliarium inversione: *Ungue oculi*, s. exili corneæ abscessu: *Hypopyo*, s. pure post corneam, in prima oculi camera stagnante. &c. Aliquando etiam *corneæ exteriores lamellæ*, relaxatæ, *in rugas* quasi *plicantur*, sulcos & eminentias efficiunt.

## §. XII.

Jam de *signis discretivis*, *pathognomonicis*, quibus tam maculæ generatim ab aliis corneæ affectibus, aliquam cum maculis similitudinem habentibus, quam ipsæ à se invicem distinguantur macularum species, agendum est. Breves erimus. Plurima enim jam prælibavimus in dispp. de ungue oculi & ulceribus corneæ. *Ulcera*, *maculæ*, *cicatrices* corneæ, superficiem hujus externam tantum non semper occupant, cum pus in ungue oculi hæreat sub extima, imo aliquot exterioribus aliquando corneæ lamellis: maculæ etiam & cicatrices, qua tales, absque doloribus, ophthalmia, visusque dolorifica sensatione ac chronicæ sunt, diuque, quin jugiter perstant & pelluciditatem amiserunt in extima superficie; *unguis* vero molestum dolorem, visus nimiam sensibilitatem & turbationem infert, & vel brevi dissipatur, pusque suum effundit aut foras, aut intro in anteriorem oculi regionem, ibi ulcus sive fistulam corneæ, hic efficiendo hypopyum: vel denique cessante suppuratione & condensatis corneæ stratis, maculam relinquit. *Excoriationes ulcerosæ* atque varia ulcera, corneæ superficiem convexam obsidentia, manifeste sistunt inspicientibus solutionem continui ac erosionem plus minus profundam, qualia nec in ungue, nec in maculis corneæ obveniunt.

niunt. Cum ergo acciderit macula corneæ, juncta cum ſuperficiali quadam ulceratione, è modo dictis facile dijudicabitur. Qualem ſive ad genus macularum, ſive ulcerum tunc referas, parum intereſt?

A *pterygio*, tanquam membrana p. n.li quæ aliquando ſuper corneam quoque expanſa albeſcit, diſtinguitur macula, in noſtro ſenſu accepta, quod ibi manifeſte corpus ſolidum ſit, membranaceum, peregrinum, ſuper corneæ ſuperficiem elatum, eminens & continuatum, ſ. primitus ortum potius è conjunctiva, unde etiam aliquatenus mobile per bulbi motum, l. hamulo apprehenſum. A *macula*, quæ *à vulnere* vel *ulcere relicta* eſt, per modum cicatricis, *differunt* & dignoſcuntur *reliquæ maculæ*, quod ibi hiſtorice poſſit conſtare, talem prægreſſam eſſe ſolutionem continui, dein ejuſmodi cicatrices politiſſimæ ac quaſi lævigatæ ſint, exquiſitæ albedinis, majorem ibi corneæ ſuffundant obſcuritatem, difficillimæ, quin aliquando impoſſibilis ſint exterſionis, atque conſtanter eidem inhæreant loco, ejuſdem dimenſionis tenaces, quam ſemel obtinuerunt.

Sed, quemadmodum in diſpp. de ungue & ulceribus corneæ ſubſumpſimus, immo ſtabilivimus, dari exulcerationes in ſuperficie concava, ſ. interna corneæ, ibidemque tradidimus, quomodo ab externis dignoſci debeant. Ita par eſt, diſtinguere etiam *ab* ejuſmodi *interna ulceratione relictas maculas & cicatriculas*, *ab eis*, *quæ ſuperficiem obducunt corneæ externam.* Scil. anteriores corneæ lamellæ tunc pellucidæ manent, nitoremque ſervant ſuum, ut per ipſas tranſpicere liceat intimam corneæ concavam ſuperficiem, inquinatam nebuloſis albicantibuſve maculis, ſic tamen ut nulla jungatur moleſta luminis ſenſatio, aut quicumque alius dolor, quales adeſſe poſſunt ſolentque, cum talis interna obfuſcatio nondum conſolidata & cicatriſata, ut ita loquamur, ſed aperta adhuc eſt ſolutio continui ulceroſa. Medicum ocularium, qui oculis non minus, quam judicio lynceus ſit, hic requiri, ipſa res loquitur.

Quod reliquum eſt ipſæ ſupra recenſitæ (§. 3. uſque ad 9. incluſive) *macularum ſpecies* à ſe invicem *diſcriminantur* phænomenis, apud ſingulos recenſitis, propriis. Itaque cramben non recoquemus. *Cur* autem illud *leucoma*, quod materiam purulentam, ulcus latens, in ſinu fovet, *ad macularum genus* referamus, & non ad abſceſſus aut unguis claſſem, cum tamen alibi definiverimus unguem eſſe exilem abſceſſum inter lamellas corneæ deliteſcentem, qui figuram reſegminum unguis humani, vel lunulæ ejuſdem albidæ referat? Hæc eſt ratio, ni fallimur, ſufficiens: quod primo non omne leucoma talem obtineat fundum purulentum, atque ideo non conveniat talem ſpeciem ſeparare ab altera, in ordine ad genus ſuum, quæ vel ſola lamellarum corneæ condenſatione & opacatione, vel impacto humore viſcoſo, pituitoſo, non purulento conſtat: ſecundo autem hic magis reſpiciendum ſit ad mutationem coloris diaphani corneæ in album, cretaceum, atque ſic maculam, qua talem.

§. XIII.

## §. XIII.

*Phænomena consequentia* : *leves* ac superficiales *maculæ* in infantibus, pueris atque adolescentibus facile, imo sæpius sponte curantur ac evanescunt, in adultis difficilius. *Recentes* etiam in genere, *præ inveteratis*, certioris ac facilioris curæ spem faciunt. Observavit Præses in viro quinquagenario antiquam & variis adhibitis leniter septicis haud cedentem corneæ nubeculam semel atque simul ablatam & extersam fuisse à *fumo telarum sulphuratarum accensarum*, quibus aliquot dolia suffumigavit uno eodemque meridie vir iste. Periculosæ vero plenum aleæ remedium fuit, casu adhibitum, quod imprudens chirurgus, loco pulveris sacchari canthi, quem præ manibus habere putans, destinaverat cicatrici corneæ in media sede natæ, visumque puellæ impedienti, applicuit : inspergendo scil. *pulverem mercurii sublimati*, tantam inflammationem concitavit, ut totus gravissime periclitaretur oculus ; illa tamen sanata inflammatione, cicatrix pene universa feliciter est detersa, visumque recuperavit ægra, remanente levi dumtaxat macula. [*i*] Sed tutioris atque *felicis per blanda detergentia* mitiaque septica *curationis* apud authores & ex ipsa Præsidis ocularia praxi quamplurima suppetunt exempla.

Laterem vero lavamus oleumque ac *operam perdimus*, *si antiquas*, *profundas*, *à solutione continui* prægræssa *orinudas*, *in subjectis mediæ*, *vel senilis ætatis* hasce maculas atque cicatrices *aggrediamur*, id quod antiquissimi pariter ac neoterici, cordatiores & experti, uno confitentur ore, licet haud desint, qui hodienum suas omnium macularum panaceas plusquam thrasonice extollant. Minime quidem in horum classem referimus *Yvesium*, toties à nobis laudatum, virum ingenuum & expertissimum, aliqua tamen *limitatione opus habere* putamus *prognosin*, quam de leucomate reliquit : [*k*] quod nimirum plus importet incommodi quam periculi, nec visus abolitionem ordinario afferat, si debitæ methodo tempestive subjiciatur. Cum enim ille supponat malum recens, & albuginem deducat à succo subalbido, intra corneæ substantiam stagnante, prognosis ab ipso allata, hoc casu locum quidem habere potest, minime tamen in antiquo, corneæ incrassatione ac callositate, aut profunda excavatione, præsertim in personis, quæ annos incrementi longe superarunt.

Experientia docuit Præsidem, quod *ampliores maculæ* & ipsa leucomata, totam obtegentia corneam, per adhibita remedia in &-externa *serenari* soleant à *peripheria versus centrum*, in medio autem lente ac difficillime progredi vel absterſionis, vel discussionis negotium, imo frequenter illorum *centrum aut plane non*, *aut aliquatenus saltem*, & non sine aliqua obfuscatione relicta, *posse deteri* & in naturalem restitui pelluciditatem. *Concavæ*,

i.

[*i*] Fel. Platerus observ. L. I. p. 107.
[*k*] St. Yves des malad. des yeux ch. XII. p. 107.

i. e. interiori corneæ *ſuperficiei* inhærens *macula*, leucoma, ut remotior à medicamentis injiciendis, ita peſſimæ notæ & *incurabilis* judicatur à *Bidloo* loc. cit. Si nimirum profunde lamellis ab intra inhæreat & antiqua ſit: *non* enim promiſcue *omnes maculæ in concava ſuperficie ſunt indelebiles. Maculæ* rubræ, lividæ, albæ in cornea & conjunctiva *peſte afflictis utplurimum* ſunt *mortis prænuntiæ*, obſervante mox laudato Bidloo.

## §. XIV.

*Pathologia. Maculæ tales*, corneam obſidentes, viſumque mox imminuentes, mox abolentes, mox depravantes ad quod rerum p. n. lium genus, morbum ſcil. cauſam morbificam, aut ſymptoma referendæ ſint, in diverſum abeunt authores. [*l*] Paucis nos expediemus. Quamvis color mutatus extra dubium ſit ſymptoma qualitatis mutatæ, atque in aliis partibus, quarum actio hinc non læditur, intra ſymptomatis cancellos ſubſiſtat; hic tamen cum ea ſit corneæ diſpoſitio læſa, reſpectu opacationis, aut peregrinæ tincturæ e. g. flavæ, rubræ, albæ, quæ viſus actionem lædit, ut ſcil. viſibilia l. imperfecte, l. plane non, l. alieno colore imbuta, l. alias depravate videantur, atque ſic morbi definitio galenica illa, dudum recepta: morbus eſt diſpoſitio partis p. n. à qua læditur actio, [*m*] competat hiſce maculis corneæ; itaque ad *morborum claſſem*, & *conformationis* quidem, indubie pertinere illas judicat *Sennertus* loc. cit.

Quid ſi vero macula corneam obſideat in tali loco, qui radiorum tranſitum ad pupillam, atque ſic axem opticum non impediat, e. g. ſi fuerit in peripheria, an nihilominus ad morbum, & non ad merum qualitatis in colore mutato ſymptoma referetur? Ita videbitur illis, qui tamen hinc corneæ functionem, tranſmittendi libere radios læſam cauſſabuntur. Sed tranſeat hæc ἀκριβολογία ne deficiat in λεπτολογίαν. Paucis, res *ad conformationem læſam redit, vel* in obſtructione pororum & vaſculorum corneæ lymphaticorum, *vel* ad ejuſdem lamellarum coalitum p. n. lem.

## §. XV.

*Subjectum morbi* eſt tunica illa oculi anterior diaphana, *cornea* ob ipſam cornu pelluciditatem magis, quam ſubſtantiam dicta. Haud incongrue jam illa ſub incudem vocari poſſet anatomicam. Sed alibi id agemus proxime. Summis tamen digitis *potiora* minimum ſunt tangenda, *quæ præſens thema reſpiciunt*. Cornea non habet exquiſite circularem convexitatem, ſed tranſ-



[*l*] Varias ſententias collegit & refutavit Dan. Sennertus Inſtit. LII. p. 1. c. 6. p. 168. ſſ.

[*m*] Neque abludit plerorumque recentiorum morbi definitio e. g. Boerhavii Inſtit. §. 696. ſtatus corporis viventis tollens facultatem exercendæ actionis cujuſcumque vocatur morbus.

verſim ellipticam, & in peripheria nonnihil complanatam, quamvis ſuperficiem internam vere circularem ſervet. Centrum ejus eſt eccentricum in ordine ad centrum pupillæ. In ſuperficie externa obducitur tenuiſſima epidermide è conjunctiva. Conſtat pluribus lamellis, arcte unitis. Craſſitiem habet $\frac{2}{12}$ aut $\frac{3}{12}$ unius lineæ. Pellucida eſt. Nullis ſanguineis, ſed meram vehentibus lympham inſtructa vaſis. Unde ſimili humore imbuta manifeſte deprehenditur, quem copioſiſſimis poris evidenter preſſione eructat. (*n*)

*Subjectum cauſæ* eadem ſæpiſſime conſtituit cornea, extra hanc tamen quoque paſſim obvenit: e. g. in ſuperficie palpebrarum interna aſpera, ſicoſa, ciliis, introrſum verſis.

## §. XVI.

*Cauſa proxima* eſt *vel* humor lymphaticus craſſior, impurus, ſtagnans, poros corneæ obſtruens, radiis tranſitum præcludens: *vel*, in aliis caſibus, maxime cicatricum ab ulceribus atque vulneribus profectarum, condenſatio, concretio, coaleſcentia lamellarum corneæ p. n. ſtrictior arctiorque, unde pori lumen tranſmittere ſoliti obliterantur, comprimuntur, atque ſic radii permeare nequeunt vel in totum, vel in tantum. *Cauſas remotiores* ex ordine recenſuimus in phænom. antecedaneis.

Unde ergo, quemadmodum pro minore vel majori gradu obſtructionis atque condenſationis objecta vel obſcure & confuſe, quaſi per fuliginem nebulamve, vel plane non amplius videntur, imo in profundiore, craſſiore, totali obſtructione & condenſatione ne luminis quidem perceptio remanet; Ita pro ratione loci, quem partialis obfuſcatio tenet in cornea, quo magis ille reſpondet centro pupillæ, ejuſque diametrum emetitur, quin ſuperat, eo magis patitur atque periclitatur viſio, quoniam eo loci circa axem incidentiæ radii reflectuntur, repercutiuntur à cornea in aërem, qui intro penetrare deberent.

*Depravatur* autem quoque *viſus* neceſſario, cum *macula*, l. cicatrix *corneam obnubilat* in *aliqua* ſaltem *parte*, quæ impedit, quo minus omnes ex objecto quodam majores incidentes radii per corneam trajiciant, ſique pro ſitu maculæ, in aliis pars objecti media, in aliis ſuperior, in aliis inferior, in aliis lateralis videri nequeat, in aliis vero vel in tranſverſum, l. perpendiculariter quaſi diſſectum appareat objectum; quicumque enim ex objecto in quamcumque obſcuriorem maculam corneæ incidunt radii, per hanc tranſire nequeunt, ſicque illa objecti pars nullos ad fundum oculi tranſmittens radios videri non poteſt. Quid cenſendum ſit de illo *Woolhouſii* aſſerto: quod nempe *viſio* unius objecti *duplex* ſit eo oculo, cujus cornea per exilem longamque cicatricem, è vulnere relictam, in duas partes diviſa, vel diſtincta potius

[*n*] Videantur Sal. Reiſelius in E. N. C. Dec. 2. an. 10. obſ. 97. de cornea multiplice. Mery, Winslow, Petit medicus in act. acad. reg. ſcient. gallic. paſſim. it. diſp. præſid. de ungue oculi p. 9. ſqq.

potius eſt? diſpiciemus in diſputatione anatomico-phyſiologica de cornea, proxime edenda. Si *cornea peregrino colore* ſit *imbuta*, e. g. rubro, flavo, ſic tamen, ut pelluciditatem non amiſerit, non poſſunt non ſpecies viſibiles, per medium hoc coloratum trajicientes eodem tingi colore, quemadmodum ſanis accidit per colorata intuentibus vitra.

*Senſus doloris* tum demum conjungitur, cum *vel* vaſcula corneæ, naturaliter nonniſi limpidiſſimam atque tenuiſſimam vehentia lympham, à ſanguine arterioſo irruente violenter diſtenduntur, ſenſumque ardoris invehunt: *vel* cum ipſis maculis aliqua concurrit ſolutio continui, aut ſtimulus ab acri ſanie, aut aliunde: *vel* ipſæ interiores oculi tunicæ aliqua tenduntur ſtaſi inflammatoria. Quo vero magis *occalluit cicatrix*, ipſaque induruit cornea, eo *minor* eſt *ſenſus* uti *luminis*, ita *doloris*. *Si* quæ *membranulæ*, ſquamulæ, furfures cruſtæque à maculoſa *ſecedant* cornea, præſertim in paralampſi & leucomate, diſpiciendum eſt, an ipſæ lamellæ naturales corneæ per modum exfoliationis ſeparentur, an vero cruſtoſi concrementi p. n. cortices deſquamentur, quales è glutinoſo craſſoque humore, è poris corneæ exſudante, ceu ſtrata ſuper ſtrata congeruntur, ſicut in favo, achoribus, ac aliis accidit cruſtoſis ulceribus.

## §. XVII.

*Therapia indicationes* has commendat potiores quatuor *curativas*: (1) humorum affluxum ab oculo revellere. (2) Staſes in cornea diſcutere, reſolvere. (3) Impuritates, concrementa, indurationes abſtergere, mundificare. (4) Reſtitutam pelluciditatem conſervare, tonum oculi roborare. (5) Palliativam: attenuare, imminuere aliquantum maculam, incrementum inhibere, rupturam corneæ, humorum effuſionem, uveæ prolapſum & corneæ nimiam atque deformem protuberantiam impedire. *Indicata* & *materiam indicatorum* è ſuis hauriemus fontibus. Quæ ſingulis hiſce reſpondeant indicationibus remedia, facile patebit.

*Fons chir.* ſuggerit *primo* artificiales ſanguinis ventilationes, revulſorias atque derivatorias, per *venæſect.* pedis, brachii, colli, venæ angularis: *cucurbitulas ſcarificatas* in humeris, dorſo, nucha: *ophthalmoxyſin*, ſ. raſionem, ſcarificationem tunicæ palpebrarum conjunctivæ, mediante xyſtro vegetabili ophthalmico: [o] *veſicatoria* in humeris, nucha, poſt auriculas: *Fonticulos*, in brachio, femore: *ſetacea*, lobis auricularum trajecta, it. in nucha poſitum. Suarum rerum ſatagens ophthalmiater varia hæc remedia facile accommodabit perſonæ, loco, tempori, ætati, &c. In *caſibus plethoræ*, *vitiiſque motus ſanguinis*, venæſectionem, cucurbitulas, hirudines, blepharoxyſin potius adhibiturus: in *vitiis ſeri*, acris, pituitoſi, potius inhæſurus veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis: quin & utriuſque generis remedia prudenter ſubordinaturus atque conjuncturus.



[o] Præſid. diſp. de ophthalmoxyſi p. 18. Is hanc felici ſucceſſu plurics adhibuit contra nubeculas corneæ, cum ophthalmia junctas.

## §. XVIII.

*Secundo* autem ſuppetunt *operationes chirurgicæ*, quæ locum affectum proprius tangunt. Nempe ſi *vas ſanguineum* unum, vel *plura*, *turgida*, aliquando & varicoſa, è conjunctiva in maculam corneæ exporrecta, huic nutrimento quaſi ſint, illam inſtituimus *ophthalmophlebotomiam*, de qua olim prolixius egit *præſes*, [*p*] & *quæ* paucis ſic *abſolvitur*: vaſculum tale ſanguineum, ſuper cornea eminens, ſi fuerit ſatis prominulum, apice lanceolæ ſecatur provide, ſ. in longum, ſ. in tranſverſum: ſi minus turgeat elevatur ope acus curvæ, latiuſculæ, non ſcindentis, tumque diſſecatur forfice, vel lanceola: aut acus curva, anceps vaſculo ſanguineo ſubducitur, attractaque acu diſcinditur. Sanguinis fluxus, inde procuratus, ſibi relinquitur, donec ſponte ceſſet, grumuli vero linteolis, aut ſpongiola molli detrita, infuſo hyſſopi, florum hyperici, ſimiliumve tepido imbutis abſterguntur.

*Altera*, eaque à vetuſtiſſimis medicis jam decantata *operatio* eſt, ἀπότριψις corneæ, attritio, abraſio ejuſd. macularum. Ἀναλείψεως nomen frequentius fuiſſe veteribus, τρίψεως autem recentioribus, ſui ſcil. ævi, ſcribit *Galenus*, totumque frictionum genus denotare tradit. [*q*] Idem quoque videtur ſingularem leucoma perfricandi methodum, variaque in hunc ſcopum media, aliquibus oculariis medicis ſolemnia, ideoque oculariam apotripſin innuiſſe, cum aliquos referat cute (aſpera) nonnullorum piſcium marinorum, alios ſylveſtris ficus foliis, aut pumice, aut herbis, aut ſepia, ad leucoma attenuandum uti. [*r*] Eamdem viam calcant ſubſequi *Paulus Ægineta*, *Actuarius* &c. Allegavit præſes in diſp. de ophthalmoxyſi plura tam naturalia, quam artificialia ad ejuſmodi τρίψιν, maxime vero calloſarum palpebrarum, facientia. Horum è cenſu huc quadrat, quod p. 10. diſp. allegatæ, tanquam prima *blepharoxyſti*, inſtrumenti, *ſpecies* deſcribitur, formam obtinens exigui cochlearis è chalybe, cujus ſuperficies convexa pluribus undique acutis eminentiis, inſtar limæ, exaſperata eſt, concava vero lævis. *Conſtantinus* Afrus, ſ. *Africanus* laudatur abs *Woolhouſio*, tanquam primus, ipſi notus, qui raſionem & attritionem corneæ ſuſceperit ſcalpro, quod vocaverit, ophthalmico. [*s*]

Inter recentiores manifeſtum perfricandæ corneæ ſpecimen ſiſtit *Bidloo*. [*t*] Verba ejus ita ſonant: ſi adulta & longo tempore refractaria macula (loquitur

[*p*] Præſid. diſp. de ophthalmoxyſi. p. 17. ſq.

[*q*] Galen l. II. Salubrium.

[*r*] -- de ſimpl med. fac l. XI. p. m. 81. de ſepia: porro hoc nomine, quod mediocrem obtinet aſperitatem, adhibemus eam & ad ingentes oculor. aſperitates, quas ſycoſes appellare conſuevimus. Nam exſculpentes ex ea quiddam ipſa figura ſimile collyrio, eo illas confricamus, donec ſanguinem reddere incipiant: quo facto collyria cathæretica, ſ. deradentia, præſtantius effectum ſuum in illas exſerunt.

[*s*] Conſtantini hujus Africani, Monachi, Caſſinenſis, Sec. XI. celebris, opera medica in folio edita Baſil. apud Henric. Petrum an. 1536. & 1539. ſedulo evolvimus, nullum vero veſtigium nec frictionis hujus, nec inſtrumenti potuimus invenire.

[*t*] Godefr. Bidloo Exercit. anatomico-chirurg. l. II. Exerc. 8. p. 196.

quitur vero de maculis corneæ) deterſioni leni vitrioli cyprii, in aqua roſarum ſoluti reſiſtat, opus eſt fortiore medicamento: verum ego ſtylo, ex ejuſmodi generis vitriolo, utor; tum quia maculam, uſquedum ſanguinem emittat, vellicandam *fricandamque* ſuſtineo, tum quia tutius hac methodo parti affectæ, intactis vicinis, injici poteſt medicamentum. Præterimus brevitatis ſtudio alios authores.

## §. XIX.

In tali ergo macula corneæ, quæ ſuperficiem habet prominentem, cruſtoſam è ſquamis quaſi ſuperincumbentibus, aut alias etiam craſſiore, duriore, ſicut in ægide, paralampſi, leucomate licebit duro nodo durum opponere cuneum. Ne vero partes ſanæ lædantur, opus eſt palpebras ſervare diductas bulbumque ſtabilire per applicitum, ita dictum, *ſpeculum oculi*, atque diligenter cavere, ne & partes ſanæ attingantur xyſtro, & ut affectæ fricentur ſuſpenſa manu. Nihil autem putamus obſtare, quo minus ipſum *vegetabile xyſtrum*, ſcopula nimir. illa ſcite è glumis ſecalinis efficta hic quoque locum inveniat, ejuſque naturalibus uncinulis diſcerpi & abradi poſſit, eminens maxime, cruſtoſa calloſaque ſuperficies maculæ. Sed, quocumque inſtituatur hæc apotripſis modo, pluries, pro neceſſitate, repetenda, *cornea dehinc* confeſtim *fotu* tepido, è fl: ſambuc. chamom. melil. &c. in lacte coctis eſt aliquandiu *demulcenda*, poſtea *ſequentis unguenti* aliquot guttulæ illinantur mediante penicillo tenui, aut inſtillentur, ℞. Ol: ovor. Ung: de tut. ana ʒiß. Partis fungoſæ oſſis ſepiæ, ſubtiliſſime pulveriſat. gr. xij. pollinis rad: ir: flor. gr. vj. M. Palpebris ſuperponatur *cataplaſma calidum* è medulla pomi aſſati, pulveris croci ℈ß. & camphoræ gr. ij. *Præmitti* partim, partim *conjungi* debere *alia in & externa*, affluxum cohibentia, diſcuſſionem præſtantia, vel davus ſubolfaciet.

Denique *tertio*: *compungi*, foraminulis perterebrari poſſe, mediante inſtrumento, *catanyptrum* vocato, vel acu incurva ancipite, *maculam* craſſiorem, *leucoma*: humorem lentum, ſi quis ineſt elici: lamellam corneæ extimam ſeparari, exfoliari poſſe, non dubitamus, ſicut in diſp. de ungue oculi prolixius §. 12. p. 16. docuit *Præſes*, eamdemque methodum ibidem contra unguem oculi propoſuit. Plura igitur vid. ibid.

## §. XX.

*Fons pharmaceut.* ſiſtit primo *externa* & *topicâ* remedia. *Levioribus maculis* apprime conveniunt *lambitiones*, deterſiones lingua factæ hominis ſani, quæ ſalivam, vi præditam abſtergente, illinant non modo maculis, ſed & blandiſſimo lambitionis motu & affrictione papillarum linguæ pyramidalium, aſperularum, deterſionis ac attritionis efficaciam exerceant. Quid canes, lambendo vulnera atque ulcera, præſtent, notum eſt. Quantam præſtiterint activitatem in ipſo leucomate feliciter deleto biennis puellæ judaicæ, ab ipſa

matre diligenter exercitæ lambitiones, docet obſ. *Bidloi*, paulo ante allegata (not. tt.) Efficaciores fortaſſis & ideo fuerint illæ propter allium frequenter comeſtum, quo mirifice hæc gens delectatur, & ſalivam acrioribus illius particulis impræegnatam. *Cautelas in lambendo* has impr. commendat *Bidlous* ibid. p. 195. ut lingua ſit ab omni impuritate munda, fragrantis alicujus ſeminis maſticati viribus imbuta, pulvere ſacchari canthi, ſolutione vitrioli mitigati, aut ſimplicis ſolutione conſperſa, & lambitio dirigatur ab exortu maculæ, quo loco craſſior exiſtat, verſus finem, non viceverſa.

Ita pariter ſolent felici ſæpius eventu ſuaderi *adhalationes*, oris, poſt fœniculum, caryophyllos, cubebas & ſimilia maſticata, quas vel ipſe æger, vel alius homo ſanus frequenter dirigit ad corneam affectam. Nec diſpar eſt ratio variorum *vaporum* ac *fumorum* medicatorum, è reſolventibus, aromaticis, acriuſculis, deterſivis, ad oculum patentem ſæpe diuque admiſſorum. Supra recenſuimus, (§. 11.) quam feliciter, caſu, deleverit *fumus ſulphuris* maculam corneæ antiquam in viro. In illis corneæ maculis, quæ conjunctam habent ejuſdem nimiam humiditatem, relaxationem & hinc pendentem rugoſitatem magni facit *Woolhouſius ſuffumigium* ex aloe, myrrha, maſtiche, baccis juniperi, harum alterutra prunis ardentibus injecta, fumoque hinc oculis noctu ante cubitum ſic excepto, ut, in diſtantia unius pedis ab acerra, volis manuum potius, circa oculum expanſis, quam mediante infundibulo, quod nimia vi & copia fumum impingeret, ad corneas affectas dirigatur. *Statim ab excepto* ſic oculis *fumo* penicillum ſubtiliſſimum jubet ſequenti intingere *unguento*: ℞. Ung: de tut. ℥j. pulveris gum: arab. ʒß. eoque omnes imbuere partes corneæ collapſas & rugoſas ægri, jacentis ſupini & capite reclinato. Lachrymabundi ad ſingulos penicilli attactus oculi humidum deſtillare permittitur, capite verſus angulum oculi externum inclinato, ipſaque illinitione aliquoties repetita palpebræ clauduntur, ſomnoque relinquitur æger. Inſequenti *mane* aliquot *hormini grana* palpebris ſubdita per bihorium detinentur. Hac methodo facile omnes *rugas* & *ſubſidentiam corneæ tolli* prætendit *Woolhouſius*, è contrario autem collyria adſtringentia, vitriolica, ſub prætextu roborandi, oculo inſtillata malum reddere pejus, rugas conſtringere & in ampullas elevare.

## §. XXI.

*Fotus*, *vapores* è Hb: hyſſop. Chæref. Chelid: maj. Serpil. Origan. Roriſmar. Baccis junip. Baccis caffeæ toſtis, Rad: valer. Sem: fœnic. Maſtiche, Camphora in aq: font. aut aq: calcis vivæ, aut vino coctis, ad corneam affectam exhalantes, reſolvendo, roborando ſuam addunt ſymbolam. Tantundem fere eſt, ſi mediante lavacro ophthalmico *cornea* cum toto bulbi anteriore hemiſphærio tepide *balneetur*.

Sed rarioris hæc ſunt uſus, tanto autem frequentioris è ſimilibus parata *epithemata*, *ſacculi*, *cataplaſmata*, palpebris calide ac diligenter applicita; & *cata-*

*cataplasmata* quidem quod spectat, è resolventibus maxime parata, summis *digna laudibus* extollimus, ab ipsa edocti experientia. Nobis usuale est è pulpa pomi aciduli, sub cineribus assati, & cum pulveris croci ℈ß-rad: ir: flor. gr. v. camphoræ gr. ij. vel iij. remixti calidum per aliquot horas impositum palpebris, plurésque dies continuatum. *Platerus* [*u*] duos recenset casus albuginis, inveteratæ & cum ophthalmia conjunctæ, in totum tamen, & alterius quidem intra quinquendium, dissipatæ usu potissimum cataplasmatis è pulpæ pomorum incisæ & repurgatæ ℔. ß. in aq: ros. & fœnic. cocta ad consistentiam pultis, additis dehinc mucilaginis sem: fœnugræci ℥ij. album: ovor. nro. ij. lap: hæmat. exacte triti ʒß. vel ʒj. Cort: granat: subt: pulv. ʒj. vel ʒij. cremoris lactis, vel ol: rosac. parum. Respondent hæc topica *primariæ* hujus curationis *cautelæ*: lente festinandum, naturam non trahendam obtorto collo, non acribus statim nec continuo stimulandam esse calcaribus.

## §. XXII.

Ad *collyria* sicca & humida, *mitioribus* abstergendi *viribus prædita*, & loco affecto applicanda referimus: pollinem subtilissimum atque siccissimum è saccharo canar. vel cantho albo, rasura lap: lyncis, testa ovi calcinata, substantia fungosa ossis sepiæ, rad: ir: flor. Crocus agaricus albiss. sal ammoniac. ludus, s. tartarus matular. (quem aliqui summis efferunt laudibus) ℈: vol: urinos. camphora, in polline insperſa, majorem aliquanto præstant morsicationem. Tales vero *pulveres* mediante calamo corvino, vel duobus, tribus intra se susceptis, aliove angusto tubulo *corneæ insufflantur* placide, *vel* tenui specillo aut cochleare ingeruntur, *vel* aquis, balsamis, unguentis mixta instillantur. E liquidis huc spectant mel virgineum, *infusio* anisi, fœniculi in spiritu vini, hujusque infusionis subseptuplum cum aquis euphrasiæ, fœniculi & plantag. mixtum, qualem *Yvesius* commendat.

Majore *vi* ac *acriore*, absterſoria & stimulante, *agunt* aloe, fella variorum animalium, e. g. lucii piscis, vulturis, tauri, axungia viperarum, succus chelidonii majoris, fœniculi, anagallidis, centaurii minoris, crocus metallor. æs ustum, viride æris, vitriolum cyprium, album, alumen ustum, balsam: peruv. ol: è linteis combustis, ol: buxi, ligni sancti. *Illinuntur* talia *penicillo* tenuissimo: cum melle mixta id commodi habent, ut præter vim mellis absterſoriam & discussoriam, minus super toto diffundantur oculo. Nimia *horum acrimonia temperatur* mucilagine admixta seminis cydoniorum, psyllii &c. Omnia tamen *vitriolica* cane & angue pejus *vitanda* recte monent *Woolhousius* ac *Yvesius*. *Acriora* hæc *satius in forma unguenti*, mediante penicillo, quam fluidioris aquæ adhibentur, ob metum nimiæ promptæque diffusionis, ac, cum nihilominus satis moleste ac dolorifice totum afficiant oculum, debent non modo *parcius* atque *rarius applicari*, sed & inter applicandum opera dari, ut palpebræ aliquandiu hiantes distent, bulbus immobilis quasi

[*u*] Platerus in obs. l. I. p. 106. sq.

quasi quiescat, & semihorio *post oculus* tepide *abluatur* aqua temperata quadam ophthalmica, e. g. aq: destil. rosar. plantag. sperm: ranar. albuminum ovor. aut infuso fl: melilot. sambuc. rad: alth. sem: psyllii &c. atque *dehinc cataplasma pomatum*, supra commendatum (§. 20.) palpebris imponatur, & interdiu palpebræ aliquoties laventur foveanturque infuso herb: rorismar. & hyssopi calido.

## §. XXIII.

Qui *septica corrosiva* corneæ applicant, oleum infundunt igni, & *in lernam malorum præcipitant* ægrum, tormenta scil. dolorum infernalia, gravissimam inflammationem, metum suppurationis & putredinosæ corruptionis, aut malignitatis cancrosæ, summumque totius oculi visusque discrimen. Nec est, quod audaculi prætexant exemplum (§. 13.) allegatum, mercurio sublimato deletæ maculæ, sed potius attendant ad ancipitem, qui & tum imminebat, eventum. *Mercurium* tamen *præcipitatum rubrum*, in *forma unguenti* extus palpebræ superiori, ab audacioribus ipsi quoque cantho interno oculi illitum novimus aliquoties sustulisse feliciter maculas corneæ; aliquando autem & graves concitasse inflammationes. Unde nolumus authores esse frequentioris & promiscuæ hujus unguenti illinitionis. *Bidloo* certe, loc. sæpe cit. fatetur ingenue, quantas ipse turbas moverit, acrioribus ejusmodi medicamenris aggrediens corneæ stigma album, instar callosi s. indurati fungi foras extuberans, ut, non sine multo tempore, tædio, labore, visusque detrimento, excitatum ulcus consolidari potuerit, ablata tamen prius corneæ excrescentia, quam vocat, mediante scalpello. Tutissime vero nec minus efficaciter *litus spirituoso-æthereo-oleosi* e. g. è balsamo Schaueri, aq. Regin. H. cum oleo anthos commista, aliquoties in die per aliquod tempus, pluries in die, palpebris possunt infricari. Felicem eventum sæpius inde observavimus.

## §. XXIV.

In gratiam tironum *aliquot* apponemus *formulas* ex ante laudatis medicamentis compositas & à celeberr. authoribus, nobisque ipsis probatas. ℞. Aloës pulv. ℈ß. croci metallor. ℈j. aq. chelid. maj. ℥iij. - fl. cyan. ℥j. M. De liquore, qui sedimento supernatat, claro aliquot guttulæ oculo instillentur, authore *Woolhousio*. ℞. Myrrh. r. el. ℈ß. camph. vitriol. alb. (in pauca hac quantitate magis excusari, sed & omitti potest) ana gr. v. mellis ℈ij. & succi fœnic. q. s. ad consistentiam linimenti liquidioris: *Maître-Jean*. ℞. Mellis chelidon. ʒij. fel. pisc. lucii ʒj. sal. volat. gr. v. m. insperge ope penicilli calide. *Bidloo*. ℞. Ossis sepiæ de fungosa materia, pumicis an. ʒj. pomphol. alb. ʒß. sacch. candi ʒij. farinæ fabar. ʒß. m. f. pulv. subtiliss. Insufflletur. *Platerus*. ℞. Mellis in ipso favo ℔ij. Summit. fœnic. flor. sambuc. Euphras an. p. ij. sacch. canth. ℥iv. Destil. in MB. & aqua instilletur oculis. *Lusitanus*. Plures qui desiderat formulas, adeat praxin *Plateri*, *Bartichii*

*tichii* [ x ] ophtalmoduliam, *Augendienſt*, *Mangeti* bibliothecam pharmaceuticam. Veteribus uſitatorum numeroſiſſimus eſt cenſus apud Galen. Paul. Æginet. &c. de quibus tam magnificæ, tam certæ vires extolluntur, ut ſalivam movere poſſint, ſed metuimus non injuſte, ne bilem potius moveant, non reſpondente promiſſis effectu, imo ſiniſtro, niſi prudenter adhibeantur, eventu.

Reſtant è cenſu externorum *amuleta*. Radicem allii ſerpentini abs chirurgis magni fieri Author eſt *Platerus*. Globulos ſuccini collo circumpenſos laudant alii. Sed quemadmodum in curatione ſolis hiſce non ſolemus fidere; ita, ſi in ſocietate aliorum atque præſtantiorum remediorum bonus ſuccedit eventus, dubium manet, utri horum remediorum palma debeatur? Relinquimus talia curationum magneticarum amaſiis, neque tamen repudiamus ea, quæ modo phyſico agunt explicabili, aut per certam experientiam confirmata pollnet activitate. Denique *capilli denſi promiſſi*, nimium affluxum capiti oculiſque concitantes, ſunt aliquando *imminuendi* in quantitate continua & diſcreta: non quidem mox detondendi. *Litus cutis capillatæ ſpirituoſi* his etiam oculorum affectibus *nocent*. *Achorum*, *fonticulorum*, *ulcerum* in partibus ab oculo remotorum *manationes* aliquandiu potius *conſervandæ* ſunt, quam ſupprimendæ.

## §. XXV.

Prolixiores circa topica fuimus, ac quidem erimus circa interna remedia. Certum enim ratumque eſt, ad expugnanda hæc vitia externa *plus præſtare* remedia *externa*, *topica*, internis. Sed tamen *neque hæc* ſunt *negligenda*, tantum abeſt, ut potius illis viam ſternere, & junctis viribus pugnare debeant. *Interna evacuantia* ſunt, vel *purgantia*, cacochymicis ſcopo evacuandi, alias etiam revellendi, non quidem draſtica, ſed aliquoties repetenda, mitia, MP. de ſuccin. crat. pil. ſine quibus eſſe nolo, aleophanginæ, marocoſtinæ. fol. ſen. ſ. ſ. agaricus, rad. & reſin. jalap. Inprimis etiam merc. dulc. ſal. epsham. egran. &c. Magneſia: vel *diaphoretica*, *diuretica*, præſertim è rad. ſcorzon. pimpin. min. carlin. ſerpentar. virgin. angelicæ, ſaſſap. chinæ, bardanæ, ononid. petroſel. fœnic. pareir. brav. l. ſancto, ſaſſafras &c. parata theiformia infuſa atque decocta. eſſ. pimp. ſcordii, ſuccini, mixt. ſ. Lud. TR. ♁. aeris, ex aq. card. ben. ſambuc. angelic. ſcorzon. petroſel. chærefolii. Salia media, nitrum, cum abſorbentibus & inciſivis remixta. Juſcula è recent. chæref. naſturt. hort. rad. ſeleri, petroſel. turionibus lupuli, fl. violar. cum tantillo macis, in juſculis carnis, vel ſero lactis, modice coctis, & per aliquot ſeptimanas propinatis. *Evacuantia particularia*, *errhina*, *ſialogoga* generalibus illis ſubordinantur.

[ x ] Georg. Bartiſch. *Augendienſt*. p. 215. ſqq. plurima offert egregia topica, dummodo illis debito tempore & modo ſciat uti medicus.

## §. XXVI.

*Interna alterantia. Oxydercica*, visum acuentia licet contra maculas & vela hæc corneæ nihil, visum acuendo, valere statuat *Platerus* in praxi sua; tamen cum talia sint, quæ tenuibus, incisivis, aromaticis, salino-oleosis particulis valide humores viscidos attenuent, obstructiones reserent, fibrasque laxas roborent, in aprico est, non contemnendam & his contra corneæ maculas efficaciam tribui. Huc ergo spectat tota cohors *aperientium*, *incidentium*, *absorbentium*, *anticachecticorum*, *antiscorbuticorrm*, *antivenereorum* medicamentorum, quæ non promiscue quidem & acervatim, imprudenter & effuse sunt confundenda, vel cumulanda, sed suis quæque subjectis diversisque casibus attemperanda. Ob horum multitudinem pauca saltem proponemus, quæ *nobis* sunt *familiaria*: rad. valer. sylv.-ari vino ppt.-pimp. min. sem. fœnic.-anis. commune & stellatum: flaved. cort. aurant. s. s. millep. pp. tart. vitriol. t. nitr. crystallin. terra fol. tart. lap. 69. pp. succin. pp. pulv. stomach. birck. trag. aromat. gabelk. specif. cephal. mich. pulv. cephal. camer. essent. balf. Hoffm. succin. elix. aper. claud liq. vol. ol. sylv. &c. Succinctus, quem Dn. *de St. Yves* [y] topicis præmittit, apparatus pharmaceutico-diæteticus laude dignus est & imitatione, constans tenuissima diæta, jusculis alteratis è brodio carnis vitulinæ, vel sero lactis per herbas temperantes alteratis, addita ad jusculi ℔j. sir. violar. ℥j. &c.

## §. XXVII.

*Fons diætet. vitare jubet aërem* frigidum, nimis luminosum fervidumque, pulverulentum, humidum: *cibos* crassos, dyspeptos, salitos, infumatos, acidos, carnem suillam: copiosos, quantumvis optimos. Allii, ceparum, sinapi usum internum, sicuti celeb. *Stahilius* [z] à communi vindicat opprobrio, quasi oculis tantopere nocerent, ita sane usu moderato interno, ceu condimentum, maculis corneæ, à sanguine seroque crassis, impuris, oriundis atque nutritis, potius prodesse, quam nocere possunt. *Vinum & spirituosa* illis denegantur, qui propter ætatem, temp. sanguineum, cholericum, plethoram, gravem conjunctam ophthalmiam, aut statum scorbuticum, hecticum, excluduntur: tanto magis autem permittitur vinum assuetis, phlegmaticis, cachecticis, cacostomachis, intra terminos tamen: *lectionem*, *scriptionem*, altero oculo licet saltem exercitas, quoniam nihilominus æger oculus in consensum molestæ tensionis rapitur: *motus* corporis *nimios*, capitis inclinationem longam, frequentem ad humum: *colli nimiam* per collare *stricturam*: *veneris abusum omittere* præcipit &c.

*Præcipit* è contrario *aërem* serenum, temperatum, pacatum, quærendum, expectandum, cui se exponat æger: *Diætam* tenuem, eupeptam, medicatam, è

[y] Mr. de St. Yves des maladies des yeux p. 217. sq.
[z] G. E. Stahl disp. de affectibus oculor. in genere p. 19.

è turionibus lupuli, ſpinachia, aſparagis, rad. ſcorzoneræ ſativæ, ſeleri, petroſelini, endivia: *decoctum* pro potu temperans aperitivum, modice aromaticum: *condimenta* ciborum aromatica, è raphano ruſticano, cepis, raphanis, allio, porro ſectili, radicibus & herba petroſelini, ſemine carvi, carioph. aromat. nuce moſch. macere cinnamomo: *potum caffeæ* tenuem, *ſuccoladæ* aqueum. Cuncta tamen parce, *ceu condimenta*! præſertim perſonis & cauſis morbi ocularii calidis. Alvi, muci narium, urinæ, tranſpirationis *liberas excretiones* quotidianas.

## §. XXVIII.

Agmen claudit *indicatio palliativa*. Scil. ſi *maculæ* & *cicatrices* in totum & conſtanter abigi, atque ſic deformitas & viſus impedimentum una penituſque tolli nequeant, danda eſt opera, ut illæ *in tantum ſaltem curentur*, *imminuantur*, *attenuentur*, vel certe *incrementum* & *deteriora* quæcumque *ſuperventura* tempeſtive *avertantur*, id quod maxime tentari debet methodo curativa hactenus propoſita. Aut *peregrinus* fœdus *color* flavus, ruber, lividus, ſi nequeant in diaphanum omnis coloris expertem reſtitui, *mutentur* ſaltem *in dilute albicantem*, qualis, præſertim illis, qui griſeam vel cœruleam habent iridem, inſpicientibus non æque attenditur, ſicut alius quicumque. *Tantum* ergo *abeſt*, *ut veterum methodum probemus* aut ſequamur, *qui maculas* l. cicatrices corneæ albas, diſſipationem renuentes, *præceperunt colore nigro tingendas*, atque in hunc finem tincturas è vitriolo, gallis, aliiſque adſtringentibus, veram atramentoſam nigredinem præſtantibus, uti paſſim apud Galenum, *Paulum Æginetam* &c. & quod miramur, nonnullos etiam recentiores talia deprehendes, corneæ maculis inſtillandas commendarunt; quin potius, ſi quæ jamjam inſidet nigra macula, hanc in albidam, ſi fieri poſſit, convertere jubeamus. Licet enim in nonnullis ſubjecta iris fuſco-nigra, qualem oportet fuiſſe incolarum Græciæ, Aſiæ, Italiæ, putetur procul dubio à veteribus medicis aliquomodo minus ſenſibilem ſ. apparentem reddere maculam corneæ nigram, vanam tamen fallacemque hanc fore ſpem, à priori & poſteriori facile edocemur.

Tacemus incommoda, mala non unum profecto, quæ ab ejuſmodi vitriolicis & valde adſtrictivis in univerſam redundant corneam atque conjunctivam.

Attulit ipſe *præſes* [ *a* ] *obſervationem* è ſua ipſius praxi coloris p. n. fuſci in colorem griſeum naturalem arte reſtituti, quamvis impeditior multo tardiorque remediorum ad iridem affectam acceſſus eſſe debuerit, quam ad corneam eſſe ſolet. Confidentius ergo ſperare licebit, facile acceſſibilem corneam à peregrino colore facilius poſſe liberari. Sed contrarium teſtatur experientia, quoad profundas calloſaſque maculas albidas. Suffragatur ratio. Quo enim tunica quædam diaphana per cicatricem aut alias magis denſatur, eo maculam oportet fieri albidiorem, eamque indelebilem, quia lamellæ, è quibus conſtat, ejuſque pori ſtringuntur, arctius ad ſe invicem apprimuntur, obſ-

 truun-

[ a ] Præſid. diſp. de hypopio p. 34. caſ. 3.

truuntur. *Leucomata*, totam obſidentia corneam, à variolis e. g. relicta, antiqua in pueris aliquoties, methodo ante deſcripta, ſic *attenuavit* & in latitudine *diminuit præſes*, ut luminis aliquam perceptionem, aliqui etiam groſſiorum objectorum recuperaverint. *Sed* nucleus, *centrum* eorumdem, *ſtetit* manſitque *ceu marpeſia cautes*. Quo igitur caſu, ab inutili, imo periculoſa quacumque machinatione ulterioris abſterſionis & ſerenationis dehortamur medicos. Quod vero ſpectat *prævenienda*, *quæ imminent*, *corneæ* mala, rupturam, ſtaphyloma, ulcus, malignitatem cancroſam &c. hæc alibi ſuis locis erunt tradenda, uti & tractatio ſingularis macularum rubrarum, lividarum, nigrarum. *Jam* enim *claudimus rivulos*, ſat prata biberunt.

FINIS.

DIS-

XVIII.

# TOBIÆ LEUCOMATA,

## DISSERTATIONE MEDICA

DILUCIDATA.

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Defendet*

CAROL. DAV. BRECHT

*THAILFINGENSIS.*

Tubingæ 24. Maii anno 1743.

# PROEMIUM.

*Falcem immittimus in messem non penitus alienam, dum senis Tobiæ* λευκώματα *excutimus, nec audemus aliquid, quod alii ex ordine medicorum plures circa physicæ ac medicinæ objecta biblica non ausi passim sint antea. Data id opera egerunt Bartholinus, Wedelius, Scheuchzerus, Warlizius. Et quidni objecta fori mixti suæ vindicantur quodque facultati? Theologum explicare theologica, medicum medica, ubicumque occurrant, par est: sed & inficias non est eundum, quod sæpe tam arcto nexum vinculo, unum, sed ad plures scientias & facultates spectans, objectum, hominem requirat exegetam, profundæ, variæque eruditionis, & ex utroque Cæsarem, vel saltim diversarum facultatum doctores, invicem conferentes, deliberantes, decernentes. Nostra non augusta, sed angusta nos ipsos metimur ulna. Non omnia hujus telæ fila è nobis ducimus ipsis, instar araneæ, nimis enim fortasse tenuia forent; sed apes æmulamur, quæ mel è variis exsugunt flosculis, digerunt, excoquunt, perficiunt: addimus enim & proprias meditationes, criticasque reflexiones, atque sic, quæ nuperrima in disp. satis prolixa de maculis corneæ, de leucomate s. albugine dicenda supererant, jam supplemus.*

*Quamvis autem censeat varia eruditione celeber. Th. Bartholinus* [a] *perpauca superesse, quæ de Tobiæ morbo & curatione scribi possint, quia omnia fere absolverit Hieron. Bardus in Med. cath. c. 4. §. 1. & 2. & ante illum Francisc. Vallesius de sacra philos. c. 42. ipseque ideo Bartholinus nonnisi pauca de pisce, qualis fuerit, ipsiusque fellis virtute medica commentetur; nos tamen aliqua, nec levis ea momenti, superesse putamus circa ipsum Tobiæ affectum ocularium, qua genesin formamque affectus, modum & eventum curationis. Sed fabulæ, prosopopœiæ, ephemeridibus domesticis apocrypho libro nos insudare, & de lana caprina disputare caussabuntur illi, qui solidissimis tot auctorum* [b] *criticis demonstrationibus convicti, nec canonicum & theopneustum esse Tobiæ librum, nec tam antiquum, ac ipse Tobias, vel quicumque author libri prætexit, nec veram esse, sed fictitiam historiam contendunt. Verum enim vero si vel maxime non adstipulemur communi Pontificiorum persuasioni de canonica Tobiæ authentia, ipsumque grave concilii Tridentini anathema, quo fulminat in eos, qui Tobiam è canone expungunt, non attendamus; tamen & nobis licebit de phænomenis physico-medicis, circa Tobiæ leucomata obviis operam impendere, quam alii tot celeber. viri in eo vel defendendo, vel confutando navarunt indefessam. Dubiis contra Tobiam partim nova è nostris reflexionibus accumulabuntur, partim vetera*

[a] Thom. Bartholin. de morbis biblicis §. 14. p. 56.

[b] Chemnitius in exam. concil. Ttidentini. Francisc. Junius. Chamierus Rainoldus. Spanhemius. Calovius. Friedliebius in Theolog. exeget. Herman von der Hardt Joh. Albert. Fabricius lib. Tobiæ, Judith &c. græce & latine, in prolegomenis in Tobiam. Reverendiss. Dn. Cancellar. D. Pfaff in bibliis german. in fol. &c.

*tera confirmabuntur, licet ingenue non minus elidantur horum aliqua, intempestive opposita.*

*Itaque de leucomatibus Tobiæ, patris, acturi, eum tractationis ordinem servabimus: (1) variantes lectiones conferentes, græcum Drusii exemplar sequemur. (2) Trademus, an, & quomodo ab illapsis avicularum stercoribus Tobiæ morbus ocularius oriri potuerit. (3) Qualis oculi morbus sit leucoma. & qualis fuerit Tobiæ. (4) An, & quomodo contigerit horum, sic dictorum leucomatum curatio instantanea. Faxit luminum Pater, ut aliquæ etiam sapientiæ ac veritatis scintillæ hanc de cæcitate tractatiunculam irradient!*

## §. I.

*Ætas libri Tobiæ*, si ipsum audiamus Tobiam, metienda est ab illa decem tribuum Israëliticarum abductione in captivitatem sub regno *Hoseæ* Israëlitico [*c*] per Regem Assyriorum *Salmanassarem*, [*d*] id quod accidit an. mundi circiter 3206. atque sic ante *Christum* natum sex fere seculis, & brevi ante Romam conditam. Tobiam, Judæum, hebraice tum scripsisse verosimillimum videri posset. Ast quamvis aliquot *editiones hebraice* prostent, imprimis *Munsteri*, à Judæis Constantinopolitanis ei suppeditata, atque *Fagii*, nullum tamen exemplar Tobiæ hebraicum esse authenticum, plurimi non saltem è protestantibus, sed & ipsi fatentur Pontificii: *Chaldaica* vero lingua utrumque Tobiam [*e*] res suas in commentarios retulisse prætexunt, & ex hoc prototypo versionem adornasse latinam *Hieronymum*, interprete Judæo, qui, utriusque linguæ peritissimus, chaldaicum expresserit verbis hebræis, & Hieronymus, accito notario, sermonibus exposuerit latinis, idque unius diei labore perfecerit [*f*].

## §. II.

Cum autem chaldaicum exemplar nullibi ab eo tempore extiterit amplius, Judæi etiam Tobiæ librum *Esdræ* temporibus ignoraverint, & nedum hodie inter canonicos admittant, *optima* vero *græca exemplaria* maximam originalis textus speciem præ se ferant, & à variæ religioni christianæ addictis pro tali vel habeantur, vel saltem in consortium cum latinis & hebræis exemplaribus trahantur; placuit nobis pro fundamento ponere *græcam Tobiæ editionem*, quam *à Drusio* publicatam typis denuo mandavit, suaque versione illustra-

[*c*] II. Regum. c. 17.

[*d*] Sic vocatur II. Reg. c. 17. & in editione hebræa: in græca vero Enemessarus. An duplex nomen habuerit? Aut num corrupta fuerint vulgata exemplaria? nihil temere statuendum esse monet Drusius.

[*e*] Historiam Tobiæ nec à solo patre, nec filio, sed ab aliis scriptam & absolutam esse, ipsa biographiæ illorum phænomena testantur.

[*f*] Hieronymus ipse hæc refert in præfat. ad Chromat. & Heliodorum, quanta vero cum ἀκριβείᾳ hoc fieri potuerit, quantaque fides huic latinæ versioni, aliisque huic superextructis sit habenda? ipsa res, factumque loquuntur.

luſtravit latina *Fabricius*. [*g*] Reputat vero idem celeber. vir, in præfat. p. 4. longe veroſimilius eſſe, Tobiæ librum græce effictum fuiſſe à quodam Helleniſta poſt Hieroſolymam à Romanis everſam, annum circiter à nato Chriſto centeſimum.

Chronologica hæc ideo nobis videbantur attendenda, quod vox λεύκωμα, qua denotatur ocularius Tobiæ morbus, haud occurrit in *Hippocratis* Coi noſtri, ſed *Plinii* tantum, *Galeni*, & qui poſt eum vixerunt medicorum libris. Magnus vero *Hippocrates* noſter vixit tempore belli Peloponeſiaci annis mundi 3500. circa medium & finem ſeculi, ideoque poſt illam populi Iſraëlitici captivitatem, atque prætenſam Tobiæ ætatem, tribus fere ſeculis. Jam nec Cicero noſter medicorum, *Cornel. Celſus*, qui ſub initium primi à Chriſto nato ſeculi floruit, in ſuis de re medica VIII. libris ullam nec leucomatis nec albuginis facit mentionem, quamvis l. VI. c. 6. de reliquis oculorum affectibus copioſe agat, eorumdemque græca nomina utplurimum ſtudioſe recenſeat, vel latinis exprimat vocabulis atque deſcriptionibus. Ejuſdem tamen primi ſeculi author ſub Imperat. Veſpaſiano celebris, *C. Plinius ſecundus* [*h*] diſertam plurimis in locis facit mentionem albuginis, in conſortio nubecularum, cicatricum, argematis corneæ, dum horum affectuum allegat remedia. Græci v. vocabuli λευκώμαλος, nullum in hoc authore veſtigium deprehendimus, quamvis nulli dubitemus, ipſi albuginem eſſe, quod Græcis λεύκωμα. *Claudius* vero *Galenus*, Pergamenus, finem ſecundi, à Chriſto nato, ſeculi, ſub *Marc. Antonino* atque *Commodo* illuſtrans, paſſim expreſſis verbis glaucomata in ſcenam producit, [*i*] inter affectus oculi & corneæ quidem ejuſdem tunicæ. Plinium atque Galenum ſecuti poſtea *Græci*, *Latini*, *Arabes*, omniumque nationum medici frequenter meminerunt glaucomatis, ſeu albuginis, in hæc uſque noſtra tempora.

## §. III.

Itaque cum veroſimile non ſit, Hippocratem, Celſumque glaucomatis obnoxios fuiſſe, ſi, adeo notabilis affectus, ſingularis hæc appellatio græca viguiſſet; ex hac etiam terminorum medicorum chronologia arguere fas eſt, editionem Tobiæ græcam, quam tamen authenticam, originalem haberi ſupra §. 2. diximus, tantam non obtinere ætatem, quantam ipſe textus Tobiæ innuit, ſed ipſum nati Salvatoris noſtri ſeculum vix attingere, minimum haud ſuperare. *Hieronymi* pariter, an. reparat. per Chriſtum ſalutis noſtræ 329. demum nati, nec verſio Tobiæ latina, nec exemplar quod allegat chaldaicum,

[*g*] Jo. Alb. Fabricii liber Tobiæ, Judith, oratio Manaſſe &c. 8vo. Francof. & Lipſ. 1691.

[*h*] C. Plinius ſecundus hiſtor. mundi paſſim, in uno autem C. 6. L. XXIX. multoties albuginis injicit mentionem.

[*i*] Cl. Galenus de ſimpl. med. facult. De medicamentis euporiſtis. De compoſit. med. ſec. loc. &c.

daicum, nec hebrææ editiones quicquam probant ad majorem hujus libri vetuſtatem, multo minus vulgata latina, ſive ab Hieronymo à potiori ſit è textu originali reddita, ſive ante, ſive poſt illum. Idque tanto magis, quod vulgata & hebræa editio nihil de leucomatibus, ſ. albuginibus, ſed nomen genericum ſaltem, maculas, allegent.

## §. IV.

Ipſe *textus*, quantum λευκώματα horumque generationem atque curationem ſpectat, in *græca Druſiana editione*, cum Fabricii latina verſione *ſic* habet.

Tobiæ.

C. 2. v. 9. & 10. Καὶ ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἀνέλυσα θάψας, καὶ ἐκοιμήθην μεμιαμμένος παρὰ τὸν τοῖχον τῆς αὐλῆς, καὶ τὸ πρόσωπόν μου ἀκάλυπτον ἦν, καὶ οὐκ ἤδειν ὅτι στρουθία ἐν τῷ τοίχῳ ἐστί.

Καὶ τῶν ὀφθαλμῶν μου ἀνεωγότων, ἀφῴδευσαν τὰ στρουθία θερμὸν εἰς τοὺς ὀφθαλμούς μου, καὶ ἐπορεύθην πρὸς ἰατρούς, καὶ οὐκ ὠφέλησάν με.

C. 6. v. 2. Τὸ δὲ παιδάριον καταβῆ, περικλύσασθαι, καὶ ἀνεπήδησεν ἰχθὺς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, καὶ ἐβουλήθη καταπιεῖν τὸ παιδάριον.

v. 8. Ἡ δὲ χολή, ἔγχρισαι ἄνθρωπον, ὃς ἔχει λευκώματα ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ ἰαθήσεται.

C. 11. v. 7. Σὺ οὖν ἔγχρισον τὴν χολὴν εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ δηχθεὶς διατρίψει, καὶ ἀποβαλεῖται τὰ λευκώματα, καὶ ὀψεταί σε.

v. 10. Ὁ δὲ υἱὸς αὐτοῦ προσέδραμεν αὐτῷ, καὶ ἐπελάβετο τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.

v. 11. Καὶ προσέπασε τὴν χολὴν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, λέγων· θάρσει πάτερ.

v. 12. Ὡς δὲ συνεδήχθησαν, διέτριψε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐλε-

Et in eadem nocte poſtquam ſepeliſſem, redii, & ita pollutus ad parietem atrii obdormivi. Neque facies mea obtecta erat, neque enim aviculas in muro eſſe ſciebam.

Et oculis meis apertis aviculæ calidum ſtercus in oculos meos excreverunt, & natæ ſunt albugines in oculis meis, & medicos adii, nec me juverunt.

Tobias autem deſcendit (in fluvium ſcil. Tigrim) ut abluereturſ, & piſcis de fluvio exiliit, devoraturus Tobiam.

Felle vero inunge hominem, cui ſunt albugines in oculis, & ſanabitur.

Tu itaque inunge felle iſto oculos ejus, tum ille vellicatus deteret, & abjiciet albugines, & videre te poterit.

At filius ejus accurrit ad eum, & prehendit ſuum patrem.

Et fel illud in oculos ejus adſperſit, dicens: bono animo eſto, pater.

Cum vero oculi à felle compungerentur, Tobitus ſuffricuit oculos ſuos, &

ἐλεπίσθη ἀπὸ τῶν κανθῶν τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ τὰ λευκώματα.

os, & de hirquis ſive angulis oculorum ejus deſquamatæ ſunt albugines.

v. 14. - - Ἰδοὺ βλέπω Τωβίαν τὸν υἱόν μου.

Ecce iterum videre poſſum Tobiam filium meum.

Ubi ab hac lectione græca recedant, hebræa atque latina, nunc ſtatim indigitabimus in ipſa, quam ſubjiciemus, analyſi phyſico-medica.

## §. V.

In hiſtoria *Tobias* ubique, in omnibus lectionibus, introducitur tanquam à ſepultura conterraneorum, occiſorum, non æque *laſſus*, ac *impurus* juxta legem moſaicam, à contrectatione hominis mortui, domum, antequam lavaretur, ingredi non auſus: qui ergo *ad parietem atrii*, *in ſcamno* quodam recubans, *obdormiverit*, & *facie* quidem *nullo obtecta velo*, quale, majoris ſecuritatis ergo, ad illapſum pulveris, inſectorum atque ſimilium heterogeneorum præcavendum, illis maxime neceſſarium videtur, qui conniventibus & hiantibus dormire conſueverunt palpebris, in illo affectu, quem *lagophthalmum*, ſ. oculum leporinum vocant ideo, quod lepores ſemiapertis oculis ſomnum capere ſoleant. Unde & illo ipſo hiſtoriæ phænomeno, quo Tobias *facie non operta* ſomnum iniiſſe, ipſumque ſtercus *apertis incidiſſe* ejus *oculis*, dicitur, aliqua præbetur anſa *ſuſpicioni*, *hunc tali laboraſſe lagophthalmo*, aliquibus à nativitate familiari, aliis è mutilatione palpebræ ſuperioris, vel aliunde. Certe, *niſi ſupponatur* optimus ſenex *tum apertos*, palpebris haud clauſos *habuiſſe oculos*, nulla plane fuiſſet illapſi ſuper palpebras ſtercoris avicularum efficacia, ad producenda ſeu leucomata, ſ. maculas in oculo, ſive determinate in ejus tunica cornea, atque ſic *tota hiſtoriæ* hujus *ſtructura corrueret* uno ictu: *niſi* quidem, ſicut aliqua legunt exemplaria, [*k*] Tobias *è ſomno expergiſcens oculos ad videndum aperuerit*, atque ſic avicularum excrementa ipſius oculis tum illapſa fuerint. *Alium modum*, quo ſtercus avicularum ſe intra oculum inſinuaverit, quamvis oculis clauſis dormiverit *Tobias*, fingit *Calmet*: [*l*] nempe ſimum hunc humeris illapſum (étant tombée ſur les épaules, fortaſſis dicere voluit: ſur les paupieres, ſuper palpebras,) defluxiſſe intra oculos per canthos ſ. angulos eorum, cum oculos aperuerit Tobias, atque admota manu, uti ſtatim ſolemus, intruſiſſe intro, quod extus reſtiterat. Sed quomodo feces hæ ab humeris in angulos oculorum depluerint, non patet, niſi error ſubſit, ut loco, les épaules, ponendum ſit: les paupieres. Neque tamen hoc caſu excrementum incidiſſet actu calidum in oculos, cum tamen *Calmetus* ad majorem illius acrimoniæ cauſticæ intenſionem ſupponat ſimul calorem ejuſdem notabilem & exurentem quaſi.



[*k*] Ita habet tractatus talmudicus à Jo. Leuſdenio in 4to editus Ultrajecti an. 1665.
[*l*] Calmet in commentar. ad biblia, lingua gallica editis ſplendidiſſ. in folio.

## §. VI.

Sed *alii* ſuperſunt *difficultatum nodi.* Garrulas *an vere neſcivit illas aviculas* ſenex *Tobias*, non hac demum veſpera parietibus atque trabibus atrii propriarum ſuarum ædium innidulantes? *An prætervidit toties* præteriens harum nidum? Anne *ſupinus*, ſcamno incubuit? Quod omnino ſupponendum eſt; ſi enim alterutri incubuit lateri, in illum certe oculum, qui ſcamno proximus fuit, ſtercus avicularum illabi non potuit. *Avicularum*, *in plurali*, *ſtercus* aſſeritur incidiſſe oculis Tobiæ. Experientia quidem docet, & parentes & pullos podice extra nidum exporrecto alvum exonerare: aſt duæne, pluresve ſimul, eodem momento id egerunt? Quod tamen anguſtior nidi porta, ſi hirundines fuiſſe ſupponantur illæ aviculæ, vetat. Si aliam avicularum ſpeciem arguamus, nidumque harum ſuperne totum patulum, atque ſic pluribus aviculis, una alvum evacuaturis, aptum; caſum plane ſingularem fingere oportet, ſtercora nempe exilia, cylindrica utplurimum, in oculos directe, tres pollices à ſe invicem diſtantes irruiſſe: repetitim namque, per vices, factam hanc commaculationem nec adſtruit textus, nec oculi ſenſibilitas admittit, quæ ab illapſo primum ſtercore non potuit non vel profundiſſime dormientem excitare, & ne ulteriori ſe exponat incommodo, de diſceſſu, vel cautelis adhibendis monere.

## §. VII.

*Quale genus avicularum* fuerit, neque hebræum, neque græcum vocabulum determinat. *Paſſeres*, *paſſerculos* denotat quidem, ſed & *in genere minores*, libere ac familiariter in ædibus nidificantes, *aviculas.* Unde *Hieronymus*, & maxima commentatorum pars vertunt per *hirundines.* Harum ſtercus, ut omnium avium, particulis abundare ſalinis ammoniacalibus, acriuſculis, roſivis, hirundinum vero, inſectis veſci ac victitare ſuetarum, aliquanto eſſe acrius, operoſa non indiget demonſtratione. In græco quidem textu deeſt per ellipſin ſubſtantivum, ſuo adjectivo, τῷ θερμῷ reſpondens. Facile vero liquet, ſubaudiendum eſſe ἀφόδον, excrementum, idque alvinum [*m*].

*Neque* hic *occultas* comminiſci *qualitates*, oculis ſingulariter infeſtas, oportet, quin immo ipſum hoc ſtercus hirundinis non minus ac alia, turturis e. g. columbarum, lacertarum ab antiquiſſimis medicis, ad extergendas oculorum maculas, in collyriis adhibita, pro remedio potuiſſet inſervire, debite præparatum, tritum, dilutum, ut recte jam olim annotavit *Valleſius* [*n*]. Accedit, quod *calidum* incidiſſe hunc fimum & textus aſſerat, & ipſa rei ac hiſtoriæ neceſſitas atque nexus confirment. Τὸ θερμὸν, calidum, in poſitivo, non præciſe notabilem magnumque involvit calorem, ſed & teporem innuit.

[*m*] Pythagoræ ſymbolum in ſenſu politico ſumptum: hirundines ſub eodem tecto ne habeas! i. e. cave à garrulis ſuſurronibus! hic etiam valet in ſenſu medico.

[*n*] Franciſc. Valleſius de ſacra philoſophia. 8vo. Francof. 1667. c. 42. p. 266.

innuit. Et gratis profecto, ac falsissime hæc avicularum excrementa statuerentur, vel fervida, vel eminenter calida. Sed & ipse modicus calor, non quidem qua talis, sed quatenus particulas excrementi ad majorem activitatem, corneam vero oculi tunicam ad faciliorem disposuit receptivitatem, intensive cum causa morbifica conspiravit.

## §. VIII.

*Effectus* jam examinandus est, *quem illapsa* hæc oculis *excrementa*, *producere* potuerunt, actuque produxerunt. Albugines, seu λευκώματα, hinc natas græcus refert textus: hebræus atque vulgata vel maculas albas, vel simpliciter excæcationem subsecutas, sine effectus determinatione, statuunt. *Eventum* nobis *sic imaginamur*, non è fœcundo phantasiæ lusu, sed justis è rationibus physico-medicis: fimus in oculos Tobiæ illapsus, acris, calidus, heterogeneus, è particulis inæqualibus, solidis, angulosis, asperulis constans, irritatione facta, stimulo, spinaque quasi infixis in delicatas, sensibilesque oculi tunicas è somno expergefecit Tobiam, palpebras confestim ad se invicem adducere, oculosque operire non modo, sed &, quod tantum non semper fieri solet, post illapsa quæcumque in oculos heterogenea irritantia, manibus confricare palpebras, bulbosque oculorum coëgit, unde gravius ac altius magis magisque stercora fuerunt corneæ impressa atque affricta, & probabiliter non statim ipsa macula albida, sed ophthalmia i. e. inflammatio tunicæ conjunctivæ, s. albi oculorum, & corneæ tunicæ, pellucidæ illius, quæ centrum hemisphærii anterioris in oculo exornat, erosio, & exulceratio, hinc maculæ albæ, harumque species, λευκώματα, s. albugines successive originem duxere suam. [o] Visum tamen hinc è vestigio notabiliter turbari, indistinctum, dolorificum fieri, &, quo labes medium corneæ, oppositum pupillæ, vel totam corneæ substantiam magis penetravit, atque per menses annosque inveteravit, eo magis imminui & tandem aboleri visum oportuit, non absoluta quidem & immedicabili cœcitate, sed tali, quæ restituto in naturalem statum organo externo, restituendi quoque visus reliquerat spem, [p] licet ita cœcus fuerit Tobias, ut oculum in manu gerere & hodego uti, debuerit, &, cum redeunti ex itinere filio obviam iturus properaret, ad circumposita impingeret impedimenta, filiumque jam præsentem videre non posset, ante curationem, per fel piscis dehinc instillatum, susceptam.

## §. IX.

*Morbus* ergo *Tobiæ ocularius vel in genere* per maculam albam definitur,



[o] Manum hic contrahimus in pugnum. Haud enim diu est, quod in disp. de corneæ ulceribus & maculis prolixiorem hanc ætiologiam tradidimus, ipsius etiam maxime leucomatis.

[p] Sic vulgo pueri dicuntur cœci, quibus à variolis conglutinatæ sunt palpebræ aliquandiu.

*vel in ſpecie* per leucoma, ſ. albuginem. Per maculas in oculis natas, albas, intelligitur, utriuſque oculi corneæ tunicæ naturaliter pellucidæ, atque cornu, vel corneam tenuem lamellam pelluciditate referentis inductus color albus, non diaphanus, plus minus diffuſus, aliquam plus minus ſuperficiei corneæ regionem obfuſcans, ſic maculam efficiens, per quam radii viſorii plane nequeunt trajicere, vel certe non ſine impedimento viſus. *Leucoma* vero ſ. albuginem nuper [*q*] *definivimus*, quod ſit macula corneæ alba, lævis, ſpiſſior denſiorve, vel in ejus medio, vel tota ſuperficie convexa, utplurimum cum aliqua eminentia, aliquando ſine hac, coloris albo-cretacei, aliquando cum levi quadam inflammatione, ſæpius ſine hac, radios luminis intercipiens, ut nullus, vel exiguus ſaltem luminis ſenſus ſuperſit. Quamvis autem dolendæ authorum confuſioni & æquivocationi uti circa affectus ocularios in genere, ſic circa denominationes atque ſpecies macularum corneæ, nuper jam publice cum aliis ingemuerimus cordatis medicis; ſperamus tamen noſtris lucubrationibus haſce nebulas aliquantum diſcuſſas eſſe, atque diſtinctionem non modo argematis [*r*] ab albugine, quos differentes affectus peſſime confundunt aliqui, ſed & differentias macularum corneæ inter ſe adduxiſſe ſedulo.

Patet hinc, ab omnibus commentatoribus hæc vel leucomata, vel maculas in genere, ab alterutro textu Tobiano memoratas, *non recte verti* nec *per pelliculas*, *Felle*, *Häutlein*, nec per *cataractas*, *Staaren*, licet & ipſe hic hallucinatus ſit ophthalmiater ille, in Germania olim haud incelebris, *Bartiſch*, [*s*] morbum Tobiæ ocularium, ad cataractæ claſſem referens. Vulgo, aliiſque, qui medici non ſunt, ignoſcendum eſt, quod abuſive varia oculorum vitia, cataractarum, reſpectu albedinis, aliquatenus æmula vocitent cataractas, uti *plebs Gallica*, teſte *Woolhouſio*, *cataractam* appellat *externam*, certam macularum corneæ ſpeciem, quam ægidem, αἰγίδα, vocant. Nimirum pelliculæ, pterygia, ſunt membranæ p. n. les extus adnatæ & corneæ adhæreſcentes, eminentes, mobileſque: cataracta vero morbus profundius in oculo, poſt pupillam in camera oculi ſecunda obvius, ſedemque figens, & per corneam, naturaliſſime ſe habentem, inſpicienti tranſparens.

## §. X.

Itaque, quod textum ſpectat, *morbus ſpecificus Tobiæ* ocularius in propatulo eſt: *macula alba*, *vel leucoma*. *Neque* tamen adhuc *res eſt in ſalvo*. Non levem, non ſuperficiariam, non exilem atque partialem quamdam fuiſſe maculam, vel ſolum amiſſi viſus, cœcitatis, phænomenon teſtatur: medici etiam, quos conſuluiſſe prætendit Tobias, hunc juvare non potuerunt. *Quomodo* igitur tantam atque *inſtantaneam opem* tulit fel piſcis abs filio inunctum?

[*q*] Præſidis diſp. de maculis corneæ §. 3. p. 15.
[*r*] --- --- --- eadem: it. de corneæ ulceribus. & de ungue oculi.
[*s*] Georg. Bartiſch, *Augendienſt*. p. 65.

tum? Quid ſibi vult illa leucomatum deſquamatio ſ. decorticatio? C. XI. v. 12. Leucomatum certe curatio nec tam ſubito & facile, ut vulpes pyrum comeſt, procedere, nec per modum deſquamationis fieri ſolet ordinario, ſed ſucceſſive per inſenſibilem diſſipationem, reſolutionem humoris intra poros corneæ ſtagnantis, vel per attritionem lamellarum, attenuationem, lentiſſimamque tunc ac inſenſibilem quaſi exfoliationem. Immo ſi vel non adeo profundam, uti leucoma eſt, maculam ſupponamus, neque illa tam ſubito & plene poteſt abſtergi atque tolli, multo minus decorticari.

## §. XI.

Quam ob rem *Tobiæ* hæc *putatitia leucomata* ad illam potius macularum corneæ ſpeciem, referenda videri poſſent, quæ græcis audit παράλαμψις, macula, cicatrix reſplendens, nonnullis margarita oculi, ob relucentem quaſi unionis album colorem, Gallis le grand nuage, quæque floccum nivis aliquando æmulatur: cum nempe è craſſo ac viſcoſo humore indurato, in ſuperficie ac poris corneæ magis magiſque congeſto pellicula concreſcit, cui induratæ aliæ ex aliis ſupercreſcunt lamellæ, inſtar ſtratorum ſuper ſtratis, quæ à motu palpebrarum, ſuperioris maxime, lævigantur, magiſque conſtringuntur: tales igitur pelliculæ p. n. les ab acri felle inuncto, motuque frictionis, omnino potuerunt inſtar ſquamarum decorticari. *Ad paralampſes* itaque *potius*, *quam ad leucomata hæ maculæ Tobiæ reſtringi* poſſent, niſi *nova* & huic ſuſpicioni ſe *difficultas* opponeret, ex ipſo fellis appliciti ac curationis eventu promanans. Tob. namque C. XI. v. 12. dicitur quod leucomata hæc ab angulis oculorum, qui Græcis κανθοὶ, Latinis hirqui vocantur, fuerint deſquamata. Atque ſic morbus hic non ſolam obſediſſe corneam, ut leucomata ſolent, ſed angulis etiam oculorum inhæſiſſe videtur, morbuſque à leucomate diverſus, vel ſaltem cum hoc complicatus fuiſſe arguitur.

Sed *nihil* nos *moratur hæc difficultas*. Ordinarius enim iſte in angulis patentior atque declivis eſt exitus impuritatum omnium, quæ inter palpebras ac oculi bulbum agitantur. Nec ſequitur, ſi leucomata ultimato de angulis ſeceſſerunt deſquamata, poſtquam ſcil. oculos, ab inunctione fellis aliquandiu clauſos, iterum aperuit cœcus Tobias, ergo affixa fuerunt antea & adhæſerunt ipſis oculorum angulis.

## §. XII.

In hoc *cœcitatis ſtatu* caligavit bonus Tobias, juxta vulgatam, c. 14. v. 3. *quatuor annis*, juxta græcum textum integris *octo annis*, periodo utrinque ſatis moleſta & momentoſa, reſpectu miſerandæ cœcitatis & ingraveſcentis morbi. Leucomata enim, aliæque cicatrices & maculæ corneæ, quo diutius perſiſtunt, quo in ætatem cadunt adultiorem, ipſumque ſenium, eo majorem important curationis vel difficultatem, vel impoſſibilitatem. *Fruſtra*, ſine ſucceſſu intento, *adhibiti* ſunt *medici*. Sit ita. Nihil opus eſt, hic fictitiam

titiam redarguere historiam, non possumus hoc opprobrium, si quod est, semper declinare. Lapis allisionis subinde est in ipso gravi morbo insuperabili: alias in ægro negligente, refractario, licentioso, aut adstantibus, amicis, famulantibus, intempestive sedulis, moleste & periculose officiosis, nasutulis: sed & aliquando in ipso ignorante, torpido, imprudente, temerario, nimis timido, ebrio medico. Profecto & nostra ætate optandum est, ut singulare ac difficillimum ophthalmiatriæ studium plurimi melius excolant medici. Turpe medico quis duxerit, à Raphaele angelo superari. Licet hic ipse non adhibuerit nisi naturale remedium, fel piscis? Consentiunt enim plerique authores, [t] ipsi etiam romano-catholici, remedium quidem naturale, sed curationem tamen vel inde miraculosam fuisse, quod medicamentum hoc ophthalmicum ab angelo primum sit revelatum (de quo jam non disputabimus) & energiam suam intra tam breve tempus, unius dimidiæ horæ, tam plene & feliciter demonstraverit.

Sub incudem ergo vocabimus *remedium* hoc, *modum* & *eventum curationis*. *Fel* fuit piscis è rapido & ingenti flumine Tigri. An *callionymi*, *siluri*, [u] an *Hippopotami*, quem suspicatur *Grotius*? An *vituli marini* juxta *Bardum*? An *lamiæ*, piscis, quem ob amplum rictum, majorem Tobiæ filio metum incutientem huc quadrare putat Th. *Bartholinus*? An *alius majoris* cujusdam rapacis fuerit *piscis*, parum interesse censemus? Neque tamen ideo necesse videtur, tam immanem grandemque fingere piscem, cui apprehendendo & in terram extrahendo vegetus, angelique hortatu obfirmatus non sufficerit adolescens, græcus textus simpliciter habet: ἰχθὺς, piscis. In *magna* illa, miraculosa quidem, *piscium captura Petri*, [x] mentio fit ἰχθύων μεγάλων, numero centum quinquaginta trium, uno rete contentorum, & in terram à Sancto Petro protractorum, citra retis lacerationem. Fundulum profecto, aut carpionem, similemque exiguum non fuisse piscem, totus edocet historiæ contextus. Abundet ergo per nos prædicatum magni, quod vulgata, Hebræa, Italica &c. servant editiones. Nostrum non est litem dirimere illam: an angelus atque Tobias piscem hunc assatum comederint totum, an vero tantam ex illo saltem portionem, quæ uni sufficerit cœnæ, reliquum vel abjicientes, vel pro ulteriori servantes viatico. Cum *Milone Crotoniensi* voracitate certaturos fuisse non somniabimus.

## §. XIII.

*Fel* duplex est: *hepaticum*, quod ex hepate per poros biliarios in ductum

[t] Lyranus, Dion. Serar. Sanchez. Vallesius. Cornel. à lapide, Drusius, Calmet. Placet nobis Calmeti judicium: posse quemlibet hic suo abundare sensu.

[u] Quod plerique statuunt, vid. modo recensitos autores.

[x] Joan. XXI, 11.

tum hepaticum, & in aliquibus animalibus recta, [y] uno ſimplici ductu, inteſtino infunditur duodeno, citra bilis è fellea veſicula, qua ſcil. carent, admixtionem; in aliis vero pleriſque media via recipit adfluentem è cyſtide fellea peculiarem ejus ductum, cyſticum dictum, aliam adhuc bilem: *cyſticum*, quod peculiari aſſervatur veſicula, hepati annexa. Ut *colore & conſiſtentia* differt duplex hæc bilis, ita etiam *acrimonia* & *amaritie*, quales fel cyſticum multo habet extantiores. Facile potuit junior Tobias *fel integrum reponere*, quod juſſerat Angelus c. VI. 4. nimirum exempto toto hepate, & poſtquam hepar in alios uſus converterat c. VIII. 2. bilem nihilominus, veſicula ſua naturali concluſam, ligato ductu cyſtico, integram ſervare ac ſecum ſine incommodo portare, immo & citra metum corruptionis in climate licet & tempeſtate calidis, tantum abeſt, ut, facta omnino nonnullarum tenuiorum, aquearum tranſpirantium particularum jactura, reliquum fellis tanto ſit factum acrius, & ad præfixum ſcopum aptius.

## §. XIV.

*Fellis* in genere *virtutem medicam* operoſe nolumus hic adſtruere. Labore hoc levarunt nos antiquiſſimi pariter ac recentiores phyſiologi ac medici. *Cyſtica* vero maxime *bilis abundat principiis ſalino-alcalinis* atque *ſulphureis* inciſivis, abſterſivis, mundificativis, ad abſtergendas corneæ maculas apprime facientibus. In ſpecie vero animalium calidorum, rapacium, carnivororum fella majorem obtinere acrimoniam, haud negamus. Ad varios oculorum affectus externos rectius, quam ad internos, ſpecialiſſime cerborum animalium fella commendarunt jam olim medici: & piſcis quidem *callionymi* ſ. uranoſcopi, fel, *Plinius*, *Galenus*, *P. Ægineta*, *Rhaſes*, [z] *teſtudinis marinæ* ad humorum ſuffuſiones *Galenus*. [a] Idem *vulturis* cum marrubii ſucco & melle attico ad viſus obſcuritatem. [b] Idem porro *hirci*, *canis marini*, *Galli*, *Leonis*, contra albugines. [c] Plura cumulare nolumus exempla. Quemadmodum ergo bilis cyſtica in aliis vehementer, in aliis mediocriter amara & mordax ad ipſa etiam varia corporis ulcera detergenda, imo, in uſu œconomico, emaculandi & abſtergendi ſcopo ſolet adhibe-

[y] e. g. in cervo. Unde venatores lapidem jurant jovem, cervum felle deſtitutum eſſe, quoniam veſicula fellea caret; ſed tamen non deſtituitur felle hepatico, quod per ductum hepaticum & choledochum inſtillatur duodeno.

[z] Plinius ſecundus, hiſt. mund. L. XXXII. c. 7.

Galenus de ſimpl. med. facult. L. X. ubi multorum animalium fella recenſet, & viribus diſtinguit.

Paulus Ægineta encheirid. L. VII. p. m. 637. tit. chole ſ. fel.

Rhaſis L. IX. c. 27.

[a] Galen. de ſimpl. med. fac. L. X. tit. chole ſ. fel.

[b] -- id. de remed. paratu facil. p. m. 156. b.

[c] -- id. ibid. & de remed. fac. parab. ad Solon. c. 12.

hiberi; ſic & in illis oculorum affectibus, qui ſimilem ſibi vindicant indicationem. Aliquando *fel dilutum* aliquo ſucco, aqua, ut acrimonia temperaretur, adhibuerunt: hic *merum*, ſibi relictum, *applicuit Tobias.*

## §. XV.

*Liquidorum* ejuſmodi *collyriorum applicatio* varia eſt, *per inſtillationem*, *affuſionem*, *balneationem*, *illinitionem*, intincto digito, ſatius autem penicillo, impoſitionem collyrio impregnati linteoli, vel imbutæ tenuiſſimæ bracteatorum auri veſicæ, &c. & ægris quidem jacentibus ſupinis, palpebris ſtatim abhinc clauſis, ut ne medicamentum juſto citius oculis iterum effluat. In hiſtoria curationis Tobiæ, cap. VI. v. 8. c. XI. v. 7. occurrit verbum ἐγχρίω, *inungo*, illino; aſt c. XI. v. 11. προσέπασε, *adſperſit*, bilem filius in oculos patris. Latina *Hieronymi* verſio ponit: *lenivit* oculos patris ſui. *Calmet* reddit hoc: *frotta les yeux* de ſon pere, *fricuit.* Dubium itaque manet, *an Tobias filius* ſimpliciter *inſtillaverit*, *vel adſperſerit*, *vel affricuerit* fel piſcis in oculos patris? Vulgata præmittit hanc circumſtantiam, quod, poſtquam adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederint. Probabile ſcil. omnino eſt, *ſedenti* potius *cæco parenti*, quam ſtanti, fel applicuiſſe filium, tum, ut copioſius, rectius atque commodius adhiberi, tum ut melius retineri poſſet. Pauciſſimi ſunt C. *Marii*, qui ſibi ſtantes patiantur extrahi varices! *patientiam* atque *ſpem inſpiravit* ophthalmiater *filius*: Θάρσει; inquit ὦ πάτερ, bono animo eſto. Græcus noſter textus non addit, *quamdiu toleraverit fellis efficaciam* & mordacitatem: vulgata per *dimidiam* fere *horam* ſuſtinuiſſe refert. Certe *longum non* fuiſſe intervallum arguunt verba ſequentis verſiculi duodecimi, ubi dicitur: cum vero oculi à felle compungerentur, morſicarentur, (id quod ſtatim, vel brevi poſt applicationem evenit procul dubio, ſi non in ipſa ſpiſſiore ac in inſenſibiliore macula, tamen in tunica conjunctiva oculi & palpebrarum.) Tobias ſuffricuit oculos ſuos -- & deſquamatæ ſunt albugines.

## §. XVI.

*Fellis* hic fuit *effectus*, ut compunxerit oculos, Tobias ſuffricuerit eos & de hirquis ſ. angulis oculorum ejus deſquamatæ ſint albugines. Vulgata ſic habet: & cœpit albugo ex oculis ejus, quaſi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, ſtatimque viſum recepit. *Modum ſic* concipimus: acre, ſtimulans, rodenſque fel (§. 14.) ipſam quidem craſſam & inſenſibilem quaſi maculam moleſto dolore non multum affecit, ſed tunicam tamen oculi & palpebrarum conjunctivam, & tarſos palpebrarum & carunculam lachrymalem, notabili commorſione ſtimulavit, ægrumque ad frictionem invitavit, ut fieri ſolet in omni irritatione, ab illapſis oculo. Prolexit idem ſtimulus copioſiorem ſeri lachrymalis afflu-

xum,

xum, quo fellis quidem acrimonia nonnihil temperata & diluta fuit, attamen ſatis adhuc valida perſtitit ad incidendum, attenuandum, ſeparandum maculæ hujus pelliculoſum craſſamentum, ſeu cortices ex humore craſſo concretos. Juvit egregie fellis energiam juncta frictio, ſuffrictio, ad ſeceſſum cogens humectatas arroſaſque pelliculas; quæ ergo tum verſus oculi angulos, majores probabiliter, ſ. internos, quorſum aliæ quiſquiliæ oculo exiturientes concedunt, delapſæ ac divergentes, palpebris diductis, apertis oculis ſive deciderunt, ſive extractæ ſunt, an ab ipſo patre, an filio, dubium, quod vero nihil importat.

## §. XVII.

Majoris vero momenti eſt, & *altioris indaginis* non modo *ſubitanea* quaſi, vel paucis certe minutis accidiſſe prætenſa *deſquamatio*, ſed etiam *viſus reſtitutio*, eaque, ut videtur, *in integrum*. De intervallo fellis appliciti, & curationis abſolutæ ſupra diximus §. 15. Conſpirant verba vulgatæ: C. XI. v. 15. Statimque viſum recepit. Viſus reſtitutionem teſtantur Tob. C. XI. v. 13. ubi ἰδὼν τὸν υἱόν, videns, cœcus antea Tobias prædicatur, & v. 14. præmiſſa humili piaque panegyri exclamat: ἰδὲ βλέπω Τωβίαν τὸν υἱόν μου. Ecce video filium meum. C. XII. v. 3. Ubi Tobias filius inter beneficia ab angelo profecta, refert, quod patrem ſanaverit, ut græcus in genere loquitur textus, vulgata vero: lumen cœli videre fecerit. C. XIV. 3. in græco & vulgata viſum recepiſſe, repetitur, imo, juxta vulgatam C. XII. v. 14. miſſum ſe à Deo profitetur angelus, ut curaret Tobiam, nimirum à cœcitate. Quamvis autem ad videndum lumen cœli, & adſpiciendum hominem viſus etiam ſufficiat non omnino perfectus, facile tamen largimur, plenam, radicalem perfectamque fuiſſe curam ex angeli conſilio præſtitam.

## §. XVIII

Sed liceat, abſque contradicendi ſtudio, vel impietatis opprobrio, *ſcepticum* tantiſper *agere medicum*. [*d*] Supra §. 16. jam prælibavimus quædam. Supponimus autem cum tantum non univerſo commentatorum agmine, medium, modumque curationis naturales fuiſſe, phyſico-medicos, quamvis ſingulari Dei gratia exaltata fellis efficacia fuerit. Jam vero *aut macula*, (ſ. leucoma, ſ. paralampſin admittas fuiſſe,) *adhæſit tenaciter* corneæ? *Aut obiter* ſaltem *acrevit*, ipſaſque corneæ lamellas non implicuit, non obſtruxit, non condenſavit? *Si prius*: nec facile, tamque cito ſeparari, nec ita ſecedere & deſquamari potuit, quin excoriationem, hæc vero novam reliquerit maculam. Unde labor curationis in orbem rediiſſet. Nulla autem mentio fit ulterius adhibiti poſt deſquamationem remedii, ſed viſus ſtatim reſtituti, & diu



[*d*] Religionem medicorum ſuſpectam reddiderunt aliqui. Sed legant hi diſſertationem beat. Illuſtris J. J. Bajeri περὶ τῆς τῶν ἰατρῶν εὐσεβείας.

procul dubio uſque ad mortem perſtantis integri. *Si poſterius*; non fuit nec leucoma nec paralampſis; nec, quodcumque ſupponatur vitium, tot annis jugiter inhærere potuit, quin potius motu bulborum oculi & palpebrarum, humidoque lachrymali ſolvente, diluente, abſtergi debuit, & excuti.

## §. XIX.

Ad *verum miraculum* & omnipotentem Dei manum qui recurrere voluerit, grave habet onus probandi, & tollendi tot reliquos *lapides offenſionis*, *morales*, *geographicos*, *chronologicos*, *theologicos*, *auctoritatis* &c. in libro Tobiæ obvios. Noſtrum non eſt, hæc à foro medico aliena vel excutere, vel repetere potius à tot aliis pro & contra ventilata. Sufficit, nos oſtendiſſe, quæ ſint rationes medicæ, Tobiæ hiſtoriam illuſtrantes, &, ne quid diffiteamur, dubiam reddentes. Cætera vero debite venerari, quibus abundat, morales, ethicas, politicas, theologicas, quæ aliunde etiam robur ſuum habent, veritates. Unde vel tandem totam epicriſin his includi verſiculis [*e*] poſſe reputaverit nonnemo:

*Cornea Tobiæ pateat moralibus, ipſi*
*Hiſtoriæ toti ſed porta pateſcat eburna!*

T A N T U M.

[*e*] Alluſio ad ingenioſum Virgilii commentum de duplici ſomniorum porta: cornea, qua exeunt vera: eburna, quæ falſa emittit. Aeneïd. l. VI. p. m. 753.

D E

XIX.

# DE UNGUE OCULI,

*SEU*

PURE INTER LAMELLAS CORNEÆ:

# DISSERTATIO MEDICA.

*QUAM PRÆSIDE*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Defendet*

CAR. FERDIN. BILGER

*ESSLINGENSIS.*

Tubingæ menſe Julii anno 1742.

§. I.

UNguis κατ' ἐξοχὴν dictus quam denotet naturalem corporis partem in vulgus innotuit. Quam varias vero significationes & homonymias subeat græcorum ὄνυξ, latinorum unguis, ob brevitatis studium transmittimus. [a] Inter has præsentis disputationis objectum est, morbus oculi, per metaphoram ὄνυξ, unguis dictus. Quam varia autem sit hujus etiam acceptio atque dolenda *confusio* mox *cum hypopyo*, mox cum *pterygio*, jam nuperrime ingemuimus. [b] Scilicet quod celeberr. *Heisterus* annotat: [c] mirifice in designandis oculorum morbis ac nominibus vel recentiores etiam medicos adhuc dissentire: tam verum est, quam quod verissimum. Igitur ab ovo rem ordiemur, &, quam possunt haberi, antiquissimas aliquot notiones unguis oculi præmittemus, ut constet, quo sensu veteres acceperint illum.

§. II.

Ex *Hippocrate* non habemus, quod huc trahamus: non enim nisi vel communissima unguis, ceu partis in corpore humano naturalis, vel pro unco ferreo, ad fœtum mortuum extrahendum, acceptio in illius scriptis & nobis evolventibus, & diligentissimo Foësio notata est. Author vero medicarum finitionum, quem aliqui *Galenum* prætexunt, ita, sed obscure satis, describit unguem: [d] suppuratio s. unguis (πύωσις ἡ ὄνυξ) est collectio puris in nigro, [e] cum inflammatione secundum iridem ungui consimilis. In isagoge [f] afferuntur tanquam distincti affectus, pterygium, hypopyum, unguis & diapyesis, in medio autem versionis latinæ, quam Joh. Andernacus adornavit, atque revidit Barthol. Sylvanius, pessime τὸ πτερύγιον, in græco textu obvium, per unguem est versum. *Paulus Ægineta* [g] clare ac distincte pronunciat, unguem vocari, cum membrana cornea

[a] Vid. ὄνυχος, unguis, homonymiæ in scapul. lex. græc. & Foësii œconom. Hippocrat. voce ὄνυξ. It. Brunon. lexic. med. voce unguis.

[b] Disp. de hypopyo p. 4. in fine.

[c] Laur. Heisteri chir. lat. cap. 60. de hypop. p. 628.

[d] Finit. med. p. 48. edit. latin.

[e] Κατὰ μέλαν vertit Barthol. Sylvanius Salonens. it. Foësius in nigro, & τὸ πρὸς τῇ ἴριδι, secundum iridem. Quamvis autem fortasse rectius *illud* reddatur: circa nigrum: *hoc* circa vel prope iridem; tamen neque hæc emendatio nodum solvit, ut alibi jam monuimus.

[f] Sive sit Galeni, s. Herodoti fœtus hæc isagoge, cap. 15. de oculor. affect.

[g] Pauli Æginetæ enchirid. l. 3. c. 22. quæ ibid. allegatur ὑπόπυος ὁ κεραλοιδὴς, recte vertitur cornea purulenta à Stephano in vocab. med. exposit. It. à Foësio in œcom. Hippoc. tit. ὄνυξ: male vero ab Alban. Torino &c. vid. not. m. disp. præsidis de Hypop. p. 5.

cornea purulenta efficitur, nunc altius, nunc in ſuperficie, ita ut pus habeat unguis figuram: quæ cauſa ſit, quod hoc etiam malum unguis oculi nominetur.

*Aureliano* [*h*] dicitur ὄνυξ, unguis: in oculi circulo nata macula albida, quæ in unguis ſimilitudinem, naſcentis vel creſcentis lunæ cornibus reſpondens paulatim ſumit augmentum.

*Actuarius* [*i*] totidem verbis repetit Pauli definitionem unguis, quod & alii plurimi ſequentium ſeculorum medici græci, Arabes & Latini fecere, quos omnes allegare ſuperfluum videtur.

*Aëtius* [*k*] paulo accuratius unguem definire cenſetur abs Gorræo in definit. medicis, quando ille ſic habet: ὀνύχια ſive ὄνυχας dici, cum ab ulcere profundiore pus defluere & inter tunicas illapſum ac in circulo iridis figuratum, unguis reſecti imaginem refert; hypopyum vero idem author dicit multo abundare pure & dimidium nigri occupare aut per totam tunicam corneam pellucere. Ideoque πυώσεως duas conſtituit quaſi ſpecies, ὄνυχα & ὑπόπυον, ſic tamen, ut differentiam in ſola unguis ſimilitudine ponat, quæ, ἐν ᾧ ὄνυχι perſpicua, ἐν ᾧ ὑποπύῳ nulla ſit.

An vero puris vel quantitas, vel figura merito duas affectus ſpecies conſtituere ac diverſas denominationes efficere debeat, è principiis tam logicis quam medicis merito dubitatur? Unde nos potius aſſurgimus doctiſſimo illi ophthalmiatro Guillemæo [*l*] qui pyoſin pro genere conſtituit, unguem vero & hypopyon pro ſpeciebus, ſic ut *unguis* vocari debeat atque *definiri*: quod ſit *affectus oculi p. n. lis* conſiſtens *in collectione ac ſtaſi materiæ purulentæ inter lamellas tunicæ corneæ, vel exteriores magis, vel interiores, mox ad circulum corneæ inferiorem, mox ſuperius, mox verſus medium; cum ophthalmia & viſus obnubilatione variiſque aliis ſymptomatibus juncta.*

Quale *pus* ſtagnans *æmulatur figura & colore* modo *unguium* in digitis *reſegmina*, ἀπονυχίσματα: modo *lunulam* illam albidam, in radice unguis humani in digitis obviam, aut alias etiam *lunam cornutam*, maxime quando pus exigua quantitate ad circulum inferiorem corneæ reſidet, inter corneæ tamen lamellas adhuc concluſum.

## §. III.

Hærens inter ultimas corneæ lamellas interiores hocce pus, atque circulo corneæ interno (quem Ætius, ſupra §. 2., circulum iridis vocat) proximum exiſtens imponit facile incautis, ac ſi in ipſa oculi camera anteriore jam eſſet effuſum, unde forſitan quoque *ratio* pendet *confuſionis* inter unguem

[*h*] Coel. Aurelianus acutor. l. 2. c. 35.
[*i*] Actuarius, Zachariæ filius, de method. medend. c. 9. de oculor. vitiis.
[*k*] Aëtius tetrabibl. l. 7.
[*l*] Joh. Guillemeau in tract. de morb. oculor. cap. de hypopyo, quod quidem ultima yllaba male ſcribit per ſimplex i.

guem & hypopyum, à nonnullis veteribus commissæ. Interim quamdiu pus inter corneæ substantiam lamellasque conclusum manet, *unguem* effici, quamprimum vero corneam intro perforat & in primam oculi regionem destillat ac colligitur, *hypopyum* generari, &, si idem in cornea delitescens pus illius lamellas perfodiat vel externas saltem, vel omnes quascumque transversim, sic ut cornea orificio hiet augustiore, per quod in priore casu pus effundatur, in altero ipse etiam humor aqueus eructetur, *fistulam corneæ* constitui, distincte & rectius statuendum videtur.

Crassissimus *error* est meritissimorum cæteroquin authorum, *quod* græcum *Galeni* textum latine reddentes, tot in locis, ubi ille vocabulum, πτερύγιον, posuit, hi *verterint* per vocabulum *unguis*. [*m*] Idem error cecidit etiam in *Celsum* [*n*] dum unguem putavit esse, quod græci pterygium vocant, scil. membranulam nervosam, ab angulo ortam, quæ nonnunquam ad pupillam quoque perveniat, eique officiat &c. nisi quidem, ex Woolhousii mente, error hic rejiciendus sit in Celsi amanuenses & descriptores, qui loco ungulæ, quæ omnino species est pterygii, posuerint unguem. Rectius enim & nomini non modo, sed ipsi etiam rei convenientius appellasset Celsus τὸ πτερύγιον, latine *alulam*. Itaque inepta illorum versio atque Celsi hic qualiscumque error ac authoritas effecerunt procul dubio, ut quamplurimi è recentioribus, imo recentissimis, alioquin præstantissimis atque celeberrimis auctoribus in hæc devia pariter sint lapsi, quos vero neutiquam hic redarguere, sed tædioso saltem labore, in has vocum origines inquirendi, levare, cætera vero scapham appellare scapham voluimus.

## §. IV.

*Unguis* ergo facile distinguitur *ab hypopyo*, quod in hoc pus sit sub cornea, inter hanc & iridem effusum, collectum atque stagnans in fundo regionis primæ oculi, in ungue vero hæreat adhuc in ipsa cornea, plus minus profunde inter hujus tunicæ lamellas, modo inferius, modo in medio, modo superius. A *pterygio* discriminatur evidentissime per hujus definitionem galenicam: [*o*] quod nempe πτερύγια sint germina adnatæ oculis extrinsecus membranæ, quæ ab ipso periostio delata ad coronam perveniat. [*p*] Ab *empyesi* l. *diapyesi* quod in hac pus hæreat in secunda oculi regione,

[*m*] Edit. octav. oper. Galeni, latine redditor. venet. in fol. an. 1609. Exempla malæ versionis præbent hæc loca: de simpl. med. facult. l. 8. titul tithymal. it. l. 11. tit. sepia. it. de different. morb. c. 13. circa med. & finem. it. de Tumor. c. 16.

[*n*] Corn. Celsus de re med. l. 7. c. 7.

[*o*] Galenus de tumor. p. n. cap. ult. it. Isagog. de oculor. affect. c. 15.

[*p*] Pterygium vocarunt olim quoque unguis alicujus in digito pedis manusve carnis incrementum, partem unguis operiens, in pedibus ex offensione, in manibus è neglecta reduvia & post inflammationem in pus mutata. P. Æginet. l. 6. c. 85. it. l. 3. c. 81.

gione, ſ. camera, poſt uveam, cornea vero à pure libera ſit. [q] A *pyoſi* dividitur ut ſpecies à genere; pyoſis enim eſt ſuppuratio, converſio in pus, quælibet, in genere. Hinc author vetuſtiſſimus finitionum medicarum (§. 2.) male, aut inconſiderate, pyoſin pro ſynonymo & æquipollente ὄνυχος, unguis, habuit.

Verum *aliæ* adhuc ſunt *pyoſis ſpecies*, ſ. ſuppurationis in ipſa tunica cornea, quæ unguem propius referunt: nimirum tot ſi non omnino ſpecies, tamen varietates ulcerum, macularum atque cicatricum. Cum vero ſingulorum vel ſola enumeratio nimium nobis hic eriperet ſpatium, itaque brevem dumtaxat *cynoſuram* ſuppeditamus, *unde* diverſa hæc corneæ mala facile *dignoſcantur*: ulcera, maculæ, cicatrices corneæ, ſuperficiem hujus externam tantum non ſemper occupant, cum pus in ungue hæreat ſub extima, imo aliquot exterioribus corneæ lamellis: maculæ etiam & cicatrices, qua tales, ſine doloribus, ophthalmia viſuſque moleſta ſenſatione ac chronicæ ſint, diuque, quin jugiter permaneant, & pelluciditatem in ſuperficie amiſerint, unguis vero moleſtum dolorem, viſus nimiam ſenſibilitatem & turbationem inferat, & vel brevi diſſipetur, l. pus effundat in cameram oculi, aut foras, efficiendo tum ulcus aut fiſtulam corneæ, l. & denique, ſiccato pure & condenſatis corneæ ſtratis, maculam relinquat: excoriationes ulceroſæ, atque varia ulcera, ſuperficiem corneæ convexam obſidentia manifeſte ſiſtant inſpicientibus ſolutionem continui ac eroſionem plus minus profundam, quæ plane non obveniunt in ungue. Itaque differunt hæc ulcera ab ungue, ut ulcus ab apoſtemate ſ. abſceſſu: ibi pus in aprico eſt, & è faucia exſtillans cornea: hic concluſum inter corneæ lamellas.

Paulo difficilior eſt diagnoſis, ſi tale *ulcuſculum* reſideat *in concava corneæ ſuperficie*, uti talia aliquando occurrere ſuo loco oſtendemus. Unde attendendum eſt in tali caſu ad profunditatem ulcerationis, ad nitorem & pelluciditatem lamellarum corneæ anteriorum ſ. exteriorum, intimarum vero nubeculoſam alboflaveſcentem inquinationem, cui aliquando jungitur totius aquei humoris in camera anteriore turbiditas.

## §. V.

*Pauca* ex his præmiſſis *ſuperſunt phænomena* unguis *conſtitutiva* atque *concomitantia*: ſcil. corneæ ſuperficies convexa lævis quidem & polita perſtat ſine eroſione aut ulceratione, ordinario etiam ſine notabili elevatione aut protuberantia p. n. li, ſed ex ipſius tamen ſubſtantia manifeſte tranſparet albida, vel è flavo albeſcens purulenta materia, ſtabilis, certo loco defixa, nunc inferius verſus circulum & connexionem corneæ cum ſclerotica, id quod frequentius obvenit, vel circa medium aut ſuperiorem quemdam corneæ locum, variæ magnitudinis & figuræ, quibus mox lunulam, mox rese-

[q] De empyeſi oculi, ex profeſſo illuſtrata, vid. diſp. præſidis.

resegmina digitorum æmulatur. Si altiore loco hæreat pus in cornea, & quantitate augeatur, descendere solet pedetentim inter lamellas corneæ in locum decliviorem. Conjunguntur inflammatoria atque ardens plus minus rubedo conjunctivæ, luminis molesta sensatio, visus ordinario quædam obnubilatio & obfuscatio, præsertim si pus in cornea hæreat è directo pupillæ: in aliquibus dolor capitis, inpr. hemicrania lateris affecti; illachrymatio, pruritus.

## §. VI.

*Phænomena consequentia*: pus inter corneæ lamellas si exiguæ sit quantitatis & benignæ qualitatis dissipatur aliquando sponte naturæ, aut per supervenientem ophthalmiam, quæ plurimum materiæ pituitosæ & glutinosæ è glandulis palpebrarum sebaceis fundit, derivatur, aut per medicamenta in- & - externa resolvitur; si vero copia abundet, aut acrimonia peccet, erodit lamellas vel anteriores l. posteriores, atque si foras eructetur, efficit ulcus, si intro, hypopyum: si totam corneæ substantiam perfodiat, fistulam corneæ parit, è qua non saltem pus atque humoris aquei portio statim effluent, sed & posthac quotidie humor aqueus ceu per siphonem elidetur; imo vero si perforatio amplior sit, metus adhuc gravior imminet prolapsus uveæ, & quæ hinc consequuntur, molestissimorum ac periculosorum symptomatum aliorum. Si condensetur ac tandem exsiccetur stagnans hæc materia viscoso - purulenta cudet vel albuginem s. leucoma, vel aliam densiorem & indelebilem relinquet corneæ condensationem albidamque obfuscationem, quemadmodum & in adultis & senibus post operationem unguis, dextre licet peractam, ordinario relinquitur eo loci macula & cicatrix alba, quantumcumque illa lævis fuerit & æqualis.

Unde quo amplior, diffusior, profundior & pupillæ magis obversus unguis, eo difficilior est curatio, eoque major fœdæ, visumque impedientis posthac maculæ & cicatricis metus. E contrario quo subjectum est junioris ætatis, minoris cacochymiæ, quo unguis est benignior, à centro s. medio corneæ remotior, quo superficialis magis, quo citius rectiusque subjicitur operationi chirurgicæ, si medicamentis cedere nolit, quo post ejus compunctionem chirurgicam externæ corneæ lamellæ brevi evadunt flaccidiores & rugosiores, eo major pleniorque spes affulget curationis, quæ per modum fit sic dictæ exfoliationis.

## §. VII.

*Pathologia.* Unguis est *morbus conformationis* in meatibus, canaliculis atque poris corneæ dilatatis & infarctis à materia stagnante purulenta. Aut considerari potest etiam qua *symptoma qualitatis* mutatæ, scil. pellucidita-tis, qua cornea gaudet naturaliter, abolitæ, & inducti p. n. coloris flavo-albescentis, cui ergo symptomati morbus, tanquam causa proxima, subest

is ipſe conformationis, in limine hujus paragraphi allegatus. *Subjectum morbi*, quod & *cauſæ* hic ordinario ſimul eſſet ſolet, eſt tunica cornea, κατ' ἐξοχὴν dicta, ſive portio ſcleroticæ anterior diaphana. [*r*] Conſtat hæc e pluribus lamellis, ſ. ſtratis ſibi invicem appoſitis, [*s*] ſed intime connexis, ita ut nullum inter ſe vacuum aut interſtitium relinquant. Extima harum lamellarum, tenuiſſima, videtur eſſe progenies & continuatio conjunctivæ, ſuper totam corneæ ſuperficiem convexam ſubtiliſſime expanſæ. [*t*] In ſtatu naturali, ſano, nulla unquam vaſa, ſanguinem rubrum vehentia exhibet, in p. n. li vero vaſa hæc, ob impulſum ſanguinis arterioſi fortiorem, dilatantur atque craſſiorem ſanguinis portionem, purpuram, admittunt, id quod maxime apparet in morbo, *corneæ venoſitas*, dicto, item in ophthalmiis externis. Inſtruitur cornea plurimis poris, [*u*] qui diaphanum laticem ſatis glutinoſum in moribundis atque demortuis plorant, quique in horum oculis manifeſte aliquando, & ſubinde per modum telæ, ſuperficiem corneæ inveſtit, poſt mortem vero è cornea, digitis compreſſa, clare ſatiſque copioſe per ſuperficiem corneæ externam exſtillat. Unde hic veniat humor, non æque planum eſt? An à Nuckii ductibus aquoſis, quibus ille quidem humoris aquei ſecretionem modo tribuit? An à vaſculis excretoriis glandulæ innominatæ, (lachrymalis np.) nunc duobus, nunc tribus, in bobus maxime obſervatis ab Hovio, humore claro pellucido repletis, ex parte inferiore illius glandulæ oriundis atque

[*r*] A celeber. Winslovio, aliiſque cornea oculi tunica dividitur in opacam, ſ. ſcleroticam & in diaphanam, quæ cornea κατ' ἐξοχὴν audit aliis, hancque continuationem videri ſcleroticæ aſſerit oculatiſſ. ille Anatomicus, in expoſ. anat. in 4. Paris 1732. p. 662. §. 214. Sed nobis diſtincta videtur & diverſa valde eſſe cornea à ſclerotica per ſtructuram manifeſtius atque copioſius poroſam & lamellatam, tranſparentiam, turgiditatem ſucculentam, intumeſcentiam & incraſſationem notabilem, dum in aqua maceratur, per vaſorum mere lymphaticorum, nullam ſanguinis portionem rubram vehentium in ſtatu ſcil. ſano, & denique per diſtinctum, ſingularem obliquum utriuſque tunicæ concurſum & implantationem.

[*s*] Mediante cultro anatomico poſſunt dividi in numero plures, 6. 8. 12. In cadaveribus aliquandiu aſſervatis haud raro ſponte una alteraque exteriorum harum lamellarum ſecedit. Poſt operationem unguis, & in aliis corneæ morbis, pariter illæ videntur manifeſte ſeparari & quaſi exfoliari. Veteribus non fuerunt ignotæ, ſub nomine corticum corneæ, ut paſſim è Galeno patet.

[*t*] Demonſtravit id plus ſemel in anatomiis publicis præſes. Conſentit Winslov. in expoſ. anat. p. 674. §. 274. Confirmant varii & plurimi oculor. morbi, quos, brevitatis ſtudioſi, prætermittimus.

[*u*] De his vid. Nic. Steno in tract. de muſc. & gland. Jac. Hovius tract. de circulari humor. motu in oculis p. 90. Jac. Benig. Winslow dans les *Mémoires de l'Academie Royale des Sciences* anni 1721. edit. Amſtel. p. 417. it. ejuſd. expoſit. anat. p. 662. §. 216. Poros vero hos corneæ rectilineos ſupponi debere videtur, tam ex ejus diaphaneitate, ſi in naturali maneant ſitu, quam ex opacatione corneæ & contractis albidis maculis poſt vulnuſcula atque ulcera ejus conſolidata utplurimum relictis, per condenſationem ſcil. & obſtructionem horum pororum.

atque circa corneæ circulum ipſam ſubintrantibus corneam, prout *Hovius* deſcribit & delineat? [v]

An vero, quod probabile, à ramificationibus arteriæ carotidis externæ orbitalibus, à ramo carotidis maxillari interno dicto proficiſcentibus, & per anaſtomoſin junctis circa medium bulbi cum ramis internæ carotidis, utpote quæ ramificationes non tantum ſuperficiei corneæ, ſed & toti ejus ſubſtantiæ inſeruntur? Aut denique num hic corneæ humor partim debeatur tranſpiranti per corneæ poros humori aqueo, in prima oculi regione obvio, quæ Nuckii eſt ſententia: [x] acriter vero & plauſibilibus impugnatur argumentis abs Hovio? [y]

Ita pariter ſub judice lis eſt, num humor ille diaphanus corneæ, ad hujus nutritionem & humectationem deſtinatus, per corneæ poros, quos Hovius l. c. nihil aliud eſſe, quam orificia ductuum ſuorum excretoriorum, è glandula lacrymali oriundorum, reputat, partim excernatur in ſuperficiem corneæ convexam, pro ejus perpetua humectatione, partim per venas ad cor revehatur? Sicuti Hovius ſtatuit l. c. Num vero abſorbeatur fortaſſis atque revehatur in communem humorum & ſanguinis maſſam, per illa corneæ plurima vaſcula nova, ſecundum longitudinem decurrentia, quæ neque ſanguiflua, neque lymphatica ſint, quantumvis lymphaticorum æmula, & per quæ, juxta mentem & deſcriptionem Ruyſchii, [z] reducatur humor aqueus, advectus per ductum Nuckii, vel alium ignotum, problema eſt?

## §. VIII.

Prolixior hæc corneæ, tanquam ſubjecti affectus noſtri, deſcriptio anatomico-phyſiologica, in quantum ſcil. morbum hunc ocularium reſpicit, præmiſſa multis phænomenis in ætiologia, prognoſi ac therapia lucem accendit, ſponte ſua radiantem. *Cauſa proxima* unguis eſt ſtagnatio ſtaſiſque inflammatoria ſanguinis, lymphæque è vaſculis tenuiſſimis corneæ p. n. dilatatis effuſi inter corneæ lamellas atque in ſuppurationem abeuntis. *Cauſæ antecedentes & procatarcticæ* ſunt: ſtimulus, irritatio, ictus, colliſio, contuſio bulbi anterioris, ophthalmia gravis, chronica, frequens, veſiculæ, phlyctænæ, præcipue vero *puſtula varioloſa*, corneam obſidens & pus ſuum inter corneæ lamellas effundens. Accidit aliquando ſponte, à cauſa interna, talis puſtula varioloſa corneæ, uti paſſim in tota reliqua corporis peripheria, ſive apertæ maneant ſerventurque varioloſorum palpebræ, ſive clauſæ. Intempeſtiva vero muliercularum ſedulitas atque panicus terror ſæpe noſtro unguis affectui tum viam ſternunt. Uti enim in quamplurimis vario-



[v] Jac. Hovius tract. de circular. humor. motu in oculo. 8. Lud. Bat.
[x] Ant. Nuck. Sialograph. & ductuum aquoſor. anatome nova. 8. Lugd. Bat. 1690. p. 111.
[y] Hov. de circular. humor. mot. in ocul. p. 86. ſqq.
[z] Fred. Ruyſch. Reſponſ. ad Chriſtian. Wedelium de oculor. tunicis p. 14.

losis palpebræ salutari quodam cæmento & glutine per aliquot dies coalescunt, atque sic non modo contra molestum lumen muniuntur, sed quam maxime etiam contra acrimoniam & contagium puris, vel destillantis è variola palpebræ aut tarsi, vel illiti per manus digitosque impuros varioloſi patientis, providissime muniuntur; ita pessime agunt, qui naturale hoc propugnaculum intempestive dirimunt aperiuntque, nisi quidem è gravibus perpetuisque oculi doloribus pulsatoriis constet de corneæ quadam inflammatione suppuratoria, per modum unguis, vel hypopyi, atque de actuali corneæ variola.

§. IX.

*Therapia. Indicationes* sunt: (α) nimium ad oculos affluxum moderari, revellere, derivare. (β) Stasin sanguinis atque puris discutere, resolvere, vel, si hoc sperari, aut obtineri nequeat, (γ) pus eliminare ac evacuare per operationem chirurgicam. (δ) Factum hinc vulnusculum & apertum abscessulum mundificare, consolidare, lævi, ac, quantum licet, diaphana cicatrice claudere. (ε) Ultimoque oculum, visumque roborare.

§. X.

*Primæ indicationi*, scil. nimio ad oculos affluxui moderando, revellendo, derivandoque inserviunt in plethoricis, ventilationibus sanguinis adsuetis, in suppressionibus mensium, hæmorrhoidalis fluxus nariumque hæmorrhagiæ, aut actuali sanguinis orgasmo, &, quem vocant, raptu ad caput, *venæsectio* brachii aut pedis κατ' ἴξιν, scil. in latere affecto, *cucurbitulæ scarificatæ* in humeris dorsoque, *hirudinum applicatio* ad anum. *Pediluvia* tepida, lixiviosa: *frictiones* pedum asperæ: *suppedanea* acria: *vesicatoria* pedum suris, aut brachiis imponenda: denique præmissa sufficiente tali revulsione, & per venæsectionem evacuatione, ipsa internæ palpebrarum superficiei scarificatio, s. *blepharoxysis*. [a] *Enemata*, purgantia, alvum stimulantia.

§. XI.

*Secundæ indicationi*, np. stasin sanguinis atque puris discutiendi, resolvendi famulantur *epithemata*, *sacculi*, *collyria* è resolventibus parata, e. g. hyssopo, serpillo, roremarino, fl. sambuc. lavend. croco, camphora, sem. fœnic. rad. valer. &c. in vino, aut aq. calc. viv. & vini portionibus anaticis, leviter coctis: *cataplasma*, è medulla pomi assati, addito croci & camphoræ tantillo, nec non antimonio diaphoretico & pulvere rad. ir. flor. Collyria sicca minus conveniunt; circa humida etiam caute versari oportet, ne scil. vel acri stimulo affluxum & dolores augeant, vel nimia humiditate corneam imbuant, vel repellendo, obstruendo, adstringendo lupum stabulis

[a] De hac blepharoxysi vid. notam inferius lit. ff.

bulis includant. Si quæ ergo velint adhiberi, ex aq. ſambuci, lavend. roſar. cum antimon. diaph. & refracta doſi camphoræ atque croci parata oculo tepida frequenter inſtillari, atque calefactis ſpleniis oculus muniri poterunt. [*b*]

## §. XII.

*Indicationi tertiæ*; pus inter corneæ lamellas ſtagnans eliciendi ac evacuandi, ſatisfacit *operatio chirurgica*. De hac igitur diſtincte agemus. *Inſtrumenta* huic inſerviunt: primo *acus ſubtiliſſima*, brevi ac tenui manubriolo argenteo adaptata, & firmiſſime conferruminata, lineæ mathematicæ, plus minus, longitudine prominens è manubriolo cuſpide ſua acutiſſima. Plura ad manus ſunto ejuſmodi inſtrumenta, aliud nempe unica ſaltem acu præditum, aliud duabus, quin tribus quatuorve acubus, proxime ad ſe invicem & in ſerie recta collocatis, aliud longioribus, aliud brevioribus inſtructum cuſpidibus, prout vel ſuperficiali, vel profundiore opus eſt punctione.

Woolhouſius appellat hoc inſtrumentum gallica lingua, *le mouchetoire*: compoſito nomine græco vocat præſes κατάνυπτρον, *catanyptrum*, à κατανύπτειν, compungere, pungendo penetrare. Actio enim hujus inſtrumenti conſiſtit in eo, ut acubus illis compungatur & perfodiatur una alteraque lamella corneæ, ſub quibus pus deliteſcit, atque ſic materiæ illi paretur exitus. Poteſt ſoletque huic ſcopo alia etiam *acus*, cataractis deponendis vulgo dicata, *teres acuta* inſervire.

Secundo autem, ſi pus vel nimis profunde deliteſcat, vel nimis craſſum ſit, quod ideo per exilia, acubus illis inflicta, punctula nequeat excerni, requiritur *alia acus*, manubrio obfirmata ligneo, aliove, polygono, *modice incurva*, *plana*, à latitudine in medio maxima, quæ dimidiam lineam mathematicam æquat, deſinens pedetentim in apicem acutum, ſed tamen planum, angulis ſ. lateribus duobus acute ſcindentibus inſtructa. *Speculum oculi*, [*c*] & *ſuſpenſorius* palpebræ ſuperioris *hamulus* complanatus, [*d*] quibus inter operandum oculi bulbus ſtabiliri atque palpebra ſuperior attolli ſicque oculus plene detegi poſſint, ad manus quoque ſunto, ut, ſi digitis operator ſuis nequeat has indicationes ſufficienter exſequi, illis utatur inſtrumentis.

*Miniſtri aliquot*, qui caput, brachia &c. ægri, in operatione forſitan reluctaturi, valide detineant, & res neceſſarias operatori porrigant, adſunto. In parato etiam haberi debet *decoctum aliquod*, è fl: ſambuc. lavend. & ſemine

[*b*] Prolixi nolumus eſſe circa 1. 2. & 5. hujus affectus indicationes, ne cramben recoquamus, nuper demum in diſp. de hypopyo p. 15. 16. 17. 18. liberaliter appoſitam. Quoad has enim indicationes par ratio eſt hypopyi atque unguis.

[*c*] Quale abs Woolhouſio inventum delineari curavit Heiſterus in Chir.lat. Tab. 17. fig. 16.

[*d*] Suſpenſorius hicce hamulus deſcribitur in Præſidis Diſp. de hypop. p. 26. circa finem, & à celeber. Heiſtero per iconem ſiſtitur in Chir. lat. Tab. 16. fig. 1.

ne lini, in aq: communi vel lacte coctis, cujus vapor modice calidus ad oculum affectum ſtatim ab operatione ſit admittendus. Item *ſacculi* è ſupra (§. 11.) laudatis reſolventibus in vino cocti & expreſſi: & denique *potio* quædam *analeptica*, *ſpirituſque* fragrans pro odoramento, ſi vires deficere ſentiantur.

*Hypocauſtum*, in quo ſuſcipitur operatio, ſatis *luminoſum* ſit atque *calefactum*, ut operator clare perſpiciat locum affectum, & aër frigidiuſculus liberque ab oculo arceatur.

## §. XIII.

*Æger* in lecto *ſupinus collocatur*, capite declivi. Caput ejus abs miniſtro, à vertice ægri conſtituto, firmiſſime manibus tenetur, brachia vero ab aliis amanuenſibus pariter immobilia figuntur. Ipſe operator alterius manus digitis, pollice ac indice diducit palpebras oculi affecti, aut hamulo ſuſpenſorio (§. 12.) palpebram ſuperiorem vel elevat ipſe, vel attolli curat per adſtantem famulum. Si bulbum oculi nimis vagum & deſultorium ſtabilire oporteat, applicatur ſpeculum oculi §. 12. ſub palpebras, quod totum in peripheria complectens bulbum, ſatis hunc obfirmabit. Si tamen binis hiſce inſtrumentis ſuperſedere liceat, & æger & operator non uno liberabuntur incommodo.

Antequam ipſa punctionis operatio inſtituatur, undique diſpiciendum & viſu explorandum eſt ſubjectum morbi, qua ſcil. ſui parte protuberet maxime? Ubi cornea ſit albidiſſima atque opaciſſima, atque ſic major puris ſubtus latentis copia? Annon in peripheria, vel alibi, extimæ corneæ lamellæ jamjam à ſubjacentibus ſint diviſæ ac elevatæ? Ut ſcil. operator talem maxime locum corneæ, eumque decliviorem deſtinet punctioni.

Pro latitudine ac profunditate ſtagnantis inter corneæ lamellas purulentæ materiei eligit operator catanyptrum §. 12. acu una, l. pluribus inſtructum, idque mox ſuperficietenus, mox profundius impellit, tam alte vero nunquam, ut intima ultimaque corneæ ſtrata pertundantur: catanyptrum inter indicem ac pollicem firmiter detentum defigit & intrudit operator recta & perpendiculariter ſemel atque ſimul in locum corneæ affectum, ita ut facto uno alterove foraminulo pus ſubjacens exſudare queat vel ſponte, vel porro ad exitum facilius promoveri. Acquieſcit primo hoc tentamine chirurgus.

## §. XIV.

Statim ab hac prima compunctione ægri caput magis acclive collocatur atque ſuſtinetur, bulbus oculi lavatur foveturque partim admiſſo vapore tepido. (§. 12.) aut hujus decocti aliquot guttulæ jugiter inſtillantur, aut labrum ophthalmicum (baſſin oculaire vocat Woolhouſius) bulbo oculi immediate ſuperpoſitum, tali decocto repletur, ut hoc corneam alluat. Quæ variæ enchireſes ſicut ad diluendum pus tendunt, illiuſque effluxum facilitandum,

dum, ita per aliquot minuta non modo continuari, ſed frequenter etiam repeti debent, impoſitis per intervalla ſacculis reſolventibus calidis, in vino coctis §. 12. vel & cataplaſmatibus è medulla pomi ſub cineribus aſſati, cui poſtea antimon: diaph. atque croci & camphoræ tantillum remiſceantur.

Si unica primaque hac punctione, & ſubjunctis modo laudatis diluentibus atque reſolventibus topicis remediis, intra unum alterumve diem nondum ſatis evacuatum puris videatur, aliis novis locis denuo, ut ſupra dictum, adhiberi catanyptrum & dehinc repeti in limine hujus paragraphi laudata methodus debent.

## §. XV.

Si vero *pus nimia* laboret ſpiſſitudine ac *tenacitate* & per exiles has acupuncturas exire renuat, acu curva, pungente in apice, ac in lateribus ſcindente, [*e*] qualem §. 12. deſcripſimus, locus corneæ affectæ tumidior, albidior atque declivior pungendus atque latiore vulnuſculo aperiendus, poſtea vero non modo, ut §. ſuperiori dictum, lavandus eſt atque fovendus, ſed & inſtillato, altera ab hac operatione nocte, collyrio ex aq: ſambuc. hyſſop. valerian. ana ʒvj. pollinis rad: ir: flor. ℈ß-aloës ſocotrin. gr. iij. camphoræ gr. j. M. irroranda adque exfoliationem, ſ. lamellarum exteriorum ſeparationem, leni hoc ſtimulo atque abſtergente collyrio promovenda eſt cornea. Similem uſum præſtabunt, pinguedo viperarum, aqua ophthalmica viridis Hartmanni, & ophthalmica Quercetani. Omnia tamen acria atque ſeptica cautiſſime, adſtrictiva vero, qualia ſunt vitriolica & ſaturnina minime debent adhiberi: imo ne quidem unctuoſa tunc conveniunt ordinaria.

Inter hæc *interna* quoque *medicamenta* alvum blande & per ἐπίκρασιν ſubducentia, temperantia, abſorbentia, diaphoretica poſſunt debentque propinari, *regimen* & *diæta* ſic præcipi, ut maſſa humorum nec obruatur, nec in orgaſmum concitetur, aut noxia inficiatur qualitate.

Imo ſi *ophthalmia gravior* externa vel interna ſubſequatur, venæſectio pedis vel brachii, veſicatoria in nucha vel pone auriculas, tandem & palpebrarum ſuperficiei internæ ſcarificatio, ſ. blepharoxyſis, [*f*] adhiberi debent.

## §. XVI.

Paucis ab illa punctione (§. 14. & 15.) diebus corneæ affectæ ſuperficies atque

[*e*] Godefr. Bidloo Exercit. anatomico-chirurg. cap. de oculo purulento p. 93. ſcalpellum adhibere jubet, qui arcum, vel hominis linguam exprimat, cujuſque pars anterior ſolummodo acuta, latera vero obtuſa ſint, ut ne ſcil. ulterius, quam velis, ruat. Aſt metum hunc temperabit ſuſpenſa providaque chirurgi manus: latera vero acus ſcindentia eum in finem ſunt neceſſaria, ut, cum latior eſt unguis, latius etiam infligi vulnus, quin ipſæ extimæ lamellæ corneæ uno ictu & perforari & diſcindi valeant: noſtram acum v. in Heiſt. Chir. lat. Tab. 16. fig. 2.

[*f*] De ſcarificatione oculor. vid. Hampii diſp. an. 1721. De ophthalmoxyſi præſidis diſp. an. 1726. De ſcarificatione oculor. Platneri diſp. an. 1728. in lucem editas.

atque lamellæ exteriores contrahunt quasi rugas atque plicas, bono faustæ exfoliationis omine, quam itaque Woolhousius adjuvare jubet hoc collyrio: ℞. croci metallor. ℈j. infundendi in aq. fœnic. ℥ij. dehinc decantata, s. per inclinationem effusa hæc solutio, guttatim atque semel iterumque quotidie instillanda est loco corneæ affecto, & per minuti, vel paulo longius, spatium palpebris occlusis est relinquenda, alternis etiam diebus pulvis subtilissimus sacchari canthi albi, in mortario plumbeo bene triti, & saturnina virtute aliquantum imbuti, loco affecto inspergendus est, utrobique vero dehinc, diductis iterum palpebris, lavare ac abstergere bulbum oportet in aqua lactis destillata, vel aqua malvæ & euphrasiæ tepide, mediante labro ophthalmico, (§. 14.) vel alia blanda ratione.

## §. XVII.

Leni & *modica suppuratione* quadam sic *ulcusculum corneæ* magis magisque *mundificabitur* & *lamellæ* ejusdem corruptæ *ad* secessum s. *exfoliationem promovebuntur*, præcipue si circa vesperam aliquot guttulæ vel grana sequentis unguenti instillentur aut illinantur corneæ: ℞. ung. de tut. ʒij. Camphoræ gr. iß. aloës socotrin. gr. iij. m. f. ung. impalpab. Sub ipsa vero hujus unguenti applicatione æger supinus, capite admodum declivi jacens, in hoc situ per dimidiam certe horam maneat quietus hiantibus diductisve palpebris, ut unguentum diutius inhæreat loco affecto. Postmodum clausis palpebris imponatur calidum cataplasma è medulla pomi assati, antim. diaph. ℈j. & camphora gr. iij splenio quadruplicato obtectum, hocque fascia debite obfirmetur, aliquot dehinc horis æger aliquandiu pronus faciei incumbat, [g] brachiis decussatim faciei suppositis, ut latentis sub cornea puris effluxus ulterior promoveatur, atque simul respirandi libertas conservetur. Alternis quoque diebus sub palpebras oculi affecti sex l. decem *grana hormini* jubet *Woolhousius* insinuare oculo, eoque dehinc occluso, per bihorium servare. Agunt hæc & tanquam solida corpuscula, quæ alias etiam illapsas oculo impuritates & peregrina corpuscula feliciter everrunt, atque sic exiles corruptæ corneæ lacinias & lamellas extergunt abripiuntque: & ceu mucilaginosa semina, quæ demulcent atque lubricant.

## §. XVIII.

Absceſſu hoc corneæ, s. ungue, mundato & lamella, vel lamellis, corneæ corruptæ per exfoliationem ablatis, *circa* ejusdem *consolidationem lente festinandum est*; ut enim non modo deperdita corneæ substantia regeneretur, sed nova etiam eidem inducta strata debitam obtineant pelluciditatem, lento placidoque opus est modo. Extollit in hunc finem Woolhousius sequens ung. ℞.

[g] Nisi quidem unguis profunde inhæserit, atque sub hoc faciei prono situs justus subsit metus, ne intimæ corneæ lamellæ nimis protrudantur foras, per gravitantes à tergo humores oculi.

℞. ung. diapomphol. ℥ß. pulv. g. arab. gr. vj. ol. ovor. gt. vij. balſam. de mecha, ſ. opobals. veri. nec non balſami ſaturni, [ *b* ] ana gr. ij. m. probe. Poterit unguent. hoc tepefactum inſtillari corneæ, palpebræ deſuper claudi, oculus ſplenio, aut ſacculo ſicco, è reſolventibus & roborantibus concinnato, atque faſcia obtegi, idque mane ac veſperi repeti, donec æqualem, lævem atque diaphanam ſuperficiem & quaſi cicatricem recuperaverit cornea, ſicque cura feliciter ſit peracta.

Licet vero in adultis hominibus ac in profundiore ungue cicatrix non ſemper debite pellucida obtineatur, ſed albeſcens ac opaca, pejoribus tamen eventibus atque damnis peſſulum obdidiſſe ſat eſt.

## §. XIX.

*Poſt ſuperatam hanc curam* oculis ſtudioſe aliquandiu parcat ægrotus, nec præmature ad lectionem, ſcriptionem, ſolis aut ſplendidioris adſpectum luminis eos adſtringat, nec vento, fumo, pulveri exponat: neque etiam venæſectiones atque purgationes, minimum ſemeſtres, negligat. Si *cicatrix albida* & opaca *remanſerit*, ſed ſuperficialis ſaltem, deterſio ejus paulatina ſuſcipi poteſt per pulveres, aut unguenta leniter detergentia & mitiſſime ſeptica. Sed dabitur alia occaſio de maculis corneæ variis ex profeſſo agendi.

## §. XX.

Dn. de Saint-Yves ( *i* ) duo monita habet, huc ſpectantia. Alterum: quod ſi, ut ſubinde fit, vaſa ſanguinea, ſuper ipſam adſcendentia & reptantia corneam, inſerantur maculæ cuidam (imo & ungui) eamque nutriant, hæc reſcindi debeant, ſubducta quadam acu ſcindente, vel lanceola. Alterum: quod periculoſa ſit atque inanis illa quorumdam methodus, qui pelliculam talis maculæ in cornea jubent auferre lanceola, vel alio inſtrumento, quoniam inde factum vulnus, novam, dum conſolidatur, cicatricem & opacitatem, priore haud minorem relinquere debeat. Paulo tamen poſt expreſſis hæc limitat verbis, quod ſcil. in eo caſu liceat omnino pelliculam de cornea tollere, ſi ex puſtula varioloſa ſe inſinuaverit materia purulenta inter lamellas corneæ; huncque unicum eſſe caſum, cui hæc operatio quadret. Sed quid obſtat quæſo in ungue, ex aliis etiam cauſis orto, ſimilem inſtituere chirurgiam.

[ *b* ] Balſami ♄ duas habet formulas Jungken in lexic. chymicopharmaceut. edit. tert. part. 1. p. 63. & 64. præferimus autem priorem, quam recenſet, compoſitionem D. Maets.

[ *i* ] De Saint-Yves Traité des malad. des yeux. p. 228. ſeq.

TANTUM.

XX.

# DISSERTATIO
## DE
# ULCERIBUS CORNEÆ

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Defendet*

CHRISTOPH. FRID. GIFFTHEIL,

*MARBACENSIS.*

Tubingæ menſis Septembris anno 1742.

# Σ. Θ.

## §. I.

ULcus, ſ. hulcus, ἕλκος, εος, τὸ ſumitur vel latiſſime pro morbo in genere: [a] vel late pro omni quacumque ſolutione continui partium carnoſarum, atque mollium, pro vulnere: [b] ſtrictius vero ab antiquis & recentioribus accipitur pro ea in partibus mollibus continui ſolutione, quæ cum deperditione ſubſtantiæ per eroſionem fit. [c] Unde poſteriore hoc ſenſu ἕλκωσις ἕλκωμα Hippocrati dicuntur exulcerationes. [d] Authori vero definit: med. ἕλκωσις per homonymiam quoque vocatur ῥῆξις, ruptio, tunicæ corneæ, quam l. ictus, l. inſignis inflammatio attulit. Ἑλκύδριον, in genere denotat ulcus in diminutivo, ulcus parvum, ulcuſculum.

## §. II.

*Ulcus differt à vulnere*, quod hoc non fiat per eroſionem nec à cauſa interna, ſed per inſtrumentum ſcindens, pungens, terebrans, violenter percutiens, neque paulatim, ut ulcus, ſed repente generetur: neque chronicum ſit, cum ulcera diutius morentur antequam ad conſolidationem deduci queant. *A contuſione* & *excoriatione* diſtinguitur ulcus, quod illæ utplurimum à cauſa externa pendeant, ſubito generentur, & ſanguinem lymphamque tantummodo fundant: quamprimum vero vulnera & contuſiones longiorem moram nectunt, ad conſolidationem difficilius perducuntur, ſaniem atque pus largius fundunt, atque ſe diffundunt, alia atque alia fibrarum ſtamina erodunt, tunc ad ulcera quoque referuntur.

*Ulcus* diſpeſcitur *ab abſceſſu*, ſ. apoſtemate, quod ibi cutis, vel alius integumenti adſit ſolutio, pars ſaucia, hic vero pus adhuc concluſum & ſuperficies affectæ partis adhuc integra. Hic tamen abſceſſus ſ. ſponte ruptus, ſ. quacumque arte apertus conſtituit poſtea ulcus. [e] *Ulcus corneæ* diſcriminatur *ab* ejus *ungue*, quod *hic* pus contineat concluſum, lamella, vel lamellis corneæ obtectum, *illud* vero ſuperficiem corneæ ſolutam, eroſam cum ſubſtantiæ deperditione importet: *A nubeculis* variis atque cicatricibus corneæ differunt ejus ulcera, quod ibi non ſit continui ſolutio & manatio ſeroſo-purulenta, qualia in ulceribus occurrunt.

§.

[a] Hipp. L. de fractur. it. L. de Medico.
[b] Paſſim apud Hipp. Galen. P. Æginet. Platon. Homer &c.
[c] Hanc Brunonis in Lex. Med. Caſtelliano definitionem adoptamus.
[d] Hipp. aphor. S. 3. §. 21. it. Epidem. L. 3.
[e] Confer. cel. Heiſter. chir. lat. C. de ulcer. p. 356 ſ. Præmittenda v. hæc generalia videbantur, ut ſpecialis applicatio ad corneæ ulcera eſſet fundatior atque clarior.

§. III.

Ulcera v. jam antiquitus [*f*] & hodienum varias *differentias* atque *denominationes* acceperunt, à magnitudine in varias dimenſiones, à duratione, à ſubjecto inhæſivo, à ſymptomatum diverſitate & gravitate, à cauſarum varietate. Sicut ergo variæ hinc ulcerum denominationes atque ſpecies ortæ ſunt, ſuperficialium, profundorum, ſinuoſorum, calloſorum, fiſtuloſorum, verminoſorum, malignorum, venereorum, cancroſorum, ſcorbuticorum, antiquorum, dyſepulotorum, depaſcentium &c.; ita ulceribus oculi, & determinate quidem corneæ ejuſdem tunicæ varia ſunt ab antiquis impoſita nomina, quæ ſpecificum cujuſque characterem exprimere debebant.

§. IV.

Quamvis autem ſingula hæc ulcerum corneæ diſtincta nomina non pro diſtinctis & in ſenſu rigoroſo accipiendis ulcerum ſpeciebus omnia venditemus; illa tamen retinenda putamus, non modo quod jam à vetuſtiſſimis adoptata ſint medicis, ſed quoque partim ulceris ſingularem modum & conſtitutionem determinent, ſine prolixa prædicatorum enumeratione, [*g*] partim pleraque horum veram omnino differentiam importent ſpecificam. Sunt itaque ulcera corneæ: Ἑλκύδριον, ſ. ut Plutarch. in quæſt. græc. habet ἑλκύδιον parvum ulcus, denotat in genere, obvium ubicumque, ulcuſculum. *Galenus* [*h*] puſtulam vocat ulceroſam: *Paulus Ægineta* [*i*] puſtulam capitis ulceroſam. *Woolhouſius* autem definit, quod ſit *ulceratio ſuperficialis corneæ*, facta ab acri quadam fluxione oculi clara, ſubtili, indigeſta, ut ſic helcydrium in ordine ad helcoſin ſit, quod taraxis ad veram ophthalmiam.

Obvenit revera haud raro talis exulceratio ſuperficiei, vel convexæ, vel concavæ, corneæ, quæ extremam modo hujus lamellam occupat, & quam veteres æque ac recentiores plerique ſub nomine ἀχλύς, ύος, ἡ, caligo, comprehenderunt atque definiverunt, quod ſit ſuperficiaria exulceratio, in oculi nigro enata, aëri caliginoſo aſſimilis, colore cœruleo, nigri magnam partem occupans: cum autem in pupilla (ſcil. in cornea è directo pupillæ) extiterit, ægri non facile vident. [*k*] Ducem hunc *Aëtium* ſecuti ſunt è recentioribus *Guillemæus*, *Maître-Jean*, *Coward* &c. omnes hinc decepti, quod in ejuſmodi ſuperficialibus corneæ exulcerationibus aliquando quaſi fumus aut nebula, ex albo cœruleſcens diffundatur.

Verum

[*f*] Hipp. L. de medico. It. L. de ulceribus. Galen. commentar. in Hipp. aphoriſmos.

[*g*] Expertiſſ ophthalmiater Dn de St. Yves Trait. des malad. des yeux, Chap. 10. p 226. diverſorum ulcerum corneæ nomina ſtudio præterit, quod nihil ad curationem faciant. Sed hic medius terminus primo minime ſtringit, ſecundo falſum eſt, quod plane nihil ad curationem faciant: ſuggerunt enim diſtinctam formæ notionem, imo paſſim etiam cauſæ. Atqui vero his rite cognitis, quidni curatio erit melior?

[*h*] Cl. Galen. de compoſ. med. ſec. loc. l. 1. c. 9.

[*i*] Paulus Æginet. Encheirid. l. 3. c. 3.

[*k*] Aëtius tetrabibl. l. 3. c. 25.

Verum enim vero cum multo ſæpius ſuperficiales hujuſcemodi exulcerationes pelluciditatem corneæ non turbent, cætera quoque non modo author introductionis ſ. medici, diſerte ponat: quod ἀχλὺς ſit levis *cicatricula* aëri caliginoſo ſimilis, ex ſuperficiario ulcere enata, totum oculi nigrum occupans, ſed Hipp. etiam haud obſcure videatur innuere, ἀχλὺν ad cicatricum claſſem potius, quam ulcerum ſpectare, dum, caligines & nubeculæ ἀχλύες καὶ νεφέλαι inquit, [*l*] ac αἰγίδες, ſ. ſubalbicantes cicatrices exeruntur ac evaneſcunt, niſi eo in loco vulnus aliquod ſubortum ſit, aut illic antea cicatricem aut pterygium eſſe contigerit; itaque ἀχλὺν & νεφέλην, caliginem & nubeculam corneæ non retulimus inter ulcera corneæ, ſed ad aliam diſtulimus de obfuſcationibus, obnubilationibus atque cicatricibus corneæ tractationem: ut tamen levis & ſuperficiaria corneæ exulceratio diſtinctum pariter, ſicut reliqua ulcera, nomen obtineat, probamus atque acceptamus denominationem per helcydrium, ex Woolhouſii mente ſupra allatam, ita tamen ut non ſolum externa, ſ. convexa corneæ ſuperficies, ſed & interna, ſ. concava obſideri queat, l. ſeparatim alterutra, l. junctim utraque.

§. V.

Ἄργεμον, ȣ, τὸ, ſive ἄργεμος, ȣ, ὁ it. ἄργεμα, τὸ, ἀπὸ τȣ ἀργὸς, ὁ, albus: *argema* ab antiquis varie definitur: modo ulcus rotundum & ſubalbidum in iridis circulo, vel in albo, interdum & nigro: [*m*] modo eſt ulceratio, quæ in nigro oculi alba apparet, in albo autem ſubrubra: [*n*] modo, ulcus in iridis circulo obortum, ambientia comprehendens, ut etiam circa exteriorem iridis partem rubicundum, circa internam vero candidum appareat. Quamvis autem Heſychius, Pollux, Foëſius ἄργεμον & λεύκωμα, ſ. albuginem, ſynonyma faciant, aſſurgimus tamen authori finit. med. vetuſtiſſimo illi, qui λέυκωμα, ſ. albuginem definit craſſam profundamque cicatricem, qua ulcus concluſum ſit, ideoque ſuo loco inter cicatrices maculaſve corneæ vindicabimus.

*Argema* igitur nos deſcribimus: quod ſit ulcus, occupans aliquam partem circuli corneæ externi, dimidiæ circiter lineæ latitudine, cum rubore tunicæ conjunctivæ, corneæ vero albedine. Nonnulli vocant *ulcus coronale*, quod coronam oculi, στεφάνην, ſ. locum ubi circa corneam omnes oculi tunicæ coëunt, obſidet. Cum ejus figura utplurimum rotunda ſit, appellatur à nonnullis authoribus *ulcus corneæ rotundum.* [*o*]

§.

[*l*] Hipp. prædict. l. 2. S. 2. p. m. 102. Alibi etiam ab Hipp. & Galeno ἀχλύες pro caliginoſa pupillæ obtenebratione ſumuntur.

[*m*] Iſagog. ſ. medici Author c. 15.

[*n*] Author finit: med.

[*o*] Vid. Guillemeau & Maître-Jean.

§. VI.

Βόθριον, ου, τὸ, Bothrium, à βόθρος, ου, ὁ, fovea, ſcrobs, cavitas profundior in terra, vel lapide, cujus diminutivum eſt, βόθριον, foveola, foſſula. Hipp. [p] βοθρίων meminit leniendorum ac detergendorum lotionibus calidis. Authori introductionis ſ. medici eſt ulcus cavum, purum, anguſtum, puncturis rotundis ſimile, helcydrio altius. Authori finit: med. audit ulcus corneæ cavum ac purum in nigro. Ita pariter *Paulus Ægineta* [q] ulcerum in oculis illud quidem, inquit, quod in cornea membrana ulcus cavum anguſtum & purum, βόθριον dicitur: quod autem latius bothrio eſt, ſed minus altum, κοίλωμα, cœloma nuncupatur. *Actuarius* aliique veteres ac recentiores conſpirant fere unanimiter. Bothrium, latine *foſſulam*, aut *annulum*, gallice la foſſette appellamus igitur tale ulcus corneæ, quod exile, cavum, anguſtum, purum, ſine ſordibus purulentis aut cruſtoſis, capitulum aciculæ capitatæ refert amplitudine.

§. VII.

Κοίλωμα, τὸ, à κοῖλος, cavus, concavus: *cœloma*, Gallis encaveure. E *Paulo* audivimus modo, quod ſit ulcus cavum, bothrio latius, ſed minus altum ſ. profundum. *Author Iſagoges* cœlomata deſcribit, quod ſint rotunda & cava ulcera, bothriis latiora, quæ in oculis circa iridem naſcantur. Eſt itaque ulcus cavum, rotundum, latius, ſed minus profundum bothrio, reſidens ordinario in illa corneæ regione, quæ iridi proxima eſt. Bothrium aut cœloma ordinarios *fiſtulæ corneæ* natales præbent. Hæc *duplex* eſt: *alia* quæ penetrat omnes corneæ lamellas, unde humor aqueus, ſingulo collectus nycthemero aut ſingula nocte, eliditur ceu per ſiphonem: *alia*, quæ inſtar ulceris ſinuoſi inter & ſub corneæ lamellas reptans anguſtiſſimo hiat orificio in ſuperficie convexa corneæ. Spectant hæ duæ fiſtularum corneæ ſpecies, tanquam ulcera ſinuoſa & fiſtuloſa, ſæpe etiam calloſa, quam maxime ad præſens thema. Servamus tamen illas ad peculiarem, quam merentur, tractationem.

§. VIII.

Ἐπίκαυμα, τὸ, ab ἐπικαίω & ἐπικάω, aduro, in ſuperiore parte uro. *Epicauma.* Componitur ex ἐπὶ, ſuper, & καίω, uro, incendo, cremo. Communiter, ſed male, vocant ulcus inuſtum, rectius aduſtum, ſuperuſtum, in contradiſtinctione ſcil. Encaumatis, de quo mox agemus. Gallis ulcere brulant. *Authori Iſagoges* ſic definitur: *epicauma* eſt, cum in ſuperficie cuticula aduſta ulcus contraxerit, vel etiam paulo profundior fiat, ex epiphora

[p] Hipp. περὶ ὑγρῶν χρήσιος.
[q] Paul. Æginet. Encheririd. l. 3. c. 22.

ra magna innascens. *Authori definit. med.* est velut ex igne crustulosa ulceratio, quæ nigro advenit, nec permanens est. *Paulus Ægineta* sic habet: ulcerum in oculis ἐπίκαυμα quidem unum est sordidum, impurum & crusta obductum: quo repurgato, humores oculi sæpe effluunt. Conspirat plane *Actuarius*. *Galenus* in propriis libris passim meminit ἐπικαυμάτων. Nos ita definimus: est ulcus corneæ superficiei externæ, ejusque utplurimum mediæ, impurum, sordidum, ardens, urensve, coloris cinericii, aliquando instar flocci lanæ, non tamen adeo profundum neque sordidum uti encauma.

## §. IX.

Ἔγκαυμα, τὸ, ab ἐγκαίω, inuro, exuro, *encauma*, significat alias notam inustam, inustionem, pustulam ex ustione contractam, materiam, quæ cito ignem concipit. *Aëtius* vocat [*r*] ulcus in oculo, quod à febre utplurimum cum crusta impura in nigro aut albo oritur. Ex antiquissimis auctoribus plerique videntur *epicauma* & *encauma pro uno eodemque* ulcere habuisse. Recentiores nonnulli ex ophthalmiatris ut *Guillemæus* & *Maître-Jean* distinctas inde faciunt ulcerum corneæ species, plerique vero parum interesse putant, sive distinguantur propriis nominibus, sin minus. Stricte sumitur pro corneæ ulcere admodum ardente, crustoso, sordido, dysepuloto, & profundiore quam epicauma solet esse.

## §. X.

Quamvis ergo jam olim *Paulus Ægineta* [*s*] alia innumera ferme ulcerum esse discrimina [*t*] monuerit, ipseque varias jam tum antiquas & usuales collyriorum formulas, huc spectantium, recensuerit [*t*] e. g. Libanium, Cygnus, Pellarium, After, Ilamon, Diazematon, Diahydras, Chiacum, Fulvus cygnus &c.; nos tamen ab ulteriore tortura memoriæ abhorremus, nec entia præter necessitatem multiplicanda censemus. Sed tamen supersunt duæ adhuc species ulcerum malignorum, non reticendæ: Νομή, nome ulcus depascens, unde etiam phagedænum dictum serpensque: Καρκίνωμα, carcinoma, ulcus cancrosum, varicosum, summe dolorificum, saniem acrem fœtidamque plorans &c. Oriuntur primitus quandoque in ipsa cornea, utplurimum tamen ex albuginea atque sclerotica in corneam demum serpendo transeunt. Unde hæc strictius prosequenda servamus ad affectuum in hisce tunicis tractationes, & jam pergimus ad ulcerum corneæ benigniorum.



[*r*] Aëtius Tetrabil. L. 7. c. 26.

[*s*] Paulus Æginet. Enchir. L. 3. c. 22. commate de ocul. ulceribus.

[*t*] e. g. Woolhousio vocatur Sillon, Sillage, lineare ulcus corneæ, instar sulci, quando cornea erosa, exesa est tenuissimo quodam tractu, instar lineæ & qs. sulco arata, lympham s. saniem plorans.

§. XI.

*Phænomena antecedanea* potiora. Caufæ quæ hic incidunt antecedentes ac occafionales fic quidem pleræque funt comparatæ, ut non modo ulceribus corneæ inducendis, fed aliis etiam oculorum affectibus, præfertim ophthalmiis, faveant. Tamen cum aliqua tum directe magis ad excoriationes & ulcera corneæ faciant, tum ex ophthalmiis hæc fatis frequenter oriantur, paucis illas recenfebimus. *Ætas* infantilis atque puerilis tentatur his ulceribus frequentius, ob organi vifus majorem teneritudinem, crebras plorationes, dentitionem, variolas atque morbillos, huic ætati potiffimum infidiantes, achores fuppreffos. *Temp.* fanguineo-cholericum, multo ac inflammabili fanguine abundans. *Aër* acris, fumofus, falinus, marinus in longa navigatione, oculis admiffus: præcalidus, fervidus, æftivus, unde Hipp. [*u*] ophthalmias quoque refert inter morbos æftivos, nofque ipfi nuperrime demum fub ineuntis hujus æftatis infigni per octiduum æftu plures ophthalmia laborantes numeravimus. *Telefcopiorum* in folem directorum, neque vitris coloratis tectorum, frequens, longior ac imprudens ad oculum applicatio, ut ipfi retinæ gravia inferre damna ac guttam ferenam inducere poteft atque folet, ita corneam quoque adurere, illique epicauma l. encauma inurere, propter plurimos è vitro objectivo, quod toto oculi bulbo longe majus eft, tranfmiffos folis radios, eofque in exilem focum prope oculum concentratos eofque maxime igneos, ut admotam ibi chartam bibulam adurant. [*v*] *Cibus* acris, falfus, fumo induratus, ceparum efus, frequens, copiofus. *Lacrymatio* crebra: immodicæ *lucubrationes: vigiliæ.*

E cenfu r. p. n. *Cachexia* fcorbutica, venerea, fcrophulofa. Corneæ *illapfa*, *allifa*, *affricta* afpera, pungentia, fcindentia, atterentia corpora & corpufcula peregrina: *vulnera* & *excoriationes*: *aduftio* per pulv. pyrium aliaque ignita, fervida, folida & fluida varia. *Collyria acria*, feptica, vel alias *afpera* fabulofa. *Phlyctæna* f. puftula ardens corneæ & *puftula variolofa*, corneæ inhærentes, it. pus inter corneæ lamellas collectum, f. *unguis*, in ulcus definens: *hypopyum* f. pus poft corneam in prima oculi regione ftabulans, dehinc vero corneam perforans, exulcerans: *ophthalmia*, præfertim *epiphora*, fervidis acribufque lacrymis diu & copiofe corneam inundans, excorians, exulcerans, nec non intempeftive per refrigerantia repellentiaque fuppreffa: oculor. *arcta*, *diuturna*, perpetua obtectio & *obligatio* in ophtalmiis variis: *Staphyloma*: *Pterygii* corneam fuperantis *refectio*, quæ citra, aliqualem certe, excoriationem vix poteft perfici: nec non folutio profphyfis, f. concretæ cum cornea palpebræ: *Peribrofis*, f. circumrofio carunculæ lacrymalis ulcerofæ: pus acre, rofivum in *fiftula lacrymali* ad corneam redundans: *Tarforum*, *palpebrarum* fuperficiei internæ *indu-*

[*u*] Hipp. Aphor. f. 3. §. 21.

[*v*] Vid. de hoc phæn. eleganter & folide differens celeber G. Alb. Hambergerus in fafcic. differtat. academic. p. 205.

*indurationes* callosæ, *excrescentiæ* ficosæ, *exulcerationes* variæ &c. quorum affectuum peculiaria nunc omittimus nomina: pilorum ciliarium in *trichiasi* introversio & hinc corneæ etiam compunctio atque stimulus: ipsa denique jamjam formata corneæ ulcera altera excipere solent altera, ex helcydrio reliqua graviora, è cœlomate & bothrio fistulæ corneæ, ex epicaumate encauma.

## §. XII.

*Phænomena constituentia & concomitantia*: inspicientibus facile patet in superficie & substantia corneæ convexa solutio continui, excoriatio, arrosio, erosio plus minus profunda & lata, aliquandiu jam perdurans, saniem lymphaticam, purulentam, plus minus copiosam, sordidam, crustosam, acrem, rosivam, pro varia ulceris conditione, fundentes. Aliqua horum ulcerum pelluciditatem corneæ non statim tollunt, alia vero colorem ipsi albidum inducunt. Jungitur tantum non semper, qualis etiam antecedere solet, *ophthalmia*, *rubedo adnatæ*, vasculorum sanguineorum turgentia, sanguinis inflammatoria *stasis*, *ardens*, *lancinans*, pungitiva: vascula sanguine rubentia, in cornea & per corneam trajicientia usque ad locum ulceris. *Luminis sensus* est *molestus* atque dolorificus: cum oculum palpebrasque motitant, videntur sibi *arenulam* bulbo corneæque *affricari*, quæ tamen nulla incidit, nec inhæret. *Visus* ægro *nebulosus*, obscurus, aliquando plane nullus distinctus est, maxime si ulcus è directo pupillæ corneam obsideat latius, profundius aut sordidius. Quomodo supra nominata corneæ ulcera distinguantur à se invicem dispalescit è præmissis §. 4. & seq.? affectus alii cum ulceribus complicati suis quique notis dignoscendi sunt.

Paulo difficiliorem esse diagnosin, si tale ulcusculum s. *exulceratio* resideat *in concava*, interna, *corneæ superficie* jam nuper monuimus. [x] Tales plus semel observavit Præses exulcerationes in ophthalmiis internis. Anteriores corneæ lamellæ tunc ordinario servant naturalem suam pelluciditatem atque nitorem, ut per ipsas transpicere liceat intimam corneæ superficiem concavam, inquinatam nubeculosis albo-flavescentibus maculis & stigmatibus, aliquando late diffusis, per interstitia separatis, aliquando uno saltem exiguo hic ibi loco. Jungitur subinde totius aquei humoris in camera oculi anteriore turbiditas. Molesta insuper est luminis perceptio, visusque obnubilatio.

## §. XIII.

*Phænomena consequentia*: quod benignius est ulcus corneæ, quo recentius, quo magis superficiale nec adeo latum profundumve, quo minus pupillæ è directo obversum, quo ægri sunt juniores & de reliquo sanioris constitutionis, eo curatio est facilior atque perfectior, citra remanentem albidam maculam, longiorem tamen ordinario moram, facilem ægrum, at-

 que

[x] In disp. de ungue oculi p. 9.

que dexterrimum ſedulumque ſibi vindicat ophthalmiatrum. Quemadmodum enim neglectum, ſic etiam perverſe tractatum ulcus corneæ per collyria adſtrictiva, aut intempeſtiva ſeptica profundius decumbit, vel latius ſerpit corneamque penitus perforat, atque ſummis doloribus adſcitis humorem aqueum, quin & aliquando lentem cryſtallinam atque tunicam uveam oculo evocat elicitque ac ſtaphyloma inducit, quin & vel concretionem corneæ p. n. lem cum iride aut cryſtallino, i. e. *Synechiam*, vel, pure ſuper iridem effuſo *Synizeſin*, h. e. pupillæ conſtrictionem & occluſionem efficit: vel ſaltem pure inter corneam & iridem defluo *hypopyum* fundat.

Si cornea & ſuperficies interna palpebrarum ſimul exulceratæ ſint, oculuſque, luminis impatiens, palpebris occluſus obtectuſque diu maneat, ipſa cornea poteſt cum palpebra concreſcere, & ſic dictam inferre proſphyſin. *Epicauma*, ſordidum illud ulcus corneæ, §. 8. nimio & intempeſtivo detergentium uſu facile interiores etiam corneæ lamellas, adhuc integras, perrumpit portamque brevi hinc erumpenti cryſtallino aperit, &, ſicut omnia hæc ulcera ad conſolidationem perducta frequenter, in adultis maxime, aut ſi profunda fuerint, cicatrices ſ. maculas relinquunt albidas atque opacas, ita præcipue duo illa, epicauma & encauma facile poſt ſe trahunt albuginem ſ. *Leucoma*, i. e. cicatricem corneæ ſupereminentem, ſubalbicantem, cui frequenter ſubeſt humor ſpiſſus, condenſatus, lymphatico-purulentus. Ulceri ſordido vel ſponte, vel inepta tractatione per nimiam humectationem & unctuoſam emollitionem ſupercreſcit caro luxurians, *hyperſarcoſis*. Argemon aliquando profundius ſerpit, iridem à circulo interno corneæ ſolvit, ſicque *hippum*, i. e. palpitatorium, nictitantem iridi motum inducit. E bothrio & cœlomate ſequitur *fiſtula corneæ*. *Nome*, depaſcendo, periculoſam miſeramque *oculo* lacerationem & *deſtructionem* minatur. *Ulcus cancroſum incurabile* eſt, niſi tempeſtivæ & plenariæ totius *bulbi extirpationi* locum adhuc relinquat, alias *palliative* modo tractandum. Vidimus etiam *alternantia* corneæ *ulcuſcula* cum cephalæa, illis nempe ingruentibus atque manantibus omnis dolor capitis evanuit, exſiccatis vero & conſolidatis rediit cephalæa.

## §. XIV.

*Pathologia*: Ulcera cornea ſpectant ad *morbos ſolutæ unitatis* mox in ſuperficie magis, mox profundius. *Subjectum morbi* eſt cornea oculi tunica: robuſtior quidem illa, ſed quæ nihilominus facile citoque à cauſis internis & externis atteritur, arroditur, excoriatur, idque tanto magis, quo ipſa pluribus conſtat lamellis, vaſculis atque poris, injuriiſque externis exponitur plus, quam reliquæ bulbi tunicæ. Quamvis autem famigeratiſſ. Fel. Platero duriſſimam hanc eſſe tunicam facile largiamur, inſenſibilem tamen eſſe negamus atque pernegamus: [y] utpote ab hac ſui exulceratione, exco-

[y] Fel. Platerus duriſſimam & inſenſibilem eſſe corneam ſtatuit Obſ. L. 3. p. 107.

excoriatione &c. ſatis afficitur dolorifice. Cæterum quæ nuperrime [z] de hac anatomice differuimus tunica, jam non repetimus. *Subjectum cauſæ* varium eſt, ipſa cornea, adnata, tarſi, palpebræ, glandula & caruncula lacrymales, caput &c.

## §. XV.

*Cauſa proxima* eſt vel *externa*, quæcumque ſtimulans, pungens, ſcindens, atterens, urens, excorians fibras atque tubulos corneæ, affluxum atque ſtaſin humoris lymphatico-ſanioſi concitans fovenſque: vel *interna*, lympha, ſerum acrimonia peccantia, ſanguis copioſus huc affluens, ſtagnans, ſeroſa ſui parte divertens & exundans, corneæ ſuperficiem atque lamellas acrimonia ſua, ceu ſpinis infixis, lacerans & erodens. Ulceratæ ſuperficiei corneæ concavæ ſ. internæ cauſa poteſt eſſe proxima vel humor aqueus impurus acris, vel pus in regione oculi anteriore ſtabulans acre, vel & ipſa prius accuſata, ſed profundior intimiorque humorum ad intimam corneæ lamellam congeſtio atque ſtaſis. *Cauſas remotas* in hiſtoria phænom. antecedaneorum præmiſimus.

## §. XVI.

*Rationem phænomenorum* aliquot potiorum reddituri primo indagabimus: cur ulcera corneæ alia ſint diaphana, alia opaca, candida? Omne corpus pellucidum, ſi condenſetur, albeſcit. Si inſuper tale ulcus corneæ lenta quadam purulenta albeſcente materia obducitur, tamdiu albicat, quamdiu hic inhæret humor. Quæ duo momenta cum ordinario hic concurrant in obſtructa, eroſa, exulcerata atque purulenta cornea, ipſumque ejus ulcus in fundo plerumque imbutum ſit & infarctum humore vitioſo, mirum non eſt, ordinario quoque hæc ulcera albeſcere. Cum vero in aliis arroſio tantum ſuperficialis ſit, humor erodens tenuior & ipſe diaphanus, neque pori ſubjacentium corneæ lamellarum ita obſtructi & infarcti, evincitur etiam à priori, poſſe ulcera corneæ obvenire, quæ hujus pelluciditatem non tollant, qualia etiam revera in praxi obſervantur.

Cur autem in ulceribus tunicæ oculi adnatæ & ipſo argemo, §. 5. quod media quaſi via inter adnatam & corneam conſiſtit, atque rubeſcit quouſque in adnatam extenditur, albeſcit autem ubi corneam attingit, rubedo potius inflammatoria conſpiciatur? A vaſculis eſt ſanguineis, manifeſtis, ipſam ſanguinis purpuram vehentibus, qualibus vero cornea in ſtatu naturali plane non, in præternaturali raro inſtruitur atque inſignitur.

Ulceribus corneæ conſolidatis & cicatrice clauſis ideo maculæ albidæ & opacæ remanent, quod nova & regenerata corneæ ſtamina poros non ſer-

[z] In diſp. de ungue oculi §. 7. p. 12. ſeqq.

ſervarint rectilineos, id quod vel propter ætatem adultiorem, ubi incremento & expanſioni ſolidorum non amplius conceditur locus, & humores fixioribus ſcatent particulis, accidit, vel & ob præcocem & feſtinatam cicatricis obductionem & intempeſtive adhibita adſtringentia.

Per nebulam, aut obſcure & confuſe vident parientes, quibus ulcera in medio corneæ, obverſo pupillæ, hærent vel impura, ſordida, albicantia, vel in omnes dimenſiones auctiora ſunt, quod incidentes radii luminoſi nec copioſe nec libere ſatis tranſeunt per medium ſpiſſius, impurum, male configuratum, ſed reflectuntur partim, partim refringuntur indebite.

Hippus iridis §. 13. ex argemo ſequitur, cum fibræ iridis ſ. uveæ potius, per ulcus intro penetrans, à circulo corneæ interno & loco illo concurſus omnium oculi tunicarum, quem veteres ςεφάνην appellarunt, notabili tractu & ſpatio divulſæ, reliquis uveæ fibris, ſuo puncto fixo adhuc connexis, in motu cedere tuncque tremere ac palpitare coguntur.

## §. XVII.

*Therapia* ſequentes ſuggerit indicationes (α) affluxum ulteriorem nimium arcere. (β) Ulcus mundificare detergere. (γ) Ulcus conſolidare. (δ) Cicatricem lævem, diaphanam, æqualem inducere. (ε) Symptomatibus gravioribus occurrere, e. g. dolori, ſtaphylomati, fiſtulæ corneæ penetranti in primam oculi regionem, ſynechiæ, proſphyſi. (ξ) Recidivam præcavere.

## §. XVIII.

*Primæ indicationi*: ſcil. affluxum ulteriorem nimium arcendi à cornea ulcerata ſatisfacimus, *primo* ſordes, peregrina corpuſcula irritantia, pungentia, oculo illapſa, ac corneæ vel inhærentia & infixa, vel illam certe frequenter aut jugiter laceſſentia tollendo, eximendo, extrahendo, everrendo, eluendo: quamdiu enim infixa talis ſpina inhæret & cauſa immanens, tamdiu manebit non modo affluxus & ulcus, ſed exacerbabitur quoque, &, licet aliquando tale corpuſculum motu palpebrarum, tonico corneæ, arteriolarum pulſatorio, aut excuſſorio per ſternutationem &c. vel & tamdem ipſa lamellarum corneæ emollitione & exeſione ulceroſa, ſede ſua pellatur, excutiatur, dimittatur, tamen ſpontaneæ tali, lentæ, multis modis ſuſpectæ & periculoſæ liberationi & eliminationi minime eſt fidendum.

Sed ampliorem vel ſolus hic articulus meretur tractationem, unde hoc loco ſummis tantum, quod aiunt, digitis tangemus. Sive igitur interna palpebrarum atque tarſorum ſuperficiei, ſive ipſi tunicæ corneæ ſpina talis, & laceſſens peregrinum, ab extus illapſum, illiſum infixumve corpuſculum inhæreat, aut ab aſpera, calloſa, palpebræ ſuperficie interna fricetur atque

que laceſſatur cornea, ſive à pilis ciliaribus, introrſum verſis, jugiter compungatur, operam dare oportet, ut cauſa hæc continens quantocyus *vel* eluatur, eliminetur, inſtillatis ſub palpebras lacte tepido, aqua ſimplici aut mucilaginoſa quacumque, mucilagine ſeminum cydoniorum, aqua roſarum, plantag. &c. extracta, albumine ovi, ſimilibuſque: immiſſis item ſub palpebras hormini ſeminibus, vel minimo quodam cancrorum lapillo, aliove lævi, in formam minimæ lentis effigiato, atque dehinc inſtituto ſimul palpebrarum bulbique motu ſede ſua moveatur corpus peregrinum atque ad oculi angulos divertens, aut alias ad palpebræ limbos propulſum excernatur, quod quidem negotium tanto cedet felicius, quanto levius adhæſerit, minuſque profunde inhæſerit corpus heterogeneum. Sin minus omnium placidiſſima hæc methodus vel quadrare, vel ſatisfacere videatur, tentanda eſt corpuſculi peregrini extractio per convenientem volſellam ſubtilem, cui, ſi opus ſit, ipſa jungi poterit ſuperficialis & provida inciſio juxta tractum infixi corpuſculi, ut ſic facilius & volſella arripi poſſit & extrahi.

Quanta *vis* ſit *magnetis* attractiva, proxime admoti *ad corpuſculum ferreum*, chalybeumve, *corneæ* ſummo cum dolore & periculo *infixum*, quodque volſellis aliave methodo non potuit extrahi, curioſa lectuque non modo, ſed & imitatione digniſſima obſervatione comprobat *Fabricius Hildanus* [*a*]. Similem refert hiſtoriam *Kerckringius* [*b*] acus ſcil. ferreæ deglutitæ & per novennium collo infixæ, tandem vero magnete ad peripheriam allectæ & poſtea feliciter è cute exciſæ. *Vel*, ſi heterogeneum quodcumque tale corpuſculum plane non ſit infixum in ſubſtantiam partium oculi internarum, aut leviter ſaltem adhæreat, inſtrumento lævi, corneo, incurvo, conico-tereti, ſub palpebras diductas applicito ac ultro citroque provide motitato poterit eliminari. Ipſa quoque materia purulenta horum ulcerum, aut liquor lachrymalis, quem copioſum, acrem atque fervidum jugiter ſuper corneam diffundit glandula lacrymalis, ſi diutius detineantur ſub palpebris clauſis, oculoque ſpleniis ac faſciis obtecto compreſſoque, rationem ſtimuli pariter habent, itaque per indicationem, quæ ſtatim ſubnectetur, ſecundam, diligenter elui, abſorberi, obvolvi atque demulceri debent.

*Cilia introrſum verſa* & corneam compungentia, extrorſum vertenda, dicenda, retinenda vel radicitus evellenda, bulbulique eorum caute adurendi ſunt, de quibus vero plura in ſpeciali tractatione trichiaſis erunt dicenda.

*Affluxum* nimium porro ſtudemus *avertere per revulſionem* ac *derivationem* ſanguinis atque humorum, per venæſectionem pedis, brachii, ſcarificationes humerorum, dorſi, nuchæ, blepharoxyſin, ſ. ſcarificationem palpebrarum ſuperficiei internæ per ſcopas illas vegetabiles Woolhouſianas, olim jam ex profeſſo dilucidatas abs Præſide, iterum iterumque repetitam: ſanguinis invitatione ad uterum, anum, in caſu menſium parcorum aut ſuppreſſorum, aut fluxus hæmorrhoidalis emanentis, ſuppreſſi: pediluvia acriuſcula, lixi-

 vioſa,

[*a*] Fabricius Hildanus obſ. chir. cent. 5. obſ. 21. p. m. 401.
[*b*] Kerckringius obſ. anat. 44. p. 99. ſ.

viosa, frictiones artuum frequentiores, enemata stimulantia, medicamenta interna purgantia leniora, non calida, non nimis resinosa: vesicatoria, fonticulos, setacea per lobos auricularum aut cutem cervicis trajecta: revocationem pristinarum manationum saniosarum e. g. achorum capitis, ulcerum pedis, scabiei, fistulæ lacrymalis &c. *Alterationem*, *correctionem humorum corporis noxiorum* per varia interna adpropriata, sanguinem purificantia, temperando calorem, absorbendo & mitigando acrimoniam, discutiendo spissitudinem &c.

§. XIX.

*Secunda indicatio*, ulcus mundificandi, comprehendit *primo* stasis humorum in oculo corneaque discussionem, resolutionem. *secundo* acris materiæ peccantis attemperationem. *tertio* sordidæ, corruptæ, inquinantis materiæ solertem, sed providam absterſionem, ablutionem. *Primum* illud *momentum* discussionis atque resolutionis nuperrime demum in binis disputationibus ocularis, de hypopyo & ungue, exhausimus, ideo lect. benev. eo ablegamus, hoc tamen *monitum* superaddimus: discussioni huic topicæ nec primario nec unice jugiterve inhærendum esse, sed vel conjungenda simul, vel subordinanda esse absterſiva, mundificantia. Duos hos parietes una fidelia dealbant celebres illæ *aquæ ophthalmicæ*, viridis *Hartmanni*, atque *Crollii*, item *solutio lapidis medicamentosi* Crollii, aut *lapidis divini*, cujus præparationem & usum sistit *Yvesius* [c] cum resolventibus, croco, camphora, caryophyllis &c. mixtæ, his quidem, omnibusque acriusculis remediis in refracta dosi additis, ob molestum noxiumque nimiæ irritationis effectum. Unde non modo ad faciliorem camphoræ solutionem in aquis destillatis ophthalmicis, sed ad ipsius quoque mitigationem poterunt aliquot grana cum amygdala excorticata in mortario probe conteri & cum instillata successive aqua ophthalmica intimius misceri.

§. XX.

*Acris* salina *materia peccans*, ex ipso corneæ ulcere, vel aliunde exsudans, oculum lacessens, erosionem ulcerosam adaugens, *temperatur* ac *obtunditur*, *topicis*, subtilissimo pulvere, unguento, aqua ophthalmica, ex absorbentibus, mucilaginosis, unctuosis, e. g. matre perl: pp. l. 69: pp. materia perlata, debite edulcorata, crystall: pp. tut: pp. creta albiss. pompholyge, gum: arab. tragac. rad: alth. sem: fœnugræc. sarcocolla, mucilagine sem: psyllii. cydon. albumine ovi, lacte recenti tepido, ol: è vitellis ovor. Composita officinalia huc apprime facientia sunt ung: de tut. sief alb. cum & sine opio, trochisci albi rhasis &c. it. aquæ destillatæ malv. sambuc. euphras, plantag. sperm: ranar. solani, in quibus insuper, scopo siccandi simul, poterunt accensa mastiches atque thuris grana aliquoties extingui.

*Collyria sicca* pulverulenta placide insufflantur mediante calamo anserino vel

[c] St. Yves trait. des malad. des yeux. p. 198.

vel corvino: *humida*, aquea tepide & guttatim infunduntur: *unctuosa* super ignem leviter fusa instillantur mediante specillo sulcato, vel illinuntur suspensa manu, mediante tenui penicillo pictorum, è pilis subtilissimis consecto. *Post applicationem* vero talium remediorum palpebræ statim adducuntur, & oculus aliquandiu clausus servatur, ne medicamenta justo citius exundent iterum oculo. Lavatur dehinc oculus tepido decocto fl: sambuc. chamom. hb: absinth. &c. ut omnes probe eluantur sordes. *Repetenda* hæc sunt aliquoties per diem, & tamdiu continuanda, donec doloris, ardoris, immodice fluentis seri acris, & ulceris mitigatio notabilis de sufficienti testentur effectu.

E censu *medicamentorum internorum alterantium* sunt absorbentia, terrea, acidulata, nitrosa, gelatinosa, mucilaginosa, diluentia: *evacuantium* vero, laxantia, purgantia, diaphoretica, sialogoga, errhina. Quibus omnibus pro dignitate prosequendis jam obstat brevitatis, quo tenemur, studium.

## §. XXI.

*Tertium momentum*, quod consistit *in sordidæ*, corruptæ, inquinantis & fermenti rationem habentis *materiæ* solerti, sed & provida *abstersione*, ablutione, extersione obtinetur per irrigationem & ablutionem totius bulbi frequentem decocto calido hb: absinth. agrimon. salv. fl: hyperic. &c. coctorum vel in aqua simplici, vel calcis vivæ, applicito dehinc sequenti unguento. ℞. Ung: nihili ʒij. pingued: viper. ℈j. M. D. vel: ℞. Pingued: capon. ʒij. ol: philos. ol: dl: buxi ana gt. vj. M. D. vel: ℞. Ung: basil. - de tut. ana ʒj. ung. ægypt. ʒß. M. D.

Si *pulvis abstersivus*, mundificativus expetatur: ℞. medullæ ossis sepiæ sacch: canar. ana ℈ij aloës socotr. gr. vj rad: ir: flor. ℈ß. M. f. pulv: subtiliss. vel: ℞. sacch: canar. ʒj. croci austr. gr. v. aluminis usti gr. iij. M. f. pulv. De unguentis illis illinatur lenticulæ magnitudine, vel instilletur una alteraque guttula tepida loco corneæ affecto.

Si *collyrium humidum* expetatur, unum è sequentibus adhiberi poterit: ℞. pulv: aloës socotr. - croc: metallor. ana ℈j-caryoph: aromat. gr. v. aq: fœnic-chelidon: maj. rosar. vini albi ana ℥j. M. D. *vel*: ℞. alum: usti ℈j. camphor. gr. iij. essent: myrrh. ʒß. sacch: canar. ʒij. aq: fœnic. - hyssop. - salviæ, - calcis vivæ ana ℥j. M. D. *aqua sapphirina*, item *Crollii* supralaudata, nec non *viridis Hartmanni*, quales in officinis prostant, egregie pariter se gerunt scopo mundificativo. Instillantur quotidie bis terve aliquot guttulæ talis collyrii tepidæ & splenia ipsi intincta palpebris imponuntur.

Conveniunt hactenus laudata medicamenta maxime ad sordida, crustosa corneæ ulcera, minime vero ad profunda & quæ saniem alunt fluxilem, serosamque magis & acrem. In illis enim metus est, ne, per nimiam abstersionem, vel sensim lamellæ corneæ penitus perforentur: in his, ne acre additum acri illud magis tale reddat. Unde & hæ fluunt *cautelæ*: à lenioribus esse incipiendum, ad acriora gradatim adscendendum, omnia tolerantiæ ægrorum

grorum & effectui medicamentorum accommodanda, in quantitate continua & discreta applicandorum remediorum nec timide nec temere agendum, absterſivis atque reſolventibus, ac demulcentibus blandioribus ſubinde alternandum, activiora medicamenta nonnimis diu ſuper cornea bulboque detinenda, ſed poſt aliquam moram iterum eluenda & extergenda. Inter hæc vero *internis* quoque *medicamentis* pugnandum eſt, purgantibus per epicraſin, diaphoreticis, aperitivis, detergentibus, balſamicis, imo & ſpecificis, ſi venerea, ſcorbutica, cancroſa jungatur infectio & cacochymia. E. largiſſimo horum cenſu pauciſſima ſaltem delibabimus: ℞. MP: de ſuccin: crat. ☿: d: rite parat. Reſinæ jalap. ana gr. v. ol: dl: fœnic. gt. iij. eſſent: ſuccin. q: ſ. M. f. pil. nro. XIII. de ☉. D. una doſi pro adulto, & repetantur aliquoties. Vel propinentur magnes: albis. ʒj. ſal: cath: angl. ʒvj. ol: dl: fœnic. gt. iij. ex aqua minerali aut ſimplici, aut deſtillata acaciæ. Apozemata & decocta, bis terve indies calide hauſta, e. g. ℞. hb: ſanic. agrimon. virgæ aureæ chamæpit. flor. hyper. ana ʒiij. rad: chin: ponderos. caryophyllat. ana ℥j. ſarſæp: opt. ℥ij. ſcob: l. ſaſſafr. ʒvj. ſem: fœnic. ʒij. M. C. C. D. it. pulvis: ℞. millep: pp. ſuccin: pp. rad: valer. ſem: fœnic. ana ʒiß. lap: 69: pp. ʒiij. flor: ſulph. ʒß. tart: vitr: t. ʒj. rad: gentian. ʒiß. ſacch. albiſſ. ʒvj. opobals. ver. gt. vj. m. f. pulv. d. mane & veſperi pondere ʒß. vel ʒj. cum aliquot ſcutellis infuſi theiformis modo recenſiti, vel aliquot unciis aquæ viſceralis, aut aquæ hed: terreſtris. Elixir quoque propriet. ſine acido Boerhavii, balſamicum Hoffmanni, eſſentia lignorum, ſuccini, trifol: fibrin. chaqueril. opobalſami, myrrhæ & ſimilia locum habet.

## §. XXII.

*Tertia indicatio* præcipit ulceris conſolidationem. Hæc quidem ipſius principii vitalis maxime opus eſt, in eo conſiſtens, ut deperdita corneæ arroſæ, eroſæ, excavatæ ſubſtantia reſarciatur naturali ſimilis; ars tamen plurimum confert, idque non tantum quatenus impedimenta conſolidationis removet, ſicut in proxime antecedentibus paragraphis tradidimus, ſed & actu talia ſuggerit alimenta & remedia, quæ laudabiles ſuccos humoreſque generant, unde nova appoſitione ſucci glutinoſi & fibrarum expanſione ac elongatione reſtituatur, quod de ſubſtantia partis fuit conſumptum.

*Alimenta* igitur gelatinoſa, bene nutrientia, tenera tamen e. g. juſcula conſummata, gelatinoſa, caro vitulina, ova ſorbilia, cremores hordei & avenæ, farinacea &c. Vinum vetus, dulce, hungaricum, hiſpanicum &c. ad finem paſtus in moderata quantitate commendantur. Ante paſtum propinentur *vel* opobals: ver. gt. v. è juſculo calido, *vel* mane ac veſperi hauriatur ſaccharo canarienſi inſtillatum & *apozemate* dilutum è thea orientali, hb: c. fl: hed. ter. veronic. fl: hyperic. rad: ſymphyt. alth. caryophyllatæ, l: ſantal: citr. ſaſſafr. &c. *vel* exhibeatur ante paſtum elix: balſ. temperatum Hoffm. elix: propr. c. acido bœrh. eſſ: traumat. &c. *vel*, ſi hæc pro ſubjecti

ti & affectus conditione nimis calida videantur, ſequens exhibeatur pulvis: ℞. l: 69: crud. unic: foſſil. hb: agrimon. ana ʒij. ichthyocol: finiſſ. ʒj. maſtiches elect. ʒß. ſpec: diacr: m. ʒij. ſacch: canth: alb. ʒvj. m. f. pulv. d. mane & veſperi, trium cultri cuſpidum quantitate, propinandus ex aq: chæref. ſcabios. hed. ter. aut *aqua viſcerali* [*d*]. *vel* & ſola hæc aqua diu & liberaliter hauſta e. g. ab adulto mane & veſperi 3. 4. 5. unciarum quantitate, & ſirupo ſcabioſæ, aut capillor: vener. aliove edulcorata, ſcopo præſenti ſatisfacere poteſt, ſicut alibi in longe gravioribus & fiſtuloſis ulceribus egregiam & omni expectatione majorem plus ſemel præſtitiſſe operam teſtatur præſes.

*Externa ſarcotica*, ſ. carnem generantia huc ſpectant: albumen ovi, aqua ex albumin. ovor., lac lunæ, creta albiſſ. bol: armen. gum: arab. myrrh. elemi, maſtich. tutia, pompholyx, lap. hæmat: pp. radix aut ſuccus expreſſus ſymphyti, ol: ovor. hyperici opobals. balſam: ſaturni, ung. de tut. de quibus jam nuper in diſp. de ungue oculi p. 21. egimus. Item oleum ſaturni rubrum, cujus meminit Fel. Würz [*e*]. Qualia in forma ſubtiliſſimi pulveris corneæ adſpergi & afflari, vel unguenti poterunt inſtillari quotidie bis terve, prout ſcil. vacuum plus minus repleri & nova corneæ ſubſtantia regenerari incipit, cavendo ne per nimium ſarcoticorum uſum excitetur hyperſarcoſis. Sequentem pulverem extollit, non ſine fundamento J. M. Hoffmannus [*f*] ℞. album: ovor. nro. XX. pone in vaſe ſtanneo ad ſolem, donec exſiccentur, ſubtiliſſime tritis adde ſaccharum in anatica portione, pulvis infletur oculo, ſine morſu ſiccans atque conſolidans.

§. XXIII.

*Quartam indicationem*: cicatricem diaphanam lævem & æqualem inducendi exſequuntur utplurimum & ipſiſſima modo laudata ſarcotica, præſertim in ſubjectis junioribus, imo ſimplici unguento de tutia pulcherrime conſolidata plus ſemel vidit ulcera corneæ præſes. Si quæ vero remanet macula corneæ albida, tentatur ejus abſterſio inſufflato debite aut inſperſo quotidie ſemel vel bis, potiſſimum noctu ante cubitum, polline ſacchari canarienſis, vel raſuræ lapidis lyncis, vel pulvere è ſaccharo canarienſi, teſtis ovorum calcinatis & aluminis uſti tantillo. Sed agemus propediem, DEO volente, de maculis & cicatricibus corneæ delendis ex profeſſo: aliqua etiam prælibavimus jam in diſpp. de hypopyo & ungue oculi, quæ huc trahi merentur.

§. XXIV.

*Quinta indicatio* docet ſymptomatibus occurrere urgentibus. Inter hæc aliquando *dolor* eſt acutiſſimus, pungitivus, aliuſque moleſtiſſimus, cui poterunt opponi: fotus & epithemata. ℞. flor: ſambuc. ſummit: aneth. fol: malv. ana mj. rad: alth. ℥ß. ſem: lini ʒiij. -pap: alb. ʒij. M. C. C. D. *vel* ℞. aq: ſolan. -ſperm: ranar. ana ℥ß. album: ovor: duor. M. conquaſſentur in

 ſpu-

[*d*] Aquam traumaticam compoſitam ſub titulo viſceralis deſcripſit præſes in diſp. de butyro cacao, & novo diſpenſatorio Wirtt. p. 149.

[*e*] Fel: Würz in chirurgia german, p. 2. c. 9. p. 170. & 166.

[*f*] J. M. Hoffm. in ſyntag: pathologico-therapeutico c. 29. p. 194.

ſpumam, ad finem immiſceantur, agitando, ſief: alb. c. op. ʒß. camphor. gr. v. cum amygd: d. excorticata trita, miſc. *vel* palpebris frontique imponatur ung: roſat. & alabaſtrinum.

*Staphylomati* metuendo obviam imus non tantum per collyria, balſama &c. tonico-adſtrictiva e. g. ung. de tut. ſacch: ſaturn. lap: hæmat: pp. terram vitriol: dulc. - lemniam &c. in ipſum corneæ locum excavatum aut perforatum inſinuanda, ſed & impoſita immediate eidem loco lacinia veſicæ bracteatorum auri & huic ſuperpoſito operculo quodam concavo, è cornu tornato, tenui, adductiſque deſuper palpebris, oculum ſpleniis atque faſcia ſic munimus, ut peſſulus quaſi obdatur exiturienti prolapſumque minitanti uveæ, ægro tantum non ſemper ſupino jacente, capiteque decliviori.

*Proſphyſis*, ſ. præternaturalis corneæ concretio cum palpebra, impeditur, partim ſi æger bulbum oculi, ipſo etiam apparatu chirurgico oneratum frequenter motitet gyretque, partim ſub quavis deligatione penicillus ſubtiliſſimus aut aliud inſtrumentum verſet atque circumducat placide inter palpebras atque corneam, partim interpoſitam illis veſicam bracteatorum auri, conveniente unguento, e. g. de nihilo delibutam geſtet.

*Synechiæ*, i. e. p. n.li iridis vel cryſtallini cohæſioni cum cornea, præveniendæ non aliud magis quadrat remedium, quam decubitus ſupinus, capite declivi, oculique laxa, minime compreſſoria vinctura. Quid in formatis jamjam his affectibus, ſtaphylomate, proſphyſi & ſynechia ſit agendum? non hujus eſt loci. *Hyperſarcoſis* generationem amolimur, omittendo intempeſtiva ſarcotica, ulcus probe mundificando, factam vero tollimus exſiccantibus, lenibus ſepticis, qualia commendavimus ſupra §. 21. & 23.

§. XXV.

*Ultimam* denique *indicationem*, recidivam avertendi, paucis adhuc tangemus. Scil. ea corneæ ulcera, quæ à cauſis internis, oculo corporique domeſticis orta ſunt, toties facile recidivant, quoties eædem priores cauſæ recurrunt. Unde & plenariæ actualium ulcerum curationi patienter eſt immorandum & poſthac omnis ſedulo evitandus error, qui malum revocare poſſet per cauſas, in phænom. antecedaneis è cenſu rerum nonnatural. & p. n.lium enarratas.

Sicuti ergo durante ipſo malo ſtrictiſſime regimen & diæta obſervari debent, ita neque poſt peractam quantumcumque feliciter curam frenum nimis laxare decet, maxime vero, ut aliis quamplurimis in affectibus oculi, vitentur luminis ſplendidioris adſpectus, aër calidus, igneus, aut gelidus, borealis, ventoſus, oculis admiſſus, fumoſus, pulverulentus, acris, lucubrationes, cibus acris, valde ſalſus, aromaticus, cepæ, ſinapi, craſſus, crudus, potus nimius vinoſus, ſpirituoſus, pulveris tabaci abuſus. Ventilationes ſanguinis, purgationes alvinæ debito repetantur tempore: ſemen fœniculi mane frequenter maſticetur: palpebræ noctu ante cubitum laventur aqua anhaltina, vel carbunculi, vapor potus caffeæ calidus ſubinde oculis excipiatur, & quæ ſunt reliqua paſſim jam alibi monita.

TANTUM! DIS-

XXI.

# DISSERTATIO MEDICA,

DE

# FISTULA CORNEÆ.

*QUAM PRÆSIDE*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Tuebitur*

MATTH. ABR. MART. GEIGER,

*AUGUSTANUS*

Tubingæ menſe Novembr. anno 1742.

§. I.

DE *fiſtula corneæ* tractationem *ordiri* decet *ab* ipſa *fiſtulæ notione*, quæ tam expedita nondum eſt, ac aliquibus hucuſque viſa eſt. Alii ſcil. hodienum ipſi tribuunt callum, ceu phænomenum & prædicatum eſſentiale ac conſtitutivum, alii hunc tanquam accidens ſeparabile, quod adeſſe poſſit & abeſſe, ſaltem admittunt. Neque lis eſt de lana caprina, aut ſcholaſtica ſaltem de vocibus contentio. Quantum enim ulcus ſimplex, ſinuoſum, cuniculoſum, nulla carnis & integumentorum induratione p. n.li laborans differt ab ulcere ſinuoſo & calloſo, ſive interius & in labiis indurato, tantum quoque differunt utriuſque prognoſis atque therapia.

*Normam* vero ad quam exigere hanc litem oporteat, *vetuſtiſſimos* putamus medicorum *codices*, *Hippocratis* nimirum atque *Galeni*. Nec facile & ſine gravi ratione admittimus ab hiſce medicinæ ſtatoribus atque medicorum anteſignanis recedentes quoad terminorum technicorum uſum quoſcumque ſucceſſores, ne ſcil. perpetuo novaturientium hominum pruritu, inductaque rerum nominumque mutatione ac varietate in tranſverſum agantur diſcentes atque docentes. Paucis ergo & fideliter ex Hippocrate & Galeno ea excerpemus loca, quæ fiſtulæ notionem ſuggerunt antiquiſſimam.

§. II.

Hippocrati omnibuſque græcis σύριγξ, ιγγ@, ἡ, dicitur quod latini fiſtulam vocant. Derivatur à συρίσσω, vel συρίζω, ſibilo, ſibilum edo. Unde σύριγξ proprie fiſtulam denotat paſtoriam, muſicam. Varios vero & alios canales oblongos, in macro- & microcoſmo obvios ſignificat, de quibus videantur lexicographi. Si quod ergo hic pondus ſit etymologiæ, ut ſæpe ſuis convenire nomina rebus non ſolent modo, ſed & ordinario debent, videtur ideo nomen fiſtulæ illis quoque affectibus corporis humani morbificis atque ulceroſis impoſitum eſſe, quod profundius anguſtiſque canalibus excavantur, atque orificio ſuo externo, quod fundo ſuo anguſtius eſſe ſolet, ſaniem atque aërem quaſi cum ſibilo, maxime ſi digitis premantur in peripheria, ſolent eructare, atque ſic fiſtulam referre & ſtructura & ſono.

§. III.

Pathologico-medico ſenſu τὸ συριγγοῦσθαι, item ἀποσυριγγοῦσθαι pluries occurrit in Hippocratis libris [c] denotatque: in fiſtulam excavari, in fiſtulam degenerare, ubi vero nec explicite nec implicite de calloſa duritie fit mentio. *Vexatus* maxime *locus* eſt *Hippocratis* in Coac. Prænot. S. 2.



[c] Hippocr. in Prognoſt. it. in coac. prænot. it. de locis in homine.

§. 511. in editione omnium Hippocr. operum, quæ latine reddita commentario illuſtravit Anut. Foëſius in fol. Francof. an. 1621. Ita vero ſonat ille articulus: ex fiſtulis maxime moleſtiam afferunt, quæ in cartilaginoſis aut cavernoſis locis fieri ſolent, cavæ ſunt & longius excurrunt, aſſidueque ſanie manant, & in quarum oſculo caruncucula ineſt. Facilius autem curantur, quæ in mollibus & carnoſis locis, & non nervoſis oriuntur.

Hoc loco videtur Hippocrates potiſſimum agere de fiſtularum ſpeciebus, quæ ſunt difficillimæ & moleſtiſſimæ, difficultatem vero ad duo maxime momenta reſtringere, loca ſcil. corporis ἄσαρκα, carne vacua & cartilaginoſa, tum & eas fiſtulas, quarum oſculo caruncula, σαρκίον, ineſt: reliqua enim prædicata cavitatis, longioris excurſionis atque manationis ichoroſæ aſſiduæ tantum non omnibus perpetuo competunt fiſtulis, juxta ipſum quoque Hippocratem. Atqui circa verbum μολῦνται, quod quidem Foëſius vertit per: longius excurrunt, varias tamen dubitationes criticas profert: alios ſcil. legere μυλῦνται, h. e. cuniculoſæ ſunt aut tortuoſæ: alios μυλῦται, indurari, occaleſcere, ſic ut illa lectione fiſtulæ cuniculoſæ, hac calloſæ denotenrur. Lectionem vero tolerabiliorem reputat Foëſius, ſi μολύνονται, ponatur & ſic eæ hic dicantur intelligi fiſtulæ, quæ in ano & podice conſiſtunt, abominandum fœtorem ſpirant & operoſam ac difficilem curationem ſubeunt.

Verum enim vero, præterquam quod tantum non omnes præcipuique codices τὸ μολῦνται retineant, ex hoc tamen aphoriſmo non evincitur neceſſitas calli in fiſtulis, ſed major ſaltim moleſtia & curandi difficultas, ſi fiſtula cum callo ſit conjuncta.

## §. IV.

Neque *caruncula*, quæ fiſtularum nonnullarum orificio appoſita dicitur loco Hipp. mox citato, ullo modo callum, carnem induratam, *denotat*, ſed *præternaturale* ſaltem *carnis*, luxuriantis, *augmentum*, quod germanice *wild Fleiſch* vocamus, quodque Hippocrates in lib. de medico [*d*] & alibi ὑπερσάρκωσιν, ἕλκεα ὑπερσαρκεῦντα nominat. Minime hinc adſtipulamur probatiſſimo cætera commentatori *Proſpero Martiano*, quem Hippocratis genium ſalutavit Bartholinus: ille ſcil. [*e*] in not. ad loc. Hippocr. modo allegatum è libro de medico τὰ ἕλκεα ὑπερσαρκεῦντα, ulcera quæ ſupercreſcentem carnem habent, ſic explicat: *quando ſcil. ulceribus caro, ſ. callus, ſupercreſcit.* Imo vero ex eodem Hippocr. loco clariſſime patet, *ulcera fiſtuloſa* ab ipſo ſimpliciter dici, quæ in *profundum tendunt*, & quæ *cicatrice ſunt obducta* & *intus cava.* Itaque nullum calli veſtigium hic occurrit. Integer locus ſic ſe habet: at vero ulcera quatuor progrediendi modos mihi habe-

[*d*] Hippocr. L. de medico p. 21. §. 30.

[*e*] In libro quem inſcribit: magnus Hippocrates Proſperi Martiani notationibus explicatus fol. Venet. an. 1652. p. 7. a.

habere videntur : unum quidem in profundum, cujusmodi sunt fistulosa, cicatrice obducta, & intus cava : alterum quo ad superiora tendunt, velut quæ superexcrescentem carnem habent : tertium in latum, qualia quæ serpentia dicuntur : quartus modus est, qui solus secundum naturam motus videtur.

§. V.

Aliud validiusque argumentum, pro callo fistulis proprio, hauriunt nonnulli ex *Hipp. loco de fistulis*, ubi non solum exedentia medicamenta e. g. succum majoris tithymali, florem æris ustum, fistulæ immittere, sed & filum lineum quincuplex, seta equina circumvolutum, ne filum cito computrescat in fistula, per hanc traducere & singulis diebus intendere ac copiosum æris florem ustum inspergere, idemque septem diebus facere jubet, ac intra hos fere dies *fistulæ tunicam* consumi prætendit: Τὸν χιτῶνα συίπεθαι: per τὸν χιτῶνα vero Hippocratem voluisse callum designare contenderunt plurimi.

Neque potest negari, quod ὁ χιτὼν, ον, tunica Hippocrati videatur fieri è materia crassiore, μήνιγξ vero è tenuiore, sicciore ac solidiori, ea fere distinctione, quæ inter tunicam & membranam statuitur ab anatomicis.

Sed per hanc *fistulæ tunicam* posse etiam *intelligi vel* varias membranarum in fistulis lacinias carniumque lacerarum fragmenta, quæ illarum loculos efficiunt atque cuniculos, uti haud in frequenter talium frustilla è fistulis denique protruduntur sponte, aut volsella extrahuntur : *vel* & ipsam intestini recti tunicam (loquitur enim Hippocrates in toto de fistulis libro saltem de fistulis ani) orificio nondum satis patulo hiantem : *vel* ipsam ani cutem, quæ natura crassior est, ac in aliis fistulis plane nondum exesa & perforata est, in aliis non sufficienter : *vel* & membranam quasi cutaneam, qua solent passim obduci labia atque parietes ulcerum sinuumque &, licet illa non sint callosa, impedire tamen consolidationem, à vero tam alienum haud videtur.

Quod si vero largiamur, hanc in fistulis tunicam designare callum, i. e. solidam quamdam, albam, sensus & humoris expertem carnem, sicuti definit callum Paulus Ægineta, atque sic in fistulis ani non tantum, sed & aliis quibuscumque callum conjungi posse ac solere satis frequenter; tamen inde *non sequitur : ergo omnis fistula est cum callo*, aut quæcumque sic dicta fistula callum non obtinet, illa nec olim vocata est fistula, nec hodienum meretur talis appellari.

§. VI.

*Finitiones medicæ*, quæ Galeno communiter adscribuntur, *vindicant fistulæ*

*callum* expressis verbis, quæ hæc sunt: [*f*] Syrinx i. e. fistula, tubulus est callosus, angustus, oblongus, interdum etiam obliquus, os habens, cui cicatrix obduci nequit, quod humor certis temporibus tenuis excernitur. Hanc fistulæ acceptionem sequuntur è græcis *Paulus* Ægineta, *Aëtius*, *Actuarius* &c. inter latinos C. *Celsus*, *Arabum* quoque *plurimi*.

Quantum vero, aliis etiam è rationibus, acutissimi dubitavere critici de prætenso illo Galeni fœtu, spuriasque ac suppostitias potius esse finitiones illas medicas prætenderunt; tantum & hoc ipso de fistulis momento confirmatur hæc suspicio, siquidem è statim subjungendis aliis, *Galeno* extra dubium adscribendis, passibus elucescet, quod ipse callum non constituerit fistulæ essentialem, sed *expresse distinxerit inter fistulas callosas & non callosas*.

Mox enim de medicamento loquitur, [*g*] quod & fistulas jungat, & callosas jam exsiccet, contrahat & claudat. Mox ad Glauconem scribit [*i*]: vidisti vero ipso (scil. medicamento, quod cirrhum i. e. fulvum vocant) sanatas *fistulas* aliquando, in quibus angusto longoque existente foramine, *cum nondum intus callum haberent*, *sed sorditiem solum*, immisi primum lixivium &c. Imo *Celsus* ipse [*i*], qui, licet in principio capitis de fistula, hanc nominari dixerit ulcus altum, angustum, callosum, paulo tamen post inquit: *vetustate callosa fit fistula*: atque sic apertissime tradit, fistulam dari, quæ ab initio non sit callosa, vetustate vero talis fiat, id quod & methodus curandi ejus testatur. Hinc vere dixit Celsus, fistulam nominari ulcus altum, angustum, callosum, utpote callo sæpius adjungi solito ejusmodi ulceribus altis angustisque, sed ideo tamen non prætendit, ulcus quod non est callosum, sed tamen angustum, altumque non vocari fistulam.

## §. VII.

Itaque videat à factione remotus lector, an juxta antiquissimam ex Hippocrate & Galeno fistulæ acceptionem, recte senserit *Tagaultius*? Qui [*k*] callositatem cum forma fistulari differentiam essentialem fistulæ constituit ab ulcere sinuoso. Liberum vero cuique relinquimus, malitne Hippocratem atque Galenum, an vero Paulum, Aetium cæterosque sequi? Nobis videtur notionum valor ab ipsis primis, vel antiquissimis certe ac probatissimis petendus authoribus. Unde *fistulam* nos definimus: *ulcus excavatum tubulo augusto, alto, mox recto, mox obliquo, varieque flexuoso, uno pluribusve, orificio*

[*f*] Author finit. medicar. Galeno adscriptarum. p. 49. a.

[*g*] Galenus de compositione medicament. per genera. L. 4. p. 245. lit. c.

[*h*] Galenus de arte curativa ad Glaucon. L. 2. vers. latin. p. m. 106. & text. græc. p. 218. §. 10. Ipsius hæc st. verba: Εἴδες δ' αὐλῷ καὶ σύριγγα θεραπευθεῖσαν, ἐφ ἧς ῥεύσης τ ἕσης ὀπῆς, καὶ μηδέπω μοι φαινομένης ἔχειν ἔνδον ἐν αὐλῇ ἰλύν, ἀλλὰ μόνον ῥῦπον. &c.

[*i*] Corn. Celsus de re med. L. 5. c. 28.

[*k*] Joh. Tagaultius instit. chirurgicar. L. 3. c. 18.

*orificio auguſtiore, fundo ampliore præditum, ſanie manans, cui frequenter albida parietum internorum, fundi, & labiorum jungitur induratio, ſ. callus, aliquando etiam oſſis caries.*

## §. VIII.

Præmittenda hæc erant, tum ut diſtinctam claramque fiſtulæ notionem exhiberemus, tum veniam præoccuparemus vocandi & illas corneæ fiſtulas, quæ callo deſtituuntur. Has vero jam ſpecialius explanabimus methodo nobis familiari per recenſionem primo phænomenorum antecedentium, conſtituentium ſ. concomitantium atque conſequentium, dein pathologice, ultimo therapeutice.

*Phænomena antecedanea* hæc ſunt: omnia illa, paſſim alibi in diſputationibus præſidis de ungue oculi, & ulceribus corneæ recenſita, & *quæ* in genere *ulcera inducunt corneæ*: In ſpecie vero *medicamenta* ocularia topica vel *nimis acria & ſeptica*, vel intempeſtive *repellentia & adſtringentia. Illa* ſcil. in profundum erodendo ſerpunt inter lamellas corneæ tandemque has intro perforant: *hæc* ſaniem ad interiora cogunt & ſubſtantiam corneæ indurant. *Ophthalmiæ* habituales, aut frequentes ſaltem, chronicæ, ſordidæ. Ex ulceribus corneæ bina illa, quæ vocantur *Bothrium*, ſ. ulcus corneæ exile, cavum, anguſtum, purum, ſine ſordibus purulentis aut cruſtoſis, capitulum aciculæ capitatæ referens amplitudine, & *cœloma*, ſ. ulcus corneæ cavum, rotundum, latius, ſed minus profundum bothrio, reſidens ordinario in illa corneæ regione, quæ iridi proxima eſt. Unde in nupera diſp. de ungue oculi aſſeruimus, hæc bina ulcera ordinarios fiſtulæ corneæ natales præbere. Antiquorum imo nonnulli videntur *ſub nomine bothrii* aliqua innuiſſe, quæ *ad fiſtulam* corneæ pertinent. *Scrophuloſæ*, *ſcorbuticæ* & *lue venerea* infectæ perſonæ frequentius aliis experiuntur corneæ fiſtulam. *Vulnera corneæ* punctim inflicta per totam ejus ſubſtantiam penetrantia. Hinc & *vulnus corneæ*, *in operatione hypopyi* inflictum, vel per ſubjecti conditionem, vel medentis vitium poteſt evadere fiſtuloſum. *Ipſum* vero pus in affectu, qui vocatur *hypopyum*, poſt corneam in prima oculi ſic dicta regione deliteſcens, copia auctum & acre roſivum redditum, perforando denique corneam, per ſe etiam valet corneæ fiſtulam efficere. Idem reſpectus eſt *myocephali* & *ſtaphylomatis.*

## §. IX.

*Phænomena conſtitutiva* atque *concomitantia.* Corneæ ſolutio continui per cuniculos ſinuſque anguſtos, ſanioſa manatio chronica, pauca ordinario, per orificium exile, cum ejuſdem, vel parietum fiſtulæ internorum calloſa frequenter induratione. Fiſtula hæc in corneæ dimenſiones ſe varie diffundit, longitudine, latitudine & profunditate, mox centro corneæ propior,

mox peripheriæ : nunc corticem magis lambit, nunc altius se demittit, & sub anterioribus corneæ lamellis l. recto, l. obliquo, l. transverso, l. perpendiculari, l. tortuoso procedit reptatve gressu. Igitur in ordine ad has directiones aliaque phænomena, fistulam corneæ dividimus in *Completam* & *Incompletam*, *Simplicem* & *Compositam*. *Completam* vocamus, quæ in externa & interna superficie corneæ orificiis suis patet, eamque subdividimus in *rectam & sinuosam* s. flexuosam, quas statim illustrabimus. *Incompletam* appellamus, quæ in alterutra saltem hiat corneæ superficie, sive externa, sive interna, qualem communiter cæcam appellare solent fistulam atque sic vel in *intus cœcam*; vel *extus cœcam* dispescemus [*l*]. *Simplicem* vocamus, quæ sine callo est, *compositam*, quæ cum callo. *Woolhousius* dividit fistulas corneæ in rectam, sinuosam & cœcam.

## §. X.

Fistula *completa*, quæ etiam penetrans, totalis, perfecta potest appellari, eaque *recta*, cunctas corneæ lamellas à vertice ad basin recta perfodit, in cameram oculi penetrat anteriorem, suoque foramine exilissimo non modo partem saniei transmittit in humorem aqueum, sed hunc quoque transmittit foras. Sic vero transmittit, ut *vel lente roris* instar transudet humor aqueus interdiu, oculoque detecto, libero : *vel* ad justam oculi plenitudinem noctu, oculove clauso collectus; postea, palpebris apertis, *vi* quasi per siphunculum tenuissimum elisus arcuatim & in longinquum prosiliat.

Fistula hæc corneæ *recta dignoscitur à* simplici *vulnere*, punctim inflicto ac exili, fistulam mentiente, quod hoc sit absque sanie, multoque magis sine callo, recens à causa externa ortum; quale quidem vulnusculum per moram sponte, aut inepta tractatione dehinc facile transit in ulcus & fistulam. Facilius insuper discriminatur *à myocephalo*, i. e. exiguo illo, muscæ caput referente, prolapsu uveæ per corneæ vulnus vel rupturam, quoniam in hoc manifeste conspicitur incuneatum vulnusculo aliquod corpus tunicatum & supra illius superficiem eminens, gryseo fuscum, vel fusco-nigrum.

Sed

[*l*] Fistulæ in universum alterutra dumtaxat in superficie partis affectæ, interna, vel externa, hiantes appellantur cœcæ. Communiter vocatur cœca interna, quæ aperturam habet saltim extus, s. foris, nullam vero intus : cœca externa vero, quæ aperturam tantum habet intus, & extus nullam. Distinctius hanc differentiam exprimi censet Petitus, celeber. chir. parif. si conjunctio *et* interponatur, atque dicatur : fistula cœca & interna, quæ denotet aperturam fistulæ intro vergentem, nulla foris s. extus præsente apertura. Atque sic vice versa : fistula cœca & externa. Nobis videtur adhuc clarior idea nasci, si fistulam intus cœcam, & fistulam extus cœcam dicamus. Illa intus clausa, sed extus aperta est : hæc extus clausa est, sed intus aperta. To cœcum enim supponit finem canalis, tubuli, sinus &c. clausum : fistula vero tubulum c. orificio.

Sed *altera fistulæ completæ species* est *tortuosa sinuosa*, quæ scil. ab externo suo orificio in superficie convexa corneæ decurrit flexuoso ductu uno, vel pluribus, inter lamellas corneæ, in profundum descendit intimamque ejus lamellam pertundit, id quod vel è sola humoris aquei per orificium lenta exstillatione, etiamsi oculo pleno, satis cognoscitur, à fistula vero recta dignoscitur, quod in hac idem humor aqueus, bulbo oculi satis per humorem aqueum distento, per arcum impetuose prosiliat, atque orificium hujus fistulæ sinuosæ, penetrantis in cavum oculi, externum directe haud respondeat orificio interno.

§. XI.

*Fistula incompleta*, *intus cœca*, angusto hiat orificio in superficie convexa corneæ, non tam in profundum, quam latum potius sub pelliculis corneæ reptat, & cuniculos agit plus minus l. rectos, l. obliquos, flexuosos, tortuosos, unum pluresve, neque tamen intimam ultimamque pelliculam corneæ perforat, nec in cavum oculi penetrat usque. Accuratius inspiciens ophthalmiater observat itaque nonmodo externum hujus fistulæ tenuissimum orificium, emanantem ex eo, aut expressam, saniem, sed & sub extimis corneæ lamellis transpicientes atque candicantes, vel flavo-albescentes diversos unius, pluriumve sinuum, tractus, qui varias æmulantur figuras litteræ I majoris, vel S, vel V, vel Z. &c. Orificium talis flexuosi ductus modo positum est superius modo inferius ipso ductu, modo à latere. Aliquando duobus in superficie hiat orificiis tortuosa hæc fistula, altero ubi ulcus corneæ primo subnatum est, altero circa locum decliviorem, aut versus circulum corneæ externum.

§. XII.

*Fistula completa*, *extus cœca*, est, quando abscessus, aut ulcus corneæ intimas hujus lamellas trajiciens saniem infundit anteriori oculi cameræ, sic tamen ut in superficie externa corneæ nullum compareat illius orificium. *Utræque* hæ fistulæ incompletæ, nempe intus cœca, & extus cœca *differunt ab ungue oculi*, quod in hoc pus sit in unum locum coacervatum, stagnans inter corneæ lamellas, sic ut hæc nullam plane nec extus, nec intus patiatur in superficie continui solutionem, sed instar clausi abscessus se habeat, sicque discrepet manifeste ab omni ulcere & fistula corneæ.

§. XIII.

Fistulas corneæ alia atque alia *comitantur phænomenà*. In aliis adest *ulcus* corneæ *externum*, excoriatio saniosa, solutio continui diffusa, qualis vel antea jam adfuit, quam fistula generaretur, & cum ipsa adhucdum subsistit, vel fistulæ demum supervenit, junctaque manet. In aliis *cornea* definitto

finito exiguo ſaltem ſpatio, cui nempe fiſtula innidulatur, *opaca*, *albida*, *albo-flaveſcens* eſt, in peripheria vero naturalem ſervat pelluciditatem, in aliis *amplior* eſt *opacitas* & albicantium fiſtulæ ſinuum expanſio. Ob eamdem quoque diverſitatem non modo, ſed & determinatam ulceris fiſtulæque in medio, ſ. centro corneæ ſedem, *viſus* plus minus *imminuitur*, *aboletur*, *depravatur*: fit nimirum obſcurus, nebuloſus, indiſtinctus, denique aliquali ſaltem luminis perceptione ſuperſtite, aut dolorificus evadit, luminis impatiens, confuſus, præcipue ſi, quod ſæpe fit, ſimul jungatur ophthalmia ſ. externa ſ. interna: maxime vero atque *ſubito viſus aboletur*, ad tempus certe, quotieſcumque poſt eliſum in fiſtula recta omnem, vel majorem, humoris aquei portionem, cornea ſubſidet atque corrugatur.

*Callus*, quem antea §. 7. fiſtulis non eſſentialem quidem, ſed frequentem tamen declaravimus, has quoque fiſtulas corneæ frequenter & ordinario comitatur, ſic ut indurata, albida, inſenſibilis ſubſtantia, i. e. callus, occurrat vel in ipſo ſaltem fiſtulæ orificio, vel in ductu, vel fundo, vel & junctim.

## §. XVI.

*Phænomena conſequentia*: huc ſpectant pleraque, quæ nuperrime [*m*] ſunt tradita, quatenus corneæ ulcus vel præceſſit & comitatur fiſtulam, vel ſecutum eſt. Fiſtulam corneæ completam rectam ſequitur, oculo aperto & motu ſuo naturali agitato, vel digitis preſſo, *humoris aquei effluxus*, vel lente extillantis, vel ſemel atque ſimul cum impetu evibrati, inſtar liquoris per tenuiſſimam Anelli ſyringam exploſi: hinc ſtatim *collabitur*, applanatur aut rugoſa fit *cornea*, *viſus aboletur*, *anterior* oculi *camera*, ſive ſpatium naturale inter corneam ac iridem *tollitur* maxima parte, *cornea* imminet & *contigua fit iridi* atque *pupillæ*, imo uvea atque pupilla lenti cryſtallinæ incumbunt immediate, ſicque totus *oculi bulbus fit contractior*, exilior, ut in microphthalmia aut tabe oculi.

Si poſt excretum hoc modo humorem aqueum oculus ſplenio faſciaque modice vinciatur & quietus ſervetur, *denuo colligitur* ſucceſſive *humor aqueus* intra 24. vel 48. horas, ſicque & plenitudinem oculo & viſum reſtituit; aſt detecto, faſciiſque ſoluto, muſculiſque ſuis motitato oculi bulbo, prior denuo luditur ſcena, *humor aqueus iterum effunditur*, cornea ſubſidet &c. quæ phænomena hoc modo alternant in principio fiſtulæ per aliquod tempus, ſi modo poſt ſingulas excretiones oculus ſtatim debite contegatur. vinctuſque maneat aliquandiu.

## §. XV.

Si vero fiſtula hæc, quamprimum eſt formata, aliquot diebus aëri libero manſerit expoſita, tunc *cornea* ordinario *tota opacatur* & deprimitur, *iris*

[*m*] In diſp. Præſidis de ulceribus corneæ §. 13. p. 12.

*iris tonum amittit*, facile *adhærescit corneæ* ac *lenti crystallinæ*, i. e. synechiam efficit, *reliquus* ab excretione, vel denuo generatus *humor aqueus* stagnat, saniosus evadit & purulentus, tunicas internas oculi, & crystallinum vitreumque *inquinat*, *arrodit*, *destruit*, & incurabile reddit malum, ut hinc vel idem fistulosus & ulcerosus maneat status, vel omnino deformis totius œconomiæ oculi destructio sequatur. Hæc fistulæ corneæ ea est conditio, cui quadrat tristis Antonii prognosis, in nostra præfatione recensita.

E contrario *si statim*, aut in principio minimum, & tempestive satis debita *adhibeatur medela*, *omnia sunt in salvo*, fistula consolidatur, structura oculi conservatur, visus manet integer & cicatricis leve, vel nullum in junioribus, relinquitur vestigium.

## §. XVI.

*Fistula sinuosa*, *quæ ductum* suum *extendit* in latum, sed *in linea recta*, *facilior* est curatu, illa, quæ angulosis & anfractuosis cuniculis reptat, quoniam hi non æque facile & plene per incisionem chirurgicam aperiri possunt: quo magis etiam hi *sinus in profundum* tendunt, aut ipsam quoque *intimam corneæ lamellam perfoderunt*, eo *difficilior* est curatio, l. plane nullum amplius locum habet. In *fistula extus cæca*, sed in cavum bulbi penetrante, lupum auribus tenemus. Si nempe sibi relinquatur intacta, accumulabit successive suum ichorem in cameram oculi anteriorem, dictasque ante (§. 15.) turbas excitabit: si medelæ subjiciatur chirurgicæ, per incisionem & apertionem sinus ductuumque, & extirpationem calli, metus est, ne corneæ nimis amplum infligatur vulnus, vel nimium de ejus substantia perdatur, ut dehinc vel plane non, vel per deformem certe opacam amplamque consolidetur cicatricem. Quale tamen remedium adhuc tentare liceat, infra §. 27. & 28. declarabimus.

Utrobique vero in omnibus illis *fistulæ speciebus*, modisve, *quæ callum habent adjunctum*, nulla, nisi hoc deleto, constantis curæ spes affulget. Quo sinus fuere profundiores pluresve patiensque adultioris ætatis, eo post curationem vel profunditas atque *opacitas*, vel *numerus macularum* albidarum erit auctior. *His tamen* ad ultimum licet *aliquando* adhuc *medicinam parare*, qualem contra cicatrices & maculas, ab operatione hypopyi & unguis, aut ulceribus corneæ oriundas passim publice jam commendavimus.

## §. XVII.

*Pathologia*: fistulam esse *morbum soluti continui* in confesso est. Quænam vero sit ejus ratio formalis, & quomodo differat tam in genere ab aliis solutæ unitatis morbis, quam in specie à similibus cæteris corneæ læsionibus patet ex aphorismis præmissis.

*Subjectum morbi & causæ* fistulæ corneæ constituit *cornea* oculi tunica.

*Conſideranda* hæc eſt, qua naturaliter pellucida, ab extus convexa, lævi politaque ſuperficie gaudens, ſubtiliſſima epidermide, ex adnata oculi proficiſcente obtecta, vaſculis ſui generis irrigua, pluribus conſtans lamellis arcte unitis, craſſa, robuſta: quibus autem qualitatibus, ſtructuræ & functioni plurimum & varie derogatur in ſtatu p. n.li fiſtuloſo.

*Cauſa proxima eſt ſanies*, ſtaſi, reptatu inter corneæ lamellas, acribus particulis erodens, ſalino-figentibus indurans orificia & latera ductuum ſinuumque fiſtuloſorum. Unde cum ex anguſtiſſimo orificio externo non poſſit libere ſatis ichor emanare, è cuniculis, ſerpentinis maxime, diffundit ſe hic in longum, latum & profundum, fiſtulamque vel rectam, vel ſinuoſam efficit: fiſtulam v. extus cœcam, quæ ſcil. nullum foras emittit orificium, tanto cudit facilius, quod plane nullam puri ad extus concedit eruptionem, idque vel quatenus jam ad intimas corneæ lamellas decubuit pus, vel extus calloſa durities, aut intempeſtive obducta cicatrix puri obicem ponit exiturienti.

## §. XVIII.

Unde ergo cœca hæc fiſtula ſaniem eructat ſuam in anteriorem oculi regionem, *principium & incrementum hypopyi fundat*, deſtructionem oculi minatur, difficilem dubiamque reddit curam, ut ſupra monuimus §. 16. In fiſtula vero completa & recta *cur humor aqueus* certis temporibus cum *impetu* & radiatim *elidatur?* Cauſam ſtatuimus motum tunicarum oculi, tendineæ præſertim, tonicum, qui contenta ejus circumcirca à peripheria verſus centrum in ſtatu naturali & præternaturali continuo premit, humorem vero aqueum, ad juſtam bulbi plenitudinem collectum, exprimit per orificium tenue & rectum, ceu locum minoris reſiſtentiæ: intenditur & augetur quoque tonicus hic motus per actualem motum bulbi muſcularem, palpebris apertis, foramini fiſtulæ non amplius applicitis appreſſiſque. Eliſo ſic, aut pedetentim, ſed jugiter, exſtillante humore aqueo, neceſſe eſt, *corneam ſubſidere*, *iridem contiguam fieri corneæ*, *cryſtallinum vitreumque* humores *arctius* non tantum *uveæ apprimi*, ſed & verſus anteriora *ipſamque corneæ ſuperficiem* internam *urgeri*, atque vel tandem *ſynechiam* (§. 15.) effici, maxime ſi internarum oculi membranarum, de quibus hic quæſtio eſt, adſit, aut ſuperveniat ex inflammatione, aut ichore in locum humoris aquei è fiſtula redundante, aliqualis excoriatio & ulceratio. Quod *viſus diſtinctus* è veſtigio & *tollatur* per collapſum ac corrugationem corneæ, & ſublatus maneat, manente hoc collapſu ac ſuperaccedente ſynechia, mirum haud eſt, cum debita radiorum refractio & collectio in focum tot impediatur modis.

Cæterum ex his etiam obſervationibus conſtat evidentiſſime, quod *humor aqueus*, oculo excretus, *ſucceſſive regeneretur*, atque *viſus*, antea hinc amiſſus, *reſtituatur*, idque *citra* artificium & *arcana*, olim à Burrho cæteriſque

riſque thraſonice jactitata : atque ſic etiam panico percellantur terrore, qui ab humoris aquei excretione infallibilem nectunt præſagiuntque cœcitatem, cum tamen è *Galeno* [ *n* ] dudum aliud rectiuſque potuiſſent addiſcere, quamvis & ille ipſe huic obſervationi raræ videatur obſtupuiſſe.

## §. XIX.

*Therapia* has ſuppeditat *indicationes*, eo, quo recenſentur, ordine, vel & mutato hoc, pro phænomenorum varietate, exſequendas.

(1) Affluxum p. n.lem humorum ab oculo revocare.
(2) Staſes humorum, lymphæ, ſanguinis, ſaniei in oculo, præcipue cornea, diſcutere, reſolvere.
(3) Callum, ſi adſit, tollere.
(4) Cuniculos ſinuſque aperire.
(5) Ulcus blandis mundificare detergentibus.
(6) Id ipſum ſinuſque quantocyus conſolidare.
(7) Lævem ac perſpicuam inducere cicatricem.

## §. XX.

Qui per *primam indicationem* præcipitur ab oculo affecto revocandus p. n.lis humorum affluxus, oritur maxime vel ab adjuncta ophthalmia, vel ſanie acri, attrahente per modum ſtimuli, vel ab ipſa, quæ fiſtulæ opponitur, operatione chirurgica, ſtatim pluribus explicanda. Symbolam huc quoque ſuam addunt medicamenta, acria, ſtimulantia, luminis aërisque liberi frequens aut perpetua admiſſio, bulbique motus perpetuus.

Quamobrem omnium primo *cauſas* haſce *ſtimulantes*, ultimo recenſitas *tollere* oportet ac emendare, dehinc *affluxum revellere* ac *derivare* per *ſectionem venæ* pedis, brachii, jugularis κατ' ἴξιν, angularis ejuſdem oculi venæ, *blepharoxyſin*, aliquoties repetitam, *hirudinum* poſt auriculas *applicationem*, *cucurbitulas ſcarificatas* in humeris, dorſo, nucha : *pediluvia* acria, lixivioſa, tepida : *ſuppedanea* acria : *veſicatoria* in ſuris pedum, brachiis, interſcapulio, nucha : *clyſmata* leniter ſtimulantia : *fonticulos* in brachio : *ſetacea* per lobos auricularum trajicienda, aut in nucha ponendum : *revocationem aliorum ulcerum* atque efflorescentiarum puſtuloſarum per attrahentia, rubefacientia, veſicatoria. Per medicamenta *interna* leniter *purgantia* per epicraſin : blanda *diaphnoïca*, *diaphoretica*. Plura de ſpeciali ſingulorum



[ *n* ] Galenus de ſympt. cauſis L. 1. c. 2. p. m. 15. Lit. D. Dignus eſt locus, qui totus huc apponatur : Cæterum incredibile quiddam, nec fieri vulgo ſolitum in puero vidimus, qui ſtylo in pupillæ loco fuerat compunctus. Nam cum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſior. Cæterum ſanatus, poſtea recte vidit, collecto ſcil paulatim eo, qui effluxerat, humore. Verum hæc rara ſunt. Cæcitates autem ejuſmodi vulneribus plerumque ſuccedunt.

ùſu ac delectu non addimus, ne cramben hanc toties recoquamus, ùtpote in præcedaneis aliquot diſſertationibus ocularíis coctam jam atque recoctam. Prudens atque ſagax ophthalmiater facile quoque ſubolfaciet, an, quomodo, quando, quamdiu his ipſis revulſoriis atque derivatoriis uti remediis oporteat, conveniatque? Item quæ diſcutientia & reſolventia, aut mundificativa ſint ſocianda?

§. XXI.

*Secundam indicationem* diſcutiendi, reſolvendi ſtaſes lymphæ, ſanguinis, ſaniei ſicco pede tranſimus, quod illa ex profeſſo in nuperrimis diſſertationibus ophthalmcis jam ſit pertractata, inſuper vero hæc ipſa in præſenti fiſtulæ caſu poſt agmen ſtet, & contra conjunctam ophthalmiam unice, vel maxime ſaltem militet. *Collyriorum* vero *liquidorum*, corneæ inſtillandorum, ſive illa ſint reſolventia acriuſcula, ſive ſeptica, *minus tuta fides* eſt in caſu fiſtulæ completæ & præſertim rectæ, quoniam in cavum bulbi tranſeuntia moleſtam, quin periculoſam irritationem poſſent inferre.

§. XXII.

*Tertia indicatio* jubet callum, ſi quis adſit, tollere. Obſidetur vero plerumque orificium externum, quin & tota illius ductus minima cavitas aliqua levi duritie aut ſaltem cuticula quadam, quales conſolidationi remoram injiciunt & impedimentum. Septicis vero ac cathæreticis remediis, quæ callo deſtinantur alias, minime hic locum eſſe è ſuperiore diluceſcit paragrapho. An autem ideo, quod hoc modo ulcerum corneæ fiſtuloſorum oræ calloſæ nequeant conſumi, fiſtula corneæ ſit promiſcue incurabilis, ſive abſque remedio, ut prætendit Antonius, jam diſpiciemus? Sequemur autem veſtigia ingenioſiſſ. & expertiſſ. Dn. de *Woolhouſe*, qui rationalem hancce methodum tenuit olim ac commendavit Præſidi, à nobis jam porro digerendam, illuſtrandam, augendam.

Nimirum ſi *in principio fiſtulæ*, non diu ab ejus formatione, in conſilium vocetur ocularius medicus, oculo tum propter humoris aquei excretionem aliquantum collapſo *ſtatim imponat ſplenium* ex octuplicato linteo, imbutum aqua deſtillata roſarum, in qua tutiæ fruſtum, in crucibulo ignitum aliquoties fuerit extinctum, illudque molliter palpebris affecti oculi ſuperliget: *veſicatorium* imponat *nuchæ*, *ſanum oculum* pariter *vinciat* & contra lumen defendat, *ægrum* in lecto quaſi *horizontaliter decumbere*, & *juſculis tantum carnis*, immixta ſemper antimonii diaphoretici portione, jubeat victitare. Oculo interea ad juſtam & naturalem plenitudinem, à collecta iterum ſufficiente humoris aquei quantitate, redeunte, *patiens*, *oculo ſano* ſpleniis faſciaque *obtecto*, in ſella prope lectum, vel *ſuper marginem ipſius lecti*, *collocetur*, *capite* aliquantillum retrorſum *reclinato*: *acus plana*, *lan-*

*lanceolæ formâ* gaudens, *anceps*, ſ. utrinque in lateribus ſcindens, & *apice brevi tenuique* inſtructa, diductis palpebris provide *intra orificium fiſtulæ* externum *immittatur*, & in *gyrum verſando acum*, *calloſitas* circumcirca *abradatur*, labia & parietes fiſtulæ recententur, ſolicite inter hæc *cavendo*, *ne*, dum in operatione hac aqueus humor per fiſtulam eliditur atque cornea ſubſidet, *acus impingat in iridem* aut *lentem cryſtallinam*. Unde patet in illa exfoliationis operatione feſtinandum quidem eſſe, ſed caute.

## §. XXIII.

*Poſt* factam *hanc* quaſi *tornationem æger* confeſtim *ſupinus lecto immittatur*, ſequentis infra *balſami guttula inſtilletur*, *vel* placide, ſpecillo aut penicillo mediante, *affricetur* orificio fiſtulæ, hoc ipſum vero deinde *contegatur hemiſphærio*, extus admodum convexo, intus concavo, è cornu quodam tornato, tenui levique, ſub palpebras condendo, & bulbo ſic imponendo, ut non modo fiſtulæ orificium, balſamo vulnerario delibutum, ſed & tota cornea ſub illo hemiſphærio libere, citra preſſionis & coalitus cum palpebra metum, ſecurè quieſcant [*o*]. Palpebris ſuperponatur ſplenium, vino traumatico ex herbis vulnerariis calido intinctum, & faſcia laxe ſuperinducta, muniatur. *Balſami* modo nominati hæc ſunt juxta Woolhouſium *ingredientia*: aqua deſtillata veſicularum ulmi [*p*] ſuccus conſolidæ majoris expreſſus, gummi arabicum, ol. ovorum atque balſ. de Mecha, omnia miſcendo & in formam unguenti redigendo, quæ ergo *hanc* in *formulam* concinnari poſſe reputamus.

℞. Gum. arab. puriſſ. & ſubtiliſſ. pulveriſat. ℈j.
Liquoris folliculor. ulmi ℥ß.
M. ſolutis, colatis, expreſſis adde
Balſam. de Mecha, ſive opobalſam. veri
Ol. ovr. ana. ℈ß.
D. S. Balſamum Vulnerarium.

## §. XXIV.

*Quotidie bis ſolvatur* ab oculo totus hic *apparatus* & *priore methodo pergatur*,



[*o*] Methodus hæc Woolhouſio vocatur l'emboëttement, ſuo tempore plenius deſcribenda in tractatione ſtaphylomatis.

[*p*] Ulmi foliis tempore verno veſiculæ, ſ. folliculi, quaſi tot gallæ, ſupercreſcunt, ſucco glutinoſo traumatico, ad oculi vulnera celebratiſſimo primum referti, dein & vermiculis minimis, in culicellos poſtea transformatis repleti. Liquor hic ſeparatim, antequam vermiculi adoleſcant, menſe maio colligitur, vel ad ſolis radios deſtillatur. Plura vid. apud. Sim. Pauli in quadripartit. botan. Henric. ab Heer in obſ. med. Joh. Bœcler. in cynoſur. mater. med. Si hic ulmi liquor haberi nequeat, ſubſtitui poteſt albumen ovi, aut aqua inde deſtillata.

*tur*, donec nova corneæ ſubſtantia, indies aucta, cavum fiſtulæ repleverit ac foramen p. n.le clauſerit. Quamprimum animadvertitur inunctum fiſtulæ *balſamum* intra oculi cavum ſe inſinuare, ſatius eſt illud *fruſtillo veſicæ bracteatorum auri*, vel *foliorum auri quadruplici* inunctum applicare orificio fiſtulæ, quam inſtillare vel intrudere. Tertio quartove die balſamo illi ſuadet Woolhouſius *addenda* aliquot *grana ſarcorollæ*, in lacte muliebri nutrita.

Toto hoc tractationis tempore uſque ad occluſionem & conſolidationem fiſtulæ patiens tenetur obſequioſiſſime *ſitum* corporis *ſupinum* in lecto *quietumque*, *oculum* quoque *ſanum* jugiter ſpleniis faſciiſque *vinctum* ſervare, *nullis* veſci *ſolidis* alimentis, quæ maſticationem & maxillæ motum requirant, neque minus compeſcere linguam, & ab *omni abſtinere confabulatione*.

Si adnatæ corneæve, quin & in oculi interioribus *ſtaſes inflammatoriæ* ſanguinis vel jam tum ſub operatione, quam acu perficiendam ſupra tradidimus, adfuerint, vel poſt eam ſupervenerint, palpebrarum ſuperficies interna, vel & ipſa adnata quotidie *xyſtro ophthalmico* [ *q* ] *ſcarificari* debent. *Ipſa* vero per acum inſtituta *operatio* (§. 22.) ſi una vice non ſatis deterſiſſe & abraſiſſe videatur induratos fiſtulæ parietes internos limbumque, *repeti poterit* ſub cautelis ante injunctis. De reliqua conſolidatione & perductione ad æquam cicatricem quæ dicenda ſuperſunt, ſupplebimus in commentatione ad ſextam ſeptimamque indicationem.

§. XXV.

*Quarta indicatio* jubet cuniculos ſinuſque, fiſtulæ nimirum ſinuoſæ (§. 11.) aperire, ſive hi ipſi ſint calloſi, ſin minus. Apertio, ſ. *inciſio* hæc *fit* mediante *acu ſcindente*, ad cataractæ depoſitionem adhiberi ſolita, ſed quæ ſit è tenuiſſimis atque ſubtiliſſimis.

In caſu *fiſtulæ ſinuoſæ*, ſed *cuniculis in linea recta decurrentibus*, immittitur acus in orificium fiſtulæ, & intra ejus ductum ſic propellitur & promovetur, ut acie ſua illum in ſuperficie corneæ diſcindat aperiatque totum.

In caſu autem *fiſtulæ ſinuoſæ*, *cujus cuniculi* ductuſque varios in itinere angulos *faciunt* & *anfractus*, ſufficit eos in ſuperficie, quouſque extenduntur, aliquot punctionibus, mediante priori acu illa, perforare, & ſtagnanti ſaniei exitum, balſamo autem deterſivo & conſolidanti, dehinc applicando ingreſſum procurare. Si *orificium externum* commune ſinuum ſit *calloſum*, raditur atque diſcinditur ſimul eadem acu, vel & xyſtro vegetabili, ex aliquot ſaltem glumis ſecalinis, in ſcopulam compactis carminatur atque raditur.

§. XXVI.

[ *q* ] De xyſtro hoc ophthalmico ac operatione ophthalmoxyſis paſſim alibi, præcipue vero peculiari in diſp. jam olim egit præſes.

§. XXVI.

Cum indicatione hac quarta, dicto modo adimpleta, ſtatim *jungantur quinta* etiam atque *ſexta*, nempe ulcus blandis mundificandi detergentibus, atque illud cum ſuis ſinibus atque cuniculis ad conſolidationem perducendi quamprimum licet. Si enim hi *cuniculi* atque *ſinus* aliquandiu relinquantur patuli ac libero aëri expoſiti, labia eorum intumeſcunt, & magnum conſolidationi bellæque cicatrici ponunt obicem. Igitur inciſione vel punctione *apertis* illis, & aqua tepida ſimplici, vel deſtillata plantaginis, in qua tutiæ fruſtum ignitum aliquoties fuerit extinctum, ſtatim *elutis deterſiſque affricatur* mediante penicillo pictorum ſubtiliſſimo *balſamum de mecha*, & obligantur poſtea & tractantur eo modo, quem prægreſſo docuimus articulo.

Quod ſi vero *ulterior mundificatio* & deterſio requirantur, poterit tantillum pinguedinis viperarum cum oleo ovorum aut opobalſamo mixtum, vel aqua viridis Hartmanni, aut ophthalmica Crollii per vices, in modica quantitate, illini.

§. XXVII.

In *fiſtula completa*, *flexuoſa*, per anfractus in regionem oculi anteriorem penetrante, nec non in *fiſtula incompleta extus cæca*, i. e. quæ intro ſaltem hiat in cameram oculi, ſed in ſuperficie externa corneæ nullam habet aperturam, ancipitis plena res eſt aleæ, quemadmodum ex parte jam §. 16. monuimus. *In* priori tamen, *completa ſcil. & flexuoſa*, videtur eſſe combinanda methodus utraque, quam in §. 25. & 22. laudavimus, & ita quidem, ut primo *incidatur*, aperiatur *ductus anfractuoſus*, quantum fieri poteſt uſque verſus orificium ejus internum, immiſſa acu ſcindente per orificium fiſtulæ externum, cavendo tamen, ne tota corneæ ſubſtantia in profundum diſſecetur, amplumque vulnus, corneam penetrans, infligatur; deinde vero *vel* ſtatim quoque orificium internum fiſtulæ, ſi calloſum fuerit, conveniente alia acu, in circulo provide radatur & balſami §. 23. deſcripti refracta doſi applicita in apertum cuniculum atque orificium, totus oculus ſtatim debite, ut ante dictum, & vinciatur & porro tractetur: *vel* primo aperiatur ſaltem ductus, ſinuſve, mundificetur atque conſolidetur prius, effectæque ſic rectæ fiſtulæ completæ curatio inſtituatur eo modo, quem §. 22. commendavimus, quæ tanto felicius abſolvetur, quo citius poſt apertionem ſinus inſtitui poterit.

Imo fortaſſis poſt apertum & conſolidatum ſinum, ne quidem raſione & ſcarificatione orificii interni opus erit, ſi hoc nullo adhuc induruit callo, quemadmodum *Antonius* [ *r* ] refert, fiſtulam corneæ poſt 7. vel 8. menſes coaluiſſe

[ *r* ] Anton. Maître-Jean, malad. de l'œil, cap. de fiſt. corn. p. 454.

luiſſe per excreſcentem ex ejus orificio parvulum carnis globulum, ſucceſſive obfirmatum & cum ſubſtantia corneæ unitum.

## §. XXVIII.

In *fiſtula incompleta*, *extus cæca*, quæ ſcil orificium in ſuperficie convexa corneæ non habet, ſed dumtaxat in ſuperficie concava, ad *duo* primum *momenta* reſpiciendum eſt: nimirum *an* ſinus inter corneæ lamellas *recta*, *an* vero *oblique* & anfractuoſe terminetur ad orificium ſuum internum, quo hiat in cameram oculi anteriorem, atque ſic in priori caſu ſinus verticaliter immineat ſuo orificio, in poſteriore vero caſu, ſinus divergat ad latus, longiore vel breviore tractu, eoque l. recto magis, l. tortuoſo? *Cardo* quidem *curationis* vertitur utrinque in inciſione, deterſione ac conſolidatione ſinus, dehinc vero & occluſione ipſius orificii. Facile tamen diſpaleſcit, quod facilioris ac plenioris ſpes curationis affulgeat in primo caſu, quam ſecundo.

Sed, monente *Celſo*, nihil intereſt an ſatis tutum ſit præſidium, quod unicum eſt. Si enim ſibi relinquatur talis fiſtula, effundet non modo magis magiſque ſaniem ſuam in regionem oculi anteriorem, inquinabit ejus humores, hypopyum efficiet, & denique tunicas oculi internas arrodet, in inflammationem & exulcerationem deducet, atque totam oculi viſuſque œconomiam deſtruet: ſed & crepaturam & plenariam inducet corneæ perforationem, quæ longe profecto pejor erit artificiali, tempeſtiva, per operationem facta inciſione ac apertione.

Sinus & orificii interni *ſedes*, certo corneæ interno loco definita, *detegitur* per tractum, maculam, ſtigma albidi coloris, vel flaveſcentis, aut alius obſcurioris per lamellas corneæ anteriores adhuc perſpicuas colorem ſuum reflectentes. *Super tali* ergo *macula* fiat lamellarum corneæ omnium *inciſio* per acum §. 22. deſcriptam uſque in orificium internum fiſtulæ, hujus *orificii* cauta leviſque inſtituatur *ſcarificatio*, applicetur deſuper commendatus *balſamus*, & reliquus *apparatus* chirurgicus. Si *cornea* ſit *maxima* ſui *parte opaca* atque ideo latentes ſinuum tractus & orificium fiſtulæ conſpici nequeant, aut pluribus ejuſmodi profundiſque cuniculis ſubruta ſit cornea, conſultius eſt manum operi haud admovere, quam in tenebris caligare, aut æthiopem dealbare.

## §. XXIX.

*Hyperſarcoſeos* ex hiſce fiſtulis metus eſt valde exiguus, ſi non plane nullus; quodſi tamen ex apertis ſinibus, aut ſcarificato fiſtulæ orificio ſtamina luxuriantis carnis propullulent, facile compeſcuntur *deſiccativis*, leniter *adſtringentibus*, ſolutione e. g. lapidis divini, quem deſcribit Yveſius, vel medicamentoſi Crollii, vel pulvere è lap. hæmat. rad. ir. flor. medulla oſſis ſepiæ &c. cavendo tamen, ne intempeſtiva ſedulitate deleantur novæ, ſuccreſcentis ex orificio fiſtulæ, carnis granuloſæ, tanquam futura corneæ ſtamina.

De

De *fungosa* vero, fœda, in magnam denique molem increſcente *hyperſarcoſi*, ſcirrhoſa induratione, hujuſque *in carcinoma tranſitu*, nec non de *ſtaphylomatis* ſpeciebus, qualia, triſti fato, longis, profundis, penetrantibus corneæ fiſtulis, maligna præcipue cacochymia laborantium, ſupervenire poſſunt, jam nobis ſermo non eſt, aptiore alio loco pro dignitate exhauriendis.

## §. XXX.

*Septimam* denique *indicationem*, perſpicuam & æquabilem inducendi cicatricem, quantum licebit excolemus. Quo autem adultioris fuerit patiens ætatis, quo profundiores atque plures extiterint fiſtulæ ſinus atque cuniculi, quo plus de ſubſtantia corneæ perditum fuerit, eo minus diaphanam fore cicatricem jam è longinquo proſpicimus, & quo hæc pupillam magis obtegit, eo magis impedietur viſus. Laterem ergo lavabit, qui relictam talem albidam cicatricem & maculam reddere diaphanam annitetur; ſatis officio feciſſe ſuo potius reputet, impetratata ulceris fiſtulæque conſolidatione & pejoris eventus, quem minabantur, averſione.

Ad *lævem* vero & æqualem obtinendam *cicatricem*, eamque in ægro juniore, vel fiſtula ſinuoſa, non multiplici aut profunda nimis, *diaphanam* ſimul reddendam, conveniunt *blanda detergentia*, quæ nuper demum in diſp. de hypopyo, ungue oculi & ulceribus corneæ commendavimus, &, quæ proxime, DEO volente, in alia diſſertatione, de maculis atque cicatricibus corneæ, data opera proſequemur, jam vero hujus thematis tractationi finem imponemus.

FINIS.

DE

XXII.

# DE SYNECHIA,

*SEU*

PRÆTERNATURALI ADHÆSIONE

CORNEÆ CUM IRIDE

# DISSERTATIO

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Defendet pro Doctoratu consequendo*

PHILIP. THOM. BEGER

*REUTTLINGENSIS*

Tubingæ 26 Februarii anno 1748.

§. I.

*Synechia est concretio ac cohæsio præter-naturalis vel uveæ partis anterioris, quam iridem vocant, vel & lentis crystallinæ cum superficie interna corneæ, unde camera oculi anterior angustatur, aut plane deletur, pupilla distrahitur ordinarie, motumque reciprocum constrictionis & dilatationis amittit, visus autem plus minus imminuitur atque vitiatur.*

§. II.

Συνέχεια Græcis *denotat continuitatem*, perpetuitatem, dicta à συνέχω, constringo, una teneo. Vocari etiam σύναψις, conjunctio, connexio, à συνάπτω, colligo, conjungo, prætenditur abs *Woolhousio*. Quamvis autem hi termini sint generici, & distinctarum quarumvis partium cohæsionem promiscue denotent, neque in Hippocr. Galeno, Paulo, Aëtio, Celso, Erotiani Lexico, cæterisque tum vetustioribus, tum recentioribus de morbis oculorum scriptoribus determinatam Synechiæ applicationem ad præsentem nostrum affectum repererim; posse tamen restrictam & specificam Synechiæ acceptionem, qualis in definit. §. 1. habetur, commode admitti atque retineri putaverim, ad discriminandas non saltem alias cohæsiones in oculis præternaturales, quarum statim §. 2. mentio fiet, sed & una voce exprimendum totum illum, præternaturalis cohæsionis corneæ cum iride affectum morbificum [a].

§. III

*Synechia differt* ab aliis cohæsionibus morbificis in oculo obvenientibus: à *Prosphysi* s. cohæsione palpebræ cum cornea: à *Symphysi* s. cohæsione palpebræ cum oculi tunica conjunctiva: à *Phthisi pupillæ* s. diametri pupillæ maxima coangustatione, quæ aliquando etiam contingit per exsertas præternaturales fibrillas limbum pupillæ contrahentes, sed tamen absque adhæsione ad corneam: à *Synizesi* s. pupillæ plenaria concretione ac occlusione: à *Rhytidosi* s. corrugatione & subsidentia corneæ, quod tum cornea quidem propius ad iridem accedat, quin & contigua fieri possit, sed citra accretionem & continuitatem: à *Proptosi* uveæ iridisque, sive prolapsu & appropinquatione iridis ad corneæ superficiem internam, illiusque aliquando incuneatione intra labia corneæ vulneratæ, uti fit in proptosis illius speciebus, myocephalo, staphylomate &c. sed tamen absque connascentia, ordinarie saltem.

§.

[a] Sic quidem entia multiplicantur, terminorum technicorum numerus augetur, sed definitiones, aut descriptiones verbosæ evitantur.

§. IV.

*Species Synechiæ* ſunt: *connata*, ſ. per nativitatem contracta, qualem vidit olim præſes in noſocomio ter centum cæcorum Lutetiæ Pariſiorum: *acquiſita*, *adſcititia*, ſ. *adventitia* quæ homini nato, varia ætatis periodo, variiſque ex cauſis accidit: plenaria ſ. *totalis*, quæ totius ſuperficiei iridis concretionem cum tota ſuperficie interna corneæ importat: *partialis*, quando non niſi aliqua parte iris ſurrecta verſus corneam, huic affigitur. Hæc ipſa, partialis, diſtinguitur reſpectu determinati in iride loci, punctique cohæſionis fixi in centralem & lateralem. *Centralis* eſt, quæ vel ipſi reſpondet lenti cryſtallinæ medioque corneæ, vel ex ipſo iridis centro, pupilla per ſynizeſin concreta, educitur: *lateralis* vero, quæ ex iridis latere quodam, plus minus à circulo corneæ interno remota prodit: *ſimplex* vel ſolitaria, quæ nullum alium ſpecie diſtinctum oculi affectum habet conjunctum: *complicata*, quæ uno pluribuſve aliis ſtipata eſt ejuſdem oculi affectibus e. g. laceratione pupillæ, cataracta cryſtallina, ſynizeſi &c. Reſpectu durationis alia eſt *recens* à paucis horis, vel diebus, contracta: alia *inveterata*, quæ per menſes & annos adolevit. In ordine ad cauſas Synechiæ, alia eſt *à cauſa externa*, alia ab *interna*, eiſque utrinque variis, ſtatim allegandis.

§. V.

*Phænomena antecedentia.* E cenſu quidem *rerum naturalium & non-naturalium*, quæ directe ad producendam faciant Synechiam pauciſſima vel nulla ſuppetunt exempla, ſi vel ſolum a nativitate exiſtentis excludamus, licet & talis ipſa Synechia fœtui in utero materno potuerit æque ex morbo ac deviatione formationis oriri. Indirecte tamen & remote poſſunt omnino & res naturales & non-naturales ad alios oculorum morbos, unde poſthac Synechiæ natales pendeant, e. g. ad ophthalmiam in-& externam, ſuppurationem iridis corneæque &c. diſponere ac concurrere.

§. VI.

Ex claſſe vero *rerum præternaturalium* cauſæ tam externæ quam internæ plures variæque ſiſtuntur: violentior quilibet *ictus*, *alliſio*, valida *compreſſio*, *contuſio* vel nudi, vel palpebris obtecti bulbi ocularis, per corpora ſolida, craſſiora ac tenuiora. Virgula elaſtica arboris tranſeunti in oculum vibrata exemplum præbuit præſidi ſecunda jam vice. *Vulnuſculum* undecumque illatum *corneæ* vel ſoli, vel & ſimul *iridi*, unde non ſaltem humoris aquei ſubita fit excretio, &, quamdiu corneæ patet vulnuſculum, jugis continuatur exſtillatio; ſed etiam utriuſque tunicæ, iridis ſcil. & corneæ, nimia appropinquatio, atque facilis conglutinatio, qualis aliquando intra 24. horas, ita-

que

que ſatis feſtinanter, accidit. Perinde eſt, ſive vulnus illud ſit caſuale, fortuitum, ſive artificiale in *operatione Hypopyi* e. g. aut *Synizeſis* & *Phthiſis pupillæ* inflictum [ *b* ]. *Staphylomatis* notoriæ *ſpecies*, à cauſis externis & internis inductæ ab initio ordinarie ſaltem important incuneationem & inclavationem iridis uveæque in lamellas corneæ vel omnes, vel interiores ſaltem, apertas hianteſque, ut tum ſucceſſive uvea per vulnus corneæ exeat, promineatque magis magiſque, & tandem corneæ concreſcat atque Synechiam cum ſtaphylomate junctam cudat. Imo *poſt ipſam Synechiæ* peractam *operationem* denuo libenter priſtina recrudeſcit conjunctio, niſi debite præcaveatur.

*Omnes denique cauſæ ab extus illatæ*, quæ gravem irritationem, roſionem, inflammationem, *exulcerationem* tunicis oculi externis adferre ſolent, ſuo jure huc ſpectant e. g. *aduſtiones* per pulverem pyrium, aquam ferventem, calcem vivam inſperſam, aliave corrodentia.

## §. VII.

*Domeſticæ* oculi *cauſæ*, Synechiam generantes *variæ* ſunt: *ophthalmia* gravior externa & interna: *corneæ abſceſſus* [ *c* ], ulcuſcula, fiſtulæ, pus in anteriore camera oculi effuſum, ſtagnanſque vel *hypopyum*: *iridis* furunculus, *abſceſſus*; *Humoris aquei defectus* per obſtructionem & deſiccationem in febre ardente.

## §. VIII.

*Singularem obſervationem* de cataracta membranacea, quæ vero ſimul *rariſſimum Synechiæ cryſtallini ac uveæ cum cornea* præbuit *exemplum*, jam olim recenſuit præſes *in den wochentlichen gelehrten neuigkeiten*, *Tübingen* ao. 1735. Nro. XII. p. 190. quod ergo operæ pretium fore ſperamus, ut hic plenius enarretur ex obſervatione tum facta verbotenus exſcriptum. Subjecturus canem vivum ſectioni atque demonſtrationi vaſorum lacteorum atque lymphaticorum in theatro anatomico præſentibus dominis medicinæ ſtudioſis, oculis illum laborare, cataractæ ſpeciem præ ſe ferentibus, ſtatim obſervavi. Quare, demonſtratis ad thema propoſitum facientibus, oculorum inſpectionem atque ſectionem ſuſcepi.

Canis mediocris ſtaturæ, ætatis 4. annorum, venationi prius, jam ab aliquot ſeptimanis agrorum cuſtodiæ nocturnæ adhibitus, tandem vero propter oculorum vitium ab utroque remotus officio & dominis med. ſtudioſis pro

[ *b* ] Hinc in præmiſſis de Hypopyo & Synizeſi diſputationibus monuit præſes, cavendum eſſe poſt illas operationes præternaturalem coalitum iridis cum cornea.

[ *c* ] Synechiæ partialis tres caſus recenſet, à corneæ abſceſſibus profectæ, clar. De Mours dans les obſervat. concernant l'Hiſtoire naturelle & les maladies des yeux in appendice ad Tom. I. verſionis gallicæ obſervat. med. Societatis Edinburgenſ. in 8. Amſtel. 1741. p. 401.

pro objecto anatomico eſt venditus. Uterque oculus nulla notatus externa labe. Corneæ pellucidiſſimæ. Bulbi naturaliter turgidi.

Iris utrinque fuſci coloris pupillam exhibuit non rotundam, neque conſuetæ diametri, ſed in utroque oculo oblongam, & in ſiniſtro paulo ſuperius collocatam, atque in ſuperiorem tertiæ peripheriæ regionem, oblique nonnihil diſtractam. An, & qualem hæ pupillæ in vivo cane ſervaverint motum conſtrictionis & dilatationis, naturalem ſcil. illum, experimentum non cepimus? Id tamen obſervavimus, canem oculis adhuc ſatis, pro muniis ſuis obeundis, & ad incedendum uti potuiſſe, præſertim dextro.

*Cataracta* vero, cujus jam mentio facta eſt, fuit ( α ) vere membranacea, ſolida, fibroſa, ( β ) coloris ordinarii albidi: ( γ ) non ſaltem, quod omnibus commune phænomenon eſt, in camera ſ. regione oculi poſteriore, defixa, ſed in anteriorem quoque ſeu ſpatium inter iridem & corneam protenſa, & caudata quaſi appendice inferius in *eodem ſpatio tenaciter adglutinata circulo interno corneæ*: ( δ ) inſuper vero primaria & ſuprema ſui parte ſuperficiei corporis ſ. humoris cryſtallini anticæ leviter, limbo autem pupillæ, inferiori præcipue, fortius adhæſit, & nihilo tamen ſecius ( ε ) humor cryſtallinus æque ac aqueus & vitreus naturalem ſervarunt pelluciditatem atque integritatem ( ζ ). Eadem, à potiori ſaltem, phænomena exhibuit alter etiam oculus, excepta ſaltem appendice caudata.

## §. IX.

*Phænomena Synechiæ conſtitutiva & concomitantia* hæc ſunt, è quibus facile hauritur ejuſdem diagnoſis: viſu, inſpectione, percipit medicus ocularius facile nimiam iridis vel totalem vel partialem appropinquationem vel contiguitatem ad corneæ ſuperficiem internam, atque ſic plane vel deletum vel interceptum ſaltem, ſpatium, humore aqueo refertum naturaliter, quod intercedit iridem atque corneam: quæ contiguitas, cum non modo ſit proxima & immediata, ſed etiam conſtans, fixa & immobilis maneat ſub vario luminis admiſſo gradu atque frictione oculi placida, ope digitorum palpebris clauſis præſtita, arguitur eo ipſo in continuitatem & firmam tranſiiſſe concretionem.

Aliquando huic inſpectioni obſiſtit macula corneæ à vulnere aut ulcuſculo relicta eo corneæ loco, cui interius affigitur iris præternaturaliter. Sed impedimentum hoc ſuperatur inſpectione à latere, bulbo verſus alterutrum angulum magis adducto, niſi quidem longe maxima parte cornea obfuſcata ſit tali macula albida, indelebili. Interim cum in Synechia, partiali præcipue, pupilla verſus locum adhæſionis in cornea ſoleat diſtrahi & luxari quaſi, hoc ipſo phænomeno præbetur indicium, cui loco corneæ, macula licet alicubi obſcuratæ, adhæreſcat iris.

§. X.

*Pupillæ* ergo *irregularitas*, respectu diametri, & figuræ rotundæ, situsque, plus minus ordinarie & ex necessitate mechanica Synechiam comitatur. Diameter quidem modo naturali respondet magis, modo amplior, modo strictior esse potest, prout adhæsio iridis ad corneam facta est sub majore vel minore pupillæ, per lumen vel intensius vel remissius, naturali dilatatione: prout concretio iridis plus minus centralis est magis: & prout in ipso examine & inspectione oculi Synechia affecti major minorve luminis in eum vis admittitur. Neque enim semper & absolute tum amittit pupilla omnem suam vim tonicam, nisi in totali ac plenaria totius iridis ac limbi pupillæ ad corneam adhæsione, aut & conjuncto nervorum vitio, paralysin inducente fibris uveæ muscularibus.

§. XI.

*Figuræ* autem *pupillæ*, quæ rotunda solet esse, varia est, in ovalem oblongam varieque angulosam commutatio, propter elatam elevatamque atque corneæ præternaturaliter alligatam iridis, aut limbi pupillæ aliquam portionem.

Quod & ipsum præternaturale vinculum efficit, ut pupilla situm mutet, & non modo propius ad corneam admoveatur, sed à centro etiam uveæ aliquando distet notabiliter versus aliquod in peripheria latus.

§. XII.

*Visus in Synechia* plus minus sibi constat, tantumque ordinarie non labefactatur, nisi jungantur alii affectus, visum impedientes aut destruentes; impeditur tamen & tanto fit molestior, imo dolorificus, quanto pupilla magis à subjacente crystallino in latus dimovetur, aut nimis ampliata pupilla, intensiori exposita lumini, se nequit angustare, & copiam irruentium radiorum moderari. Habet supra laudatus Dominus *de Mours* l. c. pag. 406. observationem talis pupillæ per Synechiam adeo elongatæ ac hiantis, ut majus lumen ferre non potuerit æger, citra intensum dolorem visusque obnubilationem atque depravationem è variis obversantibus simulacris. Dolorem vero, seu tensionis & tractionis molestiam, ex illa præternaturali adhæsione & tensione iridis uveæque, hactenus nec ipse in pluribus observavi ægris, nec apud autores reperi notatum. Reliqua phænomena, quæ subinde comitantur Synechiam, sed ad ejus formam ac essentiam minus spectant, tanquam morbos complicatos ad suam quemlibet referendos classem merito hic prætereo.

§. XIII.

*Phænomena consequentia*: Synechia non adeo infrequens est affectus, à

multis patienter ſine remedii petitione tolerari ſolitus, quamdiu viſus non afficitur ſenſibili moleſtia & dolore. Huic quidem malo ſubinde medetur juncta corneæ macula, aut cicatrix albida, quæ radios ſolis moleſtos atque dolorificos futuros arcet à tranſitu & illapſu intra oculum.

Unde patet *Synechiam* talem *partialem palliative* poſſe tractari vel inducenda tali macula corneæ artificiali, vel per vitra colorata, aut alia inſtrumenta, de quibus in therapia chirurgica dicetur, oculo applicita. *Curative* vero per operationem chirurgicam diſciſſis ſolutiſque compedibus ſecure & conſtanter tollitur, data opera ut ne partes operatione diviſæ ſe recipiant denuo concreſcantque. *Totalis* vero *Synechiæ* nulla hactenus innotuit certa medela, difficillimam vero eam ſemper, ſi non plane impoſſibilem fore, quilibet agnoſcet, ſi utraque tunica iris atque cornea mutuis arcte concreverint fibris. Imo difficilem ſatis & laborioſam fore ſeparationem arbitramur, ſi vel uno loco ſed latiore paulo intime adglutinata fuerit iris corneæ: quoniam ſumma dexteritate opus eſt utramque tunicam cohærentem ita ſeparare, ut à neutra notabilis portio abradatur, & ſi non vulnere, tamen excoriatione profundiore lædatur alterutra. Si medium tenere non liceat, præſtat aliquam corneæ potius vim inferre, quam iridi.

## §. XIV.

*Pathologia.* Synechia eſt *morbus connexionis mutatæ*, ſeu compoſitionis morbus, quem alias vocant, quatenus utriuſque tunicæ, nimirum corneæ ac iridis, ſuperficies aliquo ab invicem diſtans intervallo, præternaturaliter conglutinatur, atque iris maxime ſitu mutato, propius accedit & contigua, tandem vero continua fit cum ſuperficie concava corneæ, quamvis poſt excretionem humoris aquei ſimultaneam ſubſidens cornea obviam eat & ipſa iridi. Si uvea ſ. iris ſimplici ſaltem contiguitate admoveretur corneæ, poſſet morbus referri ad ſitum vitiatum atque ad genus herniæ. Cum vero Synechiæ phænomenon eſſentiale ſit adhæſio & agglutinatio præternaturalis, rectius morbis connexionis mutatæ videtur accenſeri.

## §. XV.

*Subjectum morbi* hujus *adæquatum* eſt non modo tota uvea, ſed & regio oculi anterior atque ſuperficies corneæ concava: tota enim iris cum uvea ſedem plus minus mutat, & verſus corneam inclinat, vinculiſque alligatur corneæ præter naturam, ſpatium primæ regionis humore aqueo refertum anguſtatur & interpolatur, imo in Synechia totali plane deletur: cornea concava, quæ libera, æqualis politaque eſt in ſtatu naturali ſic irretitur iridi. *Subjectum morbi principale* ac primarium eſt uvea ejuſque præſertim anterior pars, quæ vocatur iris: hæc enim quammaxime patitur ſitus & compoſitionis muta-

mutationem, diſtractionem, pupillæ variam mutationem & hinc quoque viſus ſubinde morbificam inducit affectionem.

*Subjectum cauſæ* ſæpius in cornea hæret, vulnerata, pertuſa, exeſa, ſuppuraſcente: aliquando in uvea inflammata, furunculum, abſceſſum &c patiente.

## §. XVI.

*Subjectum* hoc *morbi* & *cauſæ* varium *anatomice* prius aliquantum *dilucidare juvat*, quam ad ætiologiam & ſymptomatologiam progrediamur. Corneæ quidem anatomen plenius jam tradidit præſes diſput. ao. 1743. hic edita, ſub titulo: corneæ oculi tunicæ examen anatomico-phyſiologicum: & uveæ ſtructuram à potiori non minus explanavit in diſput. de mydriaſi ſive pupillæ præternaturali dilatatione a. 1745. evulgata: paſſim quoque in aliis diſpp. e. g. de hydrope oculi, de empyeſi, de hypopyo, fiſtula corneæ &c. ſimul quædam de ſic dictis oculi cameris & humore aqueo multa huc ſpectantia prælibavit. Qualia ergo ſtrictim breviſſimeque partim repetemus, partim novis ſupplebimus additionibus.

*Cornea* naturaliter cohæret uveæ prope circulum corneæ internum, quo igitur loco & iris propior eſt corneæ: maxima vero diſtantia ſua, in centro nempe, nonniſi circiter $1\frac{1}{4}$ lineæ altitudine a centro uveæ remotam accurata dimenſione notavit *Petit*, medicus: [*d*] ipſius vero totius ſic dictæ cameræ anterioris oculi ſpatium quantum ſit, ex eo ſatis intelligitur, quod humoris aquei quantitas in univerſum, in utraque ſcil. oculi camera contenti, raro pondus quinque granorum ſuperet.

Unde patet iridem & corneam facile contiguam fieri, ſi vel cornea aliquantum ſubſederit, vel uvea antrorſum elevetur. Subſidere vero cornea ſolet ordinarie, humore aqueo vel per vulnus toto evacuato, vel debita quantitate non ſecreto: illud enim ſphæræ ſegmentum, quod cornea in bulbo oculi anteriore efficit, convexitatem ſuam ſuffultam habet ſubdito humore aqueo. Cornea ſuperficiem ſuam concavam obtinet quidem lævem & politam, cui ergo aliud corpus ſolidum ac molle non facile ſe affigit, ſed tamen poroſa eſt, & ab humore tam domeſtico, intra lamellas ſtagnante, quam ab alluente aqueo humore, acribus roſivis factis, in pus converſis, excoriari, ulcerari poteſt: aut ejus ſubtiliſſima vaſcula per vulnus reſerata poſſunt humorem plorare glutinoſum, è quibus variis modis adhæſioni iridis via panditur.

Sed & ipſa uveæ lamella anterior, iris dicta, mollis, & villoſa quaſi eſt, plurimiſque irrigua vaſculis ſanguineis; itaque pars, cui facile aliquod filamentum craſſioris puris è corneæ fiſtula, aut ulcuſculo, deſtillantis, aut ex hypopyo, ſe adglutinaverit: pars, quæ inflammationi, furunculo, abſceſſui, excreſcentiis æque ſubeſt, ac ſimiles aliæ partes, & quæ hinc propius ad cor-



[*d*] Petit, medecin, lettre in 4. à Paris 1729 p. 6. & in mem. de l'Acad. des Scienc. de l'année 1728. p. 419. Edit. Amſtel.

neam accedere, ipſique poſſit irretiri, quamvis putatitia iridis convexitas nihil plane huc contribuat, utpote cum vere planam obtineat ſuperficiem.

## §. XVII.

*Cauſa Synechiæ proxima* eſt varia: excoriatio, exulceratio alterutrius, vel utriuſque tunicæ, corneæ ac iridis, & poſt undecumque factam humoris aquei excretionem ac utriuſque tunicæ appropinquationem; qualem intra 24. horas formatam fuiſſe Synechiam obſervavit apertiſſime Dn. de Mours l. c. p. 423 poſt inflictum ſcilicet corneæ vulnuſculum penetrans, ſed tamen iridem non lædens, effluxum humoris aquei, corneæ ſubſidentiam, & ſic inductam hujus appropinquationem ad iridem, ſic ut iris coaluerit intra 24. horas cum labiis vulnuſculi corneæ. Unde patet, quod & *vulnus corneæ ſubſidentis* evadat Synechiæ cauſa proxima.

Patet aliunde per obſervationes chirurgicas, digitos excoriatos e. g. ab aduſtione, parietes internos vaginæ uteri, ab arroſione denudatos, palpebras inflammatas, ulceratas &c. paucis concreſcere horis, ſi abſque medio interpoſito preſſe jungantur illæ partes.

Ideoque humor aqueus, quamvis totus ſimul excretus ſoleat intra 24. horas pleniſſime regenerari, non valet tunicas intra hoc tempus præternaturali vinculo junctas iterum dividere. Duæ vero circumſtantiæ hanc concretionem facilitant, atque accelerant, ſi nimirum in imminente tali Synechia oculi affecti pupilla in jugi, aut longa ſaltem, dilatatione conſervetur, detento ut fieri ſolet ordinarie ægro in profundis tenebris, atque ſic pupilla prohibetur per varios luminis gradus motum ſuum conſtrictionis & dilatationis naturalem exercere, & tali motu ſe defendere ab illa accretione præternaturali, ſed imo etiam propter perpetuam illam in tenebris diametri ſuæ ampliationem cogitur ſe retrahere propius ad baſin & latera corneæ inferiora, atque cum portione ejus, ibidem vulnerata, vel ulcerata coire.

## §. XVIII.

Viſum diximus (§. 12.) utplurimum ſibi in Synechia conſtare, niſi alia concurrant vitia ad Synechiam eſſentialiter haud ſpectantia. Si adhæſio e. g. iridis & corneæ reſpondeat utriuſve centro magis, non fiet notabilis pupillæ vel dilatatio vel diſtractio, radii viſorii juſta directione & copia, per pupillam trajicient, conſuetamque ſubibunt refractionem, adeoque viſus ſibi conſtabit, ſola hæc incidet figuræ pupillæ mutatio, ſub ejuſdem per lumen debilius aliquali dilatatione, ut verſus locum adhæſionis aliquantum angulose diſtracta ac ad pleniorem & æqualem dilatationem immorigera & inepta, ſed abſque viſus impedimento notabili, niſi fortaſſis ad objecta remotiora, obſervetur.

Si vero nimis per diſtractionem hiet, atque ad lumen intenſius ſe contrahere

here nequeat pupilla, tum non poteſt non organum viſus internum principale, à radiis luminis copioſe vivideque irruentibus, fortius percelli, ut æque diſtinctus turbetur objectorum viſus, ac dolorificus fiat, talique ægro vel in obſcuro perpetim hærendum, vel oculus affectus obtegendus umbraculo aliiſque ſit mediis defendendus contra lumen fortius.

Si pupilla, juſta licet diametro ſervata, nimis in latus diſtorqueatur per lateralem cum cornea adhæſionem, non poterit alios tranſmittere radios, niſi qui veniunt ab objectis illud latus, in quod diſtorta eſt pupilla, directe reſpicientibus, reliqui vero radii per maximam corneæ partem trajicientes in iridem incident & inutiliter reflectentur. Unde ſi hoc oculo voluerit æger diſtincte aliquod percipere objectum, quod e directo oculi hujus jacet, oportet illum ſic ad alterutrum angulum, prout nempe vel in dextro vel in ſiniſtro latere ſitus ille præternaturalis pupillæ contigerit, detorquere bulbum oculi, ut hæc ipſius pupilla directe obvertatur objecto, & per conſequens ſtrabiſmum huic inducere oculo, dum interea alterius ſani oculi axis opticus, per medium bulbum trajiciens, ſitu naturali & directo reſpondet eidem illi objecto.

Oportet inſuper minus diſtinctum tum quoque oriri viſum; quando in laterali diſtractione pupillæ radii per corneam & cryſtallinæ lentis extremum potius quam centrum obliquius illabi, irregulariter refringi & in locum retinæ minus ſenſilem coguntur incidere. Qualem vero viſus alterationem Synechia totalis afferre poſſit, uti inter phænomena concomitantia ideo non recenſui, quod in tribus quos vidit præſes caſibus conjuncta fuerunt alia oculorum vitia; ita jam à priori & per rationes opticas pariter inquirere nolo, qualis tum in Synechia totali conſequi debeat viſus affectio, ſi cæteroquin cornea, pupilla, lens cryſtallina, humor vitreus & reliquum viſus organum præternaturaliter non afficiantur? Ut ne ſcilicet limites diſſertationis nimium protrahamus.

## §. XIX.

I. *Therapia*, *indicationes* ſuppeditat I. *Præſervatoriam*, quæ in variis oculi aliis morbis ſuperventuram & imminentem Synechiam, totalem æque ac partialem avertat tempeſtive.

II. *Palliativam*, qua, ſi cura radicalis vel non ſit poſſibilis, vel ab ægro non admittatur, incommoda & mala ſymptomata mitigentur.

III. *Curativam*, qua cohærentes p. n. tunicæ ſolvantur & naturali reſtituantur libertati.

## §. XX.

*Indicationi præſervativæ* inſervit in caſu ſubſidentis, vulneratæ vel eroſæ corneæ, atque hinc facti effluxus humoris aquei, in exulceratione ſuperficiei corneæ concavæ, in hypopyo &c. (1.) Decubitus ægri ſupinus & horizontalis, ut iris uveaque non modo longius à cornea retrocedant & in poſteriorem magis quam anteriorem oculi cameram inclinent, ſed etiam gravita-

tio nisusque lentis crystallinæ humorisque vitrei in uveam impediantur; quin & si humor aqueus vulnere corneæ effluxerit, spatium novæ collectionis patentius inveniat, nec tam cito & plene per vulnus corneæ redundet. Quamvis enim humoris aquei interpositio non absolute & semper concretionem iridis ac corneæ possit impedire, in præsenti tamen hoc casu, qui metum Synechiæ ex humoris aquei effluxu, & corneæ subsidentia incutit haud vanum, plurimum valet, scopo Synechiam præcavendi, tempestiva humoris aquei regeneratio, collectio, cameræ oculi interioris repletio & corneæ subsidentis elevatio. Unde

(2) In hoc ipso casu quantocyus danda est opera, ut vulnus, aut qualiscumque solutio continui corneæ penetrans decenter consolidetur, atque sic humore aqueo restaurato cornea in naturalem situm & turgescentiam restituta servetur.

(3) Licet aliquando in affectibus oculi Synechiam minantibus plenior luminis usus sit molestus atque dolorificus, ac ideo tenebras, cæteris paribus, non magis imperent medici, quam sponte potius quærant ægri; tamen rectissime & ingeniose jam olim in suis dictatis ophthalmiatricis monuit *Woolhousius*, & ex his repetiit præses in disp. de Synizesi p. 23. §. 23. nuper etiam justis ratiociniis atque curiosis observationibus illustravit clar. *de Mours*, l. c. p. 414. ss. opus nimirum esse potius *lumine frequentius admisso*, vel ad solum affectum oculum, vel si hic à lumine vehementius doleat, ad alterum certe, obtecto servato ægro oculo. Lumen hoc vel diurnum solare, vel candelæ accensæ, illudque moderatum, propius vel remotius adhiberi potest. Si tale ad oculum admittatur sanum, clauso servato obtectoque ægro, luminis efficacia nihilominus per consensum redundabit, sensumque imprimet licet aliquanto debilius, in oculum ægrum obtectum.

Lumine hoc in motum concitata uvea pupillam reddit angustiorem, circulum iridis expandit, sive latiorem reddit: lumine autem remoto, pupilla iterum dilatatur, circulus iridis fit angustior, atque talismodi motus constrictorii ac dilatatorii reciprocationibus, intra horam quamlibet ter quaterve repetitis, alia atque alia iridis regio offertur vulnusculo corneæ, & puncta contactus semper mutantur, nec ulli satis longum conceditur tempus, ut firmius adhærere possit & concrescere.

Ad mobilitatem hanc uveæ conciliandam facit etiam *blanda frictio*, mediante digito, *bulbi* oculi affecti palpebris obtecti, in illis maxime casibus, ubi vel nullum adest corneæ vulnus penetrans, vel id ipsum ad consolidationem jam jam properat, atque sic per frictionem metus haud est exprimendi humoris aquei. Ubi vero iridis portiuncula vulneri jam est affixa, frictio hæc locum habet tanto magis ad excutiendam & repellendam iridem intro in cameram oculi anteriorem, situmque competentem.

Hisce igitur mediis tempestive utendum, atque tam diu pergendum est, donec cornea atque iris justo distent intervallo, omnisque metus evanescat mutuæ concretionis, vel adhæsionis præternaturalis. Quid vero ultra & simul

mul agendum ſit in vulnere, perforatione, abſceſſu, exulceratione corneæ in hypopyo, abſceſſu uveæ &c. in ſpecialibus horum affectuum tractationibus pervidendum eſt? Cæterum cum ſupra monuerim §. 6. & 13. poſt ipſam operationem Synechiæ chirurgicam debite peractam facile fieri poſſe, ut denuo ſibi adhæreſcant & conglutinentur cornea atque uvea, ſive iris; itaque ex ipſa etiam indicatione curativa, per operationem chirurgicam præſtita, enaſcitur neceſſitas hujus, quam modo tradidi indicationis præſervativæ.

## §. XXI.

*Palliativæ indicationi*, quæ reſpicit incommodum, & dolorificum ſenſum à lumine, per pupillam patentiorem, copioſius immiſſo, varia ſatisfaciunt remedia: *evitatio luminis* intenſioris, commoratio in locis umbroſis: *umbraculum*, aut vitrum coloratum affecto oculo appoſitum: patella, qualem ex Solingen delineat celeb. *Heiſter*: [e] *palpebræ ſuperioris* diuturna *adductio ad inferiorem*, & utriuſque perpetua contiguitas procurata mediante glutinativo emplaſtro, in forma orbiculari, petiolæ nigræ ſericeæ ſuperextenſo, atque ſic perpetua oculi obtectio per proprias palpebras: *artificialis* inducta *macula* albeſcens in ſuperficie convexa *corneæ*, eo loco, eaque latitudine, qui reſpondent pupillæ nimis patulæ. Excitari poteſt facile talis macula corneæ, ſi lapide infernali caute tangatur locus corneæ, macula notandus: confeſtim namque albedo inducetur corneæ, eaque vel primo tali attactu ſufficiens, vel altero die repetito, adhibita tamen cautela, eluendi, ſtatim ab attactu per lapidem infernalem, oculi, aqua roſarum, vel alia, ut ne ſal hoc cauſticum nimis ſe diffundat vel ſuper corneam, vel alias bulbi ac palpebrarun tunicas. Cum vero pelluciditas corneæ hoc loco deſtruatur, & opaca fiat hac macula, radiis lucidis tranſitum viamque ad pupillam præcludit, ſicque moleſtum lumen arcet. Qui ſolam *pupillæ* amplioris, diſtractæ, ac *diſtortæ deformitatem* tolli deſiderant, vel occultari potius per curam palliativam, poterunt e modo recenſitis ad lumen nimium arcendum propoſitis, aliquod remedium, ſi quidem deformitati tollendæ aliam opponere voluerint, neceſſario relinquendam, eligere.

## §. XXII.

*Indicationem curativam* abſolvit operatio chirurgica, abs Woolhouſio *diacriſis* vocata, qua mediante nimirum iris, uno vel aliquot locis corneæ jamjam affixa, vel & lens cryſtallina per filamentum tenax corneæ cohærens, ab invicem ſuſpenſa manu ſeparantur.

*Præmiſſis* itaque *generalibus*, quæ hic repetere nolumus, ad præparationem in ejuſmodi operationibus neceſſariis; e. g. venæ ſectione, purgatione, diæta &c. *in parato habeat* operator: *ſpeculum oculare*, quod acceſſum acus per corneam transfigendæ in utroque oculi angulo permittat; quali

[e] Heiſter chir. lat. tab. 18. fig. 16.

quali hic opus esse poterit tanto magis, quo æger inter operandum morosior, aut inquietior futurus præsumitur, *vel* loco hujus speculi *hamulum* oculi *suspensorium*, quo mediante palpebra superior in operatione elevata tenetur citra operatoris incommodum, quem in disp. de hypopyo p. 26. §. ult. jam descripsit præses: maxime vero *acum*, quam Woolhousius præcipit apprime *tenuem planamque*, lineæ unius latitudinem in apice habentem, cætera teretem, acutum, scindentem oportet hujus apicem esse, tum ad pertundendam facilius corneam, tum ad separandas & discindendas promtius atque dexterius fibras, quæ corneam iridemque præternaturaliter connectunt. In subsidium vero & supplementum præsto quoque sit acus *ad modum scalpelli subtilis*, in latere scindente nonnihil convexi sive arcuati, in dorso autem, eoque lævigato, recti fabrefacta. *Collyrium albuminosum* vulgare, *manipulus gossypii*, *splenia*, *fasciæ* ad manus porro sint.

## §. XXIII.

*Conclave*, in quo suspicitur operatio, satis *luminosum* esto, ipseque ægrotus in operatione sic *collocetur*, ut lumen illabi oculo possit liberius. Sic enim fiet, ut operator non modo clarius perspiciat, quid acu sua moliatur intra primam oculi regionem, sed ipso etiam copiosiore intra oculum illapso lumine pupilla magis contrahatur, & hac tensione mediante se retrahere à cornea nitatur, atque separationem acu perficiendam adjuvet. *Inter operandum* ut quiete & patienter se gerat ægrotus efficere debet ophthalmiater, vel seria adhortatione, vel adstantium opera, qui caput artusque ægri valide detineant. *Incisionis locus* in cornea est unius quasi lineæ ab ejus circulo, in angulo externo, nisi quidem eo ipso loco occurrat adhæsionis punctum: tum enim in circumferentia corneæ inferiore vel alibi remotiore loco potius, quam in eo latere acum defigere decet. Sanum oculum liceret quidem sub operatione detectum liberumque servare, ob illam ipsam, quam in principio hujus §.mi dedimus rationem; sed cum partim præstet, ægrum non omnia, quæ machinatur operator plenius perspicere, partim sani hujus oculi varius frequensque motus alterum affectum reddat inquietiorem atque instabiliorem, satius esse videtur, sanum oculum spleniis & fascia prius vincire, quam ægri suscipiatur operatio chirurgica.

## §. XXIV.

*Operationis* hujus chirurgicæ, sive Diæresis potiora hæc sunt *methodi*, *encheiresis & cautelarum momenta*: æger conveniente loco & sella, ut supra monui, collocatus & stabilitus jubeatur bulbum oculi affecti deducere & inclinare versus regionem loco incisionis oppositam, ut hic ipse locus axi magis oculi respondeat, & sic elatior evadat, acusque recta infigi citra deviationis metum rectius queat. Operator teneat acum intra tres digitos

gitos, pollicem, indicem, mediumque & hunc quidem ſic ad apicem acus exporrectum, ut parum ſupra lineæ longitudinem apex proſpiciat liber, ſicque dum perfoditur cornea, impediatur acus nimis profunde intra primam oculi cameram immergi. Tum vero retrahatur nonnihil idem digitus medius, ut profundius, ſi neceſſe ſit, acus immitti poſſit. Apex acus, vel & ſubtilis ſcalpelli, (§. 22.) dum corneæ lateri infigitur, ita eſt dirigendus, ut vulnus perpendiculare potius, quam tranſverſum efficiatur, nunquam vero majus aut patentius, quam ſimplex ſibi depoſcit acus diameter.

Acu ſic ea, qua par eſt ad locum præternaturalis coalitus attingendum, profunditate intra primam oculi cameram placide ac ſucceſſive promota, incipiat operator, proximo ad vulnus corneæ loco, cohæſionis ſeparationem iridis à cornea, & utrique ſic parcat, quantum licet, ut nonniſi fibras & vincula intermedia ſolvat, neutramque ex ambabus illis tunicis vulneret, laceretve: ſi tamen ab alterutra aliquantillum abradi neceſſe ſit, iridis reverenter habendæ potiorem habeat rationem.

## §. XXV.

Si una alterave *fibrilla diſtincta iridem cum cornea irretiat*, hæ ipſæ mediæ diſſecantur, faciliore non ſaltem opera, ſed minore etiam, quin nullo, cum metu excoriationis, vel vulnerationis utriuſque tunicæ. Si vero tale filamentum longius ab iride, aut ipſo pupillæ limbo, aut media lentis cryſtallinæ tunica arachnoide exporrigatur, reſecandum id potius videtur propius ad corneam, quam oppoſitum adhæſionis punctum in iride, & pupilla: ſecus vero, ubi lenti cryſtallinæ adfigitur; hic enim proxime ad lentem cryſtallinam diſcindi, vel à lente ſeparari debet circumſpecte. Ratio eſt, quod diaphanam præſtare in omnibus punctis oporteat & corneam & arachnoidem tunicam, hancque multo magis, quoniam radii in conum arctiorem per pupillam tranſgreſſi & in lente ad perpendiculum refracti liberiorem requirunt commeatum, & vero filamentum ſuper lente fluctuans vago motu ſuo radios paſſim interciperet, novumque fortaſſis reciperet incrementum, aut affixionis ad corneam punctum. Qualecumque igitur præternaturale vinculum quocumque modo per operationem ſolutum fuerit, & libera ubique ac diſtincta reddita ſit iris, hæcque ipſa ſe receperit plus minus verſus centrum oculi, ſive naturalem ſuam ſedem, tunc operatione rite peracta acus recta oculo eſt educenda.

## §. XXVI.

*Poſt operationem* peractam obligandus eſt oculus molliſſime, hoc eſt citra ſenſum compreſſionis, manipulo goſſypii, in ſpuma albuminoſa intincti, ſpleniis & faſcia: alter vero, ſanus oculus, ante operationem jam ſpleniis

& fascia obtectus, eo in statu relinquendus. Æger supinus, capite declivi, collocetur in lecto, eoque in situ jugiter quasi immotus defigatur per aliquot dies.

*Si vulnusculum corneæ* inflictum per prægressam operationem, vel statim, vel postea *medicamen* sibi *vindicare* videatur *incarnans* & modice adstringens, poterit aliquantillum succi è rad. Symphyti recente expressi & cum unguento de tutia, vel balsamo vulnerario Minder. &c. instillari, aut mediante penicillo illini. Raro tamen hisce remediis opus est, cum sponte & brevi coalescat vulnusculum; *quodsi* etiam *humoris aquei portio* vulnere *effluxerit* vel inter operandum, quod rarissime fit, vel post operationem dum acus oculo extrahitur, regeneratur is sponte intra 12. vel 24. horas. Ast *si* tum *cornea* ob excretum humorem aqueum *subsederit*, tanto majorem attentionem & diligentiam adhibeat operator, ut ne denuo concrescant paulo ante per operationem separatæ tunicæ.

Ad quod evitandum facit & jugis decubitus supinus atque horizontalis, & lumen ad utrumque, vel alterutrum oculum subinde intromissum, ut supra §. 20. monui.

Cicatricula vulneris si vel maxime reliquerit *maculam albidam*, aut successive lenibus tolletur absterfivis, aut visui certe nihil præjudiciabit, cum à centro corneæ sit remotior.

## §. XXVII.

*Synechia* cum myocephalo, vel cum staphylomate *complicata* ulteriorem sibi vindicat & attentionem & tractationem. Nimirum per vulnus corneæ spontaneum ab erosione purulenta, vel casuale, ictu, punctione, inflictum &c. effluit humor aqueus, cornea collabascit & propius ad iridem uveamque accedit: uvea vero aliquando confestim, aliquando tardius inter labia vulneris corneæ se insinuat non tantum, sed & foras procidit, atque supra corneam eminet, pro magnitudine vulneris, vel tenuis puncti nigricantis & capituli muscæ instar, atque tunc Myocephalus audit, vel instar acini uvæ, atque tunc vocatur staphyloma. Ordinarie & ab initio uvea saltem est incuneata labiis vulnusculi corneæ, & non concreta: fit aliquando tamen successive, ut lamellis corneæ intra vulnus coalescat, idque ipsum extus cicatrice obducatur, atque consolidetur, hocque modo synechia cum staphylomate complicetur, & post staphylomatis curationem remaneat. Quo de casu jam nobis esse sermo debet: an scilicet tum quoque operationem chirurgicam, supra laudatam (§. 24.) in usum ducere liceat? Respondemus, quod non: quia uvea tam arcte incuneata, affixa & corneæ lamellis innata nonnisi difficillime, dolorifice & cum metu subsecuturæ inflammationis gravioris, aut spasmo convulsivo fibrillarum uveæ, à cornea posset separari: &, si separaretur; id ipsum necessario fieret cum notabili quadam deperditione substantiæ, & relicto præternaturali foramine & hiatu

in

in iride, quod vitium profecto deformius esset ac deterius priore, per Synechiam simplicem inducto. Tacemus, quod ipsam quoque staphylomatis, inveterati certe, curationem aliquo tempore post subsequatur, si non præcesserit cæcitas. Prudens ergo ophthalmiater hic lubens supersedebit oleum & operam perdere.

Aliter vero res se habet, quando staphyloma recens debite repressum, & uveæ prolapsæ tota portio refusa intra primam oculi regionem, & corneæ vulnusculum consolidatum fuerit, sed postea concreverit uvea cum corneæ intima lamella exiguo illo spatio, quod vulnus emensum erat interius: tum enim casus erit potius Synechiæ à staphylomate relictæ, quam Synechiæ cum staphylomate conjunctæ, qui vero nihil peculiare sibi vindicat in operatione chirurgica Synechiæ, ab aliis caussis inductæ, nisi quod justum sit constituendum intervallum à formatione talis Synechiæ ad tempus instituendæ operationis, donec & cicatrix corneæ satis obfirmata sit, & de visus integritate, aut restitutione spes affulgeat.

## §. XXVIII.

De *Synechia complicata cum Synizesi*, sive pupillæ plenaria occlusione, concretione superest dicendum. Nisi spes sit aperiendæ reserandæque per aliam operationem chirurgicam pupillæ, frustra sane acui chirurgicæ subjiceretur Synechia, cum radiis per occlusam pupillam ingressus denegetur.

Quamvis autem Synizesis operatio multo facilius rectiusque perficiatur acu, per scleroticam in secundam oculi regionem adacta, tamen ne duplici operationis diversæ tædio subjiciatur ægrotus, tentanda est post absolutam Synechiæ operationem, pupillæ etiam reseratio, eo modo, quem docuit præses in disp. de pupillæ phthisi ac Synezesi.

Si vero cum *Synechia* fuerit *phthisis pupillæ complicata*, sive hujus præternaturalis & *constans angustatio*, vel tolletur hæc sponte post operationem Synechiæ, si nempe pependerit à constrictione & distractione per elevatam, ad anteriora versus corneam, destructamque portionem uveæ: vel emendabitur remediis aut operatione peculiari, in disputatione modo allegata recensitis.

## §. XXIX.

*Synechiam* consideravimus hucusque tanquam morbum, sed jam quoque respiciemus *ceu remedium*. Ibi fuit morbus spontaneus, nunc sistetur ut artificialis, ut sic alius oculi morbus hoc depellatur morbo, per chirurgiam data opera inducto. Ad hanc reflexionem manu me duxit *Dn. de Mours* l. c. p. 419. & seqq. curiosa observatione & ingeniosa methodo: obtigit huic æger, cui à nativitate gutta serena laborans oculus sinister, in ætate autem virili ab impetu quodam externo (il reçût un coup sur l'œil) dolorem magis magisque ingravescentem, tertioque ab ictu die lentis crystallinæ secessum in ca-

meram oculi anteriorem, hinc vero acerrimos dolores, inflammationem, luminis, etiam mediocris, intolerantiam nactus est, per totum semestre nullis expugnabiles remediis, donec per operationem chirurgicam incisa cornea, crystallinum ceu primarium doloris & inflammationis fontem & perpetuum stimulum, foras protrahere conaretur Dn. de Mours. Sed incisione corneæ peracta cum æger bulbum oculi præcipitanter versus superiora & sub palpebram retraxisset, atque labium inflicti vulneris superius violenter in subjacentem crystallinum impegisset, recepit se lens hæc crystallina in secundam oculi cameram. Spe igitur & successu hujus operationis, eximendi nempe crystallinum, dejectus operator illum posthac in secunda oculi regione tutius mansurum auguratus, eo potius animum advertit, quo posset novum crystallini reditum in cameram anteriorem prævertere, ac impedire constanter. Consilium itaque cepit in arena, & methodum excogitavit, qua posset uveam vulneri corneæ consolidare, sicque ad anteriora affixam attrahere, ut camera oculi posterior sic ampliata, nidum crystallino faciliorem, camera vero anterior angustata reditum crystallini eo redderet difficiliorem. Adhibuit è diametro oppositam methodum, quæ præcipitur ad evitandam Synechiam, atque hunc ægrum in perpetuis servavit tenebris, oculo scil. sano jugiter spleniis fasciaque obtecto, ægro autem oculo per guttam serenam conjunctam luminis sensu privato, ut sic pupilla ægri oculi in jugi maximaque dilatatione permanens viginti quatuor ab operatione horis, uveæ cum cornea (quæ interim regenerato, qui effluxerat, humore aqueo. naturalem receperat suam convexitatem) incipientem jamjam concretionem ostenderit inspicienti medico oculario, sed relicta tum vinctura oculi sani: altero autem absoluto nycthemero perfectam & constantem exhibuerit cohæsionem.

Vulnus corneæ consolidatum est penitus, uvea mansit adglutinata corneæ, crystallinus perstitit immotus in oculi camera secunda, omnis dolor & ophthalmia cessavere in perpetuum. Itaque artificio procurata Synechia fuit remedio prioribus malis ab irritante & gravitante in iridem crystallino profectis.

## §. XXX.

*An* talis *operatio Synechiæ artificialis ad alios* quoque *casus transferri* queat, sagaci relinquo dijudicandum ophthalmiatro? E. g. si lens crystallina præternaturaliter turgeat, & mole augeatur, ut molestam uveæ pressionem ac distensionem continuam efficiat, ut induretur, lapidescat, & concrementis sabulosis, calcariis exasperetur, sicque limbum pupillæ & processus ciliares dolorifice confricet, stimuletque.

Quibus in casibus cum nonnisi locus operationi palliativæ superesse, nec taliter affecta lens crystallina sede sua dimoveri ac oculo eliminari posse, vel debere videatur, adhiberi poterit artificialis procuratio adhæsionis uveæ ad corneam, unde camera oculi posteriore ampliata, & uvea remotiore facta à crystallino, pressiones & frictiones vel tollentur, vel imminuentur.

DIS-

TANTUM.

XXIII.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

## PUPILLÆ PHTHISI AC SYNIZESI,

S. ANGUSTIA P. N. ET CONCRETIONE.

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*DEFENDET*

CHRISTOPH. FRIDER. FRAAS

*Kircho - Teccensis*

Tubingæ 29 Decembr. 1745.

§. I.

REpetimus filum ophthalmiatriæ ac ab intertextis nuperrime aliis disputationum thematibus, nos jam accingimus ad dilucidandum oculi affectum rariorem, illique, quem haud ita pridem publice discussimus, nempe Mydriasi contrarium. Ibi enim de pupillæ præternaturali dilatatione disseruimus, *nunc de ejusdem præternaturali agemus angustia atque concretione.*

§. II.

Retinuimus hucusque veterum medicorum denominationes, quibus græcorum maxime principes, insigniverunt plerosque oculorum affectus morbificos. Unde hic non minus servandam putamus præsentis morbi ocularii antiquissimam appellationem, licet non diffiteamur aptiorem facile inveniri posse. Vocatur autem & est juxta *authorem* antiquissimum definit. med. [ *a* ] quem nonnulli Galenum supponunt, *Phthisis* pupillæ, hujus imminutio cum obscuritate: *Galenus* insuper duobus in libris: [ *b* ] primum in methodo medendi, quam genuinum ejus fœtum omnes agnoscunt, disertis verbis, licet in transitu quasi, meminit pupillæ mydrasis, s. dilatationis, & phthisis s. tabis, inductarum à liberali usu topicorum ex opio, mandragora, hyoscyamo &c. nec non in altero de sympt. causis [ *c* ] pluries allegat præternaturalem *pupillæ diminutionem*, hic quidem sine nominis specifici impositione. Verbis vero *Pauli Æginetæ* [ *d* ] φθίσις (oculi) est affectus pupillæ, coarctatæ, obscurioris atque rugosioris factæ: quæ autem videntur super his, majora adparent. Causa vero est spissitudo, à siccitate potius nata. *Aëtius* [ *e* ] hæc habet: φθίσις, s. tabes, pupillæ dicitur, cum angustior & hebetior facta fuerit. Hoc autem plerisque contingit ex periculosis debilitatibus, aut ingenti capitis dolore. His autem majora apparent quam pro naturali modo, quæ ab ipsis videntur, propter pupillæ angustiam. *Actuarius* [ *f* ] eisdem tantum non verbis repetit, quæ modo ex Paulo & *Aetio* recensuimus de Phthisi pupillæ, de visu tamen aliter statuens: prætendit enim ea, quæ cernuntur, hic minora omnia apparere. Transmittimus reliquos authores s. antiquos s. recentiores, quod vel

[ *a* ] Gal. Defin. med. φθίσις ἐςὶ μείωσις τῆς κόρης μετὰ ἀμαυρώσεως.
[ *b* ] Gal. Meth. Med. L. 3. c. 2. p. m. 17. b. in principio.
[ *c* ] Idem de Sympt. Caus. L. 1. c. 2.
[ *d* ] Paulus Ægineta, Enchirid. tot. Med. L. 3. c. 22. ἡ φθίσις, πάθος ἐςὶ τῆς κόρης ςενωμένης, καὶ ἀμαυροτέρας, καὶ ῥυσσοτέρας γινομένης. Τὰ δὲ ὁρώμενα ἀπὸ τούτων, μείζωνα φαίνεται, αἰτία δὲ πύκνωσις, ὑπὸ ξηρότητος μᾶλλον γινομένη.
[ *e* ] Aëtius, Tetrabibl. 2. Serm. 3. c. 53.
[ *f* ] Actuarius, libro, qui inscribitur Medicus s. de M. Medendi L. 2. c. 6. p. 184.

vel eamdem plerique inflant tibiam, vel intactum plane relinquunt noſtrum hunc oculi adfectum. *Vegetius* [g] notat illum in brutis obvium morbum vocatum fuiſſe στενοκορίασιν, & *Mercurialis* [h] eumdem hominibus ſubortum, στενοκορίαν h. e. pupillæ anguſtiam.

## §. III.

Qua igitur ratione, & quam bene, vel male hæc pupillæ præternaturalis anguſtia vocetur *phthiſis*, ſ. tabes pupillæ? Jam non diſputabimus. Cum vero hæc ipſa ſaltem *importet diametri pupillæ decrementum* plus minus notabile, remanente tamen aliquo, licet exiliſſimo, hiatu: itaque vel phthiſis pupillæ ſpeciem, vel alium proprio deſignandum nomine morbum eſſe oportet, quando ne hilum quidem *de pupilla ſupereſt*, ſed iris quaſi unum continuum efficit, nulluſque ſicuti radiis viſoriis relinquitur tranſitus in ſecundam oculi cameram, ſic etiam intuenti alii homini proſpectus in illam. Vocatur Woolhouſio talis omnimoda occluſio & concretio pupillæ Συνίζησις, *ſynizeſis*, confidentia, à συνίζειν, conſidere dicta, alias etiam συγκάθεσις, à συν' cum & κάθέζομαι, ſedere.

## §. IV.

*Itaque Phthiſis pupillæ eſt, hujus præternaturalis anguſtia, conſtans, ad luminis quoſcumque gradus plane nihil mutata, cum viſu nonnihil impedito, & hebetiore in loco non ſatis illuminato: ſynizeſis vero eſt pupillæ plenaria coarctatio, occluſio & ſubinde concretio, ut plane nullum foraminis veſtigium ſuperſit, cum viſionis diſtinctæ gravi imminutione, quin abolitione.*

## §. V.

## PHÆNOMENA ANTECEDENTIA.

Sunt, qui *à nativitate*, *alii per habitum* & defixam minutiſſimorum objectorum contemplationem, ſolis, aut rerum lumen copioſum valide reflectentium, ac *nimiam oculorum appropinquationem ad objectum* habitualem, ut myopes fiunt, ita arctiores ſibi contrahunt pupillarum diametros. Tales vero phthiſi pupillæ ideo non laborant, ſed diſpoſiti tamen videntur, ad illam facilius incurrendam, ſi aliæ, quas mox afferemus, cauſæ ſuperveniant morbificæ. *Ab ipſa etiam nativitate* coarctationem *pupillæ* ac *coalitum* perinde gigni poſſe, (licet nulla hujus rei, experientia & obſervatione confirmatæ, jam nos ſubeat memoria,) ſuſpicionem confirmant atretarum exem-

[g] Veget L. 2. Medic. veterinar.
[h] Mercurialis; Prælect. de ocul. & aur. affect. c. 8. p. 98.

exempla, qui clauſo præternaturali orificio vel ani, vel urethræ, vel vaginæ uterinæ in mundum eduntur.

## §. VI.

Medicamenta *narcotica* copioſe, vel diutius applicata oculis, e. g. ex opio, mandragora, hyoſcyamo parata redarguit *Galenus* [*i*] quod nulla alia re ſublati ad præſens doloris ſpeciem præſtent, quam quod ipſum ſenſum obſtupefaciant, hinc multos cum liberalius fuiſſent admota, nunquam naturalem ſtatum recepiſſe, ſed ex his principio quidem obſcure ac ægre vidiſſe, tempore vero hypochyſi, (ſuffuſione) vel mydriaſi, (pupillæ nimia dilatatione) vel phthiſi, (pupillæ nimia anguſtatione) vel corrugatione correptos fuiſſe. Huc trahi poterit, eodem reſpectu noxæ, *lolium*, ita dictum *temulentum*, cujus grana cum avena, aut tritico remixta, & vel in panem, vel pultem cocta atque comeſta ſolent inter alios temulentiæ, ſoporis, cephalalgiæ, vertiginis &c. effectus, viſum quoque luſciosum ac hebetem reddere, ut hinc adagio medico dicantur, *lolio victitare*, qui ſunt quacumque de cauſa hebetiori viſu [*k*].

## §. VII.

Humoris *aquei ſimultanea evacuatio* per vulnus corneæ, vel ſcleroticæ penetrans, undecumque inductum, pupillæ imminutionem infert, qualis quidem pupilla, regenerato paulatim humore aqueo, adhibitaque decenti cura, naturalem ſucceſſive recipit diametrum; ſi vero ita diu collapſa & coanguſtata maneat, limbus pupillæ, maxime ſi inflammatus, excoriatus, exulceratus ſimul ſit fiatque, facile poteſt coaleſcere, totumque ſic foramen iridis, quod pupillam conſtituit, contrahi, & in unam continuam coire membranam: imo propter evacuatum humorem aqueum, corneam plus minus ſubſidentem, iridemque corneæ magis appropinquantem fieri poteſt ſoletque, ut cornea & iridis uno pluribuſve locis cohæreſcant brevi, ſicque *ſynechiam* cudant, niſi hæc tempeſtive præcaveatur, collocatione præſertim ſupina ægri in lecto, ut iris gravitet tendatque magis in poſteriorem oculi cameram, quam anteriorem. Recenſet *Galenus* [*l*] hiſtoriam, qua geneſis anguſtatæ ſubito pupillæ illuſtratur, partim ex humoris aquei ſubitaneo effluxu, partim ipſius pupillæ compunctione. *Hiſtoria notatu digna*, hæc eſt: cæterum incredibile quiddam, nec fieri vulgo ſolitum in puero vidimus, qui ſtylo in pupillæ loco fuerat compunctus. Nam cum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota



[*i*] Galenus, meth. med. L. 3. c. 2. p. m. 17. a. in fine.
[*k*] Jo. Jac. Bajerus, Adag. Medicinal nro. 55. p. 117.
[*l*] Galenus, de Sympt. cauſ. L. 1. c. 2. p. m. 15.

cornea apparuit rugosior : cæterum sanatus, postea recte vidit, collecto scil. paulatim eo, qui effluxerat humore &c. Hinc etiam ubi visus per corneæ rugositatem adimitur, & pupillæ magnitudo simul minor est facta, propter hanc ipsam concludit, humorem aquosum etiam esse imminutum.

## §. VIII.

*Cumpunctiones iridis*, prope pupillam maxime, in variis vulnerationum modis, & ipsa etiam ineptiore cataractæ depositione, stricturam & coarctationem sphincteris pupillæ, hujusque sic plus minus notabilem angustiam, vel omnino totalem inferunt constrictionem. A *separatione* etiam iridis, & *uveæ* à circulo interno corneæ post operationem cataractæ male administratam vidit præses olim in Xenodochio Parisiensi ter centum cœcorum (aux quinze vingt) relictam in oculo sinistro pupillæ phthisin, tantæ angustiæ, ut pupillæ diameter vix aciculæ caput admisisset, camera oculi anteriore simul valde ampla existente, & lente crystallina per angustam hancce pupillam transparente coloris margaritacei. In oculo autem dextro pupilla valde fuit ampla, cum indiciis cataractæ crystallinæ, s. opacatæ lentis crystallinæ.

## §. IX.

Ictus atque *rudiores plagæ* citra inflictum vulnus externum, tam graviter subinde commovent ac contundunt iridem seu uveam, ut vel facta humorum congestione ac stasi in tubulis atque fibrillis uveæ musculi orbicularis, hæ tumescant, inflentur, atque pupillam arctent: Vel fibrillæ radiales iridis, pupillam dilatantes, labefactentur, debilitentur, ac atoniam incurrant, sicque harum antagonistæ orbiculares efficacius se contrahant: Vel abscessus exilis & exulceratio, aut simplex etiam excoriatio in iride producantur. Unde hæc, filamentis ad corneæ superficiem concavam extensis, mutuam utriusque oculi hujus tunicæ præternaturalem cohæsionem, (quæ synechia vocatur) atque aliquando pupillæ distractionem magis, (quæ Parastrophe audit) aliquando contractionem & angustationem ad instar marsupii loro constricti efficit. Haud ita pridem observavit præses in viro Tubingensi quinquagenario, postquam à ramulo arboris in dextrum oculum c. impetu resiliente visus confestim notabilis imminitio & obfuscatio, pupillæ Akinesia, s. immobilitas diametro quidem ejus tum adhuc naturali permanente, ophthalmia, hemicrania &c. essent subsecutæ, tandem quarta hebdomade pupillam multo angustiorem factam, immobilemque ad luminis gradus permanentem, insuper vero nonnihil distractam versus angulum oculi externum, cum initiis haud obscuris connexæ p. n. & coalescentis ibidem iridis c. cornea, mediante exili chorda floccosofilamentosa, è pupillæ limbo assurgente.

§. X.

§. X.

In *hypopyo*, ſ. pure inter iridem & corneam effuſo & ſtagnante, obſervavit Woolhouſius tanto magis imminui ac *anguſtari pupillam*, quanto magis in illa oculi regione puris accumulatur quantitas, quod olim jam monuimus [*m*]. Inter alia moleſta atque periculoſa ſubinde ſymptomata *empyeſis*, ſ. puris in ſecunda regione inter lentem cryſtallinam atque uveam collectionis, pariter jam olim [*n*] retulimus pupillæ diametrum arctius atque arctius contractam, alias quidem etiam diſtractam atque dislocatam. In *cataracta purulenta*, ſ. abſceſſu lentis cryſtallinæ, prætendit *Antonius* [*o*] pupillam ſemper, plus quam par eſt, imo extreme anguſtam obſervaſſe: imo ita conſtrictam ſupponit eſſe, ut etiamſi hæc cataracta operatione tollatur, tamen pupillæ tanta ſit remanſura anguſtia, ut lumen difficulter ſit tranſmiſſura. Eodem res recidit cum *ulceribus fiſtuliſque corneæ internis*, quæ pus ſuum in iridem effundunt, atque l. phthiſin pupillæ, l. ſynizeſin pariunt, uti peculiaribus in illos affectus impreſſis diſputationibus præmonuit præſes.

§. XI.

Cephalæa, hemicrania, ophthalmia interna graviores atque longiores haud raro phthiſin pupillæ induxerunt, prout pluribus confirmare poſſet Præſes exemplis: unicum, ſed rarius afferemus: textor è pago Oeltinga Adamus Mann quadragenarius, cum cephalæa dudum, & ſimulacris muſcarum oculo dextro jugiter, ſiniſtro per intervalla obvolitare viſarum conflictatus, jam per menſem ophthalmiam viſuſque majorem atque majorem hebetudinem paſſus exhibuit, cum an. 1722. d. 15. Sept. ſeſe Præſidi ſiſteret præſentem, in oculo dextro pupillam anguſtatam in tenuem rimam perpendicularem (inſtar felium) immobilemque, in ſiniſtro autem pupillam quidem pariter immobilem & contractam, ſed tamen figura adhuc circulari.

§. XII.

*Hippocratis* Φθινώδεες ὀφθαλμίαι [*p*] licet à plurimis commentatoribus legantur & explicentur tanquam duæ ſpecies morborum diſtinctæ, poſito ſcil. commate poſt adjectivum illud φθινώδεες, jam olim tamen, & noſtra

[*m*] Præſid. diſp. de hypopyo, habita hic an. 1742. p. 9. §. penultimo.

[*n*] Ejuſd. diſp. de empyeſi, anno 1742. p. 8. §. 5.

[*o*] Anton. Maître-Jean, des malad. de l'œil 8vo. à Troyes an. 1711 p. 314. 248. & 251. Unicam vidit Præſes cataractam lacteam, operationi ſubjectam ab ipſo Woolhouſio: ſed nulla aderat pupillæ phthiſis. Cæterum nos cataractam lacteam & abſceſſum cryſtallini c. Antonio non abſolute ſynonymos facimus.

[*p*] Hipp. Aphor. S. 3. §. 16.

noſtra quidem ſententia, rectiſſime ſunt explicatæ à vetuſtiſſimis medicis, & ipſo etiam *Galeno* [q] de tabidis lippitudinibus, i. e. ad tabem oculorum terminantibus: ex qua fiunt extenuati ac ſicci plus, quam naturæ conveniat, *facta ſimul & ipſa pupilla anguſtiore. Atrophia* & particularis tabes *totius bulbi ocularii* diſtincta quidem eſt à phthiſi pupillæ, ſed frequenter hanc adſciſcit, uti è mox allegatis non modo Galeni verbis, ſed & propriis noſtris conſtat obſervationibus. Vivit adhuc in noſtrate Orphanotrophio Tubingenſi fœmina cælebs, jam à triginta fere annis cephalæa, ac ophthalmiis frequentiſſimis, ſpaſmodicis miſere exagitata, cui jam à 15. annis oculorum bulbi ſic extenuari, gracileſcere ac contrahi cœperunt, ut in profundum orbitæ retracti, globulos minores, ſiniſter maxime bulbus, referant, cum notabili ſimul pupillæ anguſtatione & immobilitate, viſuque valde obſcuro in ſiniſtro oculo.

## §. XIII.

## PHÆNOMENA CONSTITUENTIA ET CONCOMITANTIA.

*Phthiſis*, ſ. anguſtiæ præternaturalis *pupillæ* hæc ſunt maxime phænomena conſtituentia & concomitantia, ſ. diagnoſtica ſigna (α): pupillæ, quæ in adultis & in lumine moderato ordinarie diametrum obtinet $1\frac{1}{2}$. linearum, *notabilis anguſtia*, per varios decrementi gradus, & denique tanta, ut vix relinquat interſtitium, quod aciculæ caput admittat: ſicque verbis Ovidii, in Metamorph. ſed & alio, huc tamen etiam applicabili ſenſu:

Fit luminis arctior orbis.

(β) *Immobilitas* i. e. ſine reciproca conſtrictione ac dilatatione ad luminis admiſſi l. intenſioris l. remiſſioris gradus, aut ad frictiones bulbi, mediante digito, palpebræ adhibitas ſuperiori. [r] (γ) *Anguſtatio* ordinarie *circularis*, *æqualis*, aliquando *inæqualis*, *anguloſa*, in caſu e. g. diſtractionis per adhæſionem cum cornea. Aliquando *per modum rimæ oblongæ*, perpendicularis, exemplo ſuperius §. 11. allegato (δ). *Color pupillæ*, quantus adhuc per ejus anguſtiam tranſparere poteſt naturalis niger, niſi complicatus ſit alius cryſtallini aut vitrei humoris opacati affectus, l. in ſe-

[q] Galen. in Aph. Hipp. Commentar. 3. ad §. 16.

[r] Mutabilitatem pupillæ in majorem & minorem diametrum non ſola varii luminis admiſſione, ſed frictionibus etiam talibus explorare debet ophthalmiater, quoniam ſunt pupillæ, quæ ad luminis mutationes plane non mutantur in ſua diametro, quæ tamen frictionibus ejuſmodi moventur, aliæ vero, eæque peſſimæ, quæ neutri tali obediunt medio.

ſecunda oculi camera hærens peregrinum corpus (ε). *Iridis color atque reliqua conformatio* in ſtatu naturali utplurimum permanentes : aliquando tamen iridis color mutatur in rubellum inflammatorium, l. fuſco-nigrum, quaſi è ſugillatione, &c. *E limbo pupillæ* aliquando, ſed rariſſime hic ibi prodeunt filamenta & *tenues chordæ*, quæ l. ipſam pupillæ oram connectunt, l. iridem affigunt corneæ. Aliquando *ex iridis ſuperficie*, propius remotiuſve à pupilla *excreſcunt*, inſtar luxuriantis carnis, *moleculæ*, *fungoſæ*, fluctuantes, plures paucioreſve, quem affectum iridis vocat Woolhouſius ὑπεραύξησιν. Sed, uti diximus, talia rariſſime c. phthiſi pupillæ conjunguntur (ζ). *Viſus* eo obſcurior atque nebuloſior, quo pupilla eſt anguſtior, l. lumen obſcurius & creperum magis unde fit Nyctalopiæ ſpecies; objecta vero nec majora, nec minora videntur, ac ſunt l. alias ſano percipiuntur oculo (η). Si alterutrius oculi pupilla ſaltem ſit phthiſi affecta alterius *oculi ſana pupilla* aliquanto fit *amplior*. Aſt *ſynizeſis*, ut omnimodam infert pupillæ concluſionem & contractionem eamque conſtantem & perpetuam, ita videndi nullam relinquit aliam facultatem, quam quæ ſanis remanet, clauſo & palpebris obducto bulbo oculario, ſcil. ſimplicem luminis ac tenebrarum perceptionem.

## §. XIV.

*Diagnoſis diſtinctarum* phthiſis pupillæ *cauſarum facilis* eſt in ſynechia, ulcere corneam penetrante, hypopyo, excreſcentia iridis fungoſa, atrophia totius bulbi, ſtaſi inflammatoria iridis &c. Hi enim affectus per attentam inſpectionem facile dignoſcuntur, ſi cornea naturalem ſuam l. in totum, l. potiore ſaltem ſui parte ſervarit pelluciditatem. *Difficilior* autem eſt in affectibus, qui poſt pupillam propius remotiuſve, vel & quidam in ipſa iride reſident, ac l. ſympathicam l. idiopathicam efficiunt phthiſin. e. g. Si choroidea ac uvea ſint inflammatæ, ſi muſculus orbicularis iridis ſit ſpaſmodice conſtrictus, aut, ſi hic retinuerit quidem naturalem tonum, fibræ autem iridis radiatæ muſculares atonia laborent & paralyſi. *Inflammationis* tamen illius *internæ* ſigna tum reputamus fore, dolorem internum oculi pungitivum, lancinantem, pulſatorium, calorem, ardorem, ſummam luminis intolerantiam, hemicraniam, ſymptomata febrilia: *ſpaſmum muſculi pupillæ orbicularis* ſuſpicari licebit, è ſenſu interno conſtrictivo, ſubitanea pupillæ primitiva anguſtatione, prævia & conjuncta irritatione per punctionem, vulnuſculum, pus acre. *Atoniam* vero & paralyſin *radiatarum iridis fibrarum* muſcularium, in ſtatu naturali tum relictis orbicularibus prodent, ſenſus illius interni conſtrictorii, modo allegati, atque ſtimuli circa pupillam abſentia, paulatina pupillæ anguſtatio, prægreſſi vehementes ac diuturni dolores interni oculi capitiſque pondus l. à ſeparato, indurato, in cameram anteriorem oculi elapſo, atque baſi iridis incumbente cryſtallino, l. à pure inſpiſſato, quod nervulos fibraſque muſculares iridis

tenerrinos premit, & influxum ſpirituum animalium in muſculos hos, pupillam dilatare ſolitos, impedit & imminuit ex parte.

§. XV.

*Species ac differentiæ* Φθίσεως pupillæ ſequentes ſunt: pupillæ *partialis*, l. *totalis* arctatio ac conſtrictio illa phthiſis, hæc ſynizeſis venit nomine. *Eſſentialis* l. idiopathica iridi l. uveæ propria, quæ ex quocumque hujus tunicæ ipſius vitio; ſymptomatica vero aut *ſympathica*, quæ alius partis culpa oritur. *Simplex* quando ſolus, ſibi relictus eſt hic affectus: *complicata*, ſi juncta fuerit e. g. Synechia, Paraſtrophe &c. *Subitanea* vocatur, quæ ſubito fit: *ſucceſſiva*, quæ lente generatur, magis magiſque ſed paulatim arctior facta. *Incipiens*, recenſque, brevi, haud ita pridem orta; *inveterata* quæ per menſes invaluit annoſque. *Connata*, quam fœtus in lucem exiens apportavit: *adſcititia*, quam homo natus ſub variis ætatis periodis demum contraxit. *Unilateralis*, ſi alterutrius ſaltim oculi pupilla ſit affecta: *bilateralis*, ſi utriuſque.

§. XVI.

*Differt* phthiſis pupillæ ab aliis hujus affectibus: & quidem *à mydriaſi*, quod hæc denotet ampliorem præternaturalem & immobilem pupillam: ab *Akineſia*, quod hæc ſimplicem ſignificet pupillæ immobilitatem, ſervata diametro ſua naturali. *A Paraſtrophe*, quod hæc pupillæ dislocationem & remotionem à centro iridis notabilem innuat, nullo ad diametrum pupillæ habito reſpectu. *A Rhogme*, quod hæc lacerationem, rupturam limbi pupillæ, atque ſic inæqualem ac ampliorem pupillæ diametrum importet. Ab *infarctu & oppletione* pupillæ per corpus ſolidum, e. g. impactam pupillæ lentis cryſtallinæ particulam, unde illa quidem occluditur etiam, vel obturatur potius, cum proprie phthiſis pupillæ ſit ex ipſa coarctatione & contractione ſphincteris pupillæ, atque limbi pupillæ conſtrictione. Differt denique ab *anguſtia naturali*, quæ nonnullis vel à nativitate vel poſt annos, uti myopibus obtingit, ſed quæ nec motum naturalem pupillæ tollit, nec viſum obfuſcat.

## PHÆNOMENA CONSEQUENTIA.

§. XVII.

Phthiſis pupillæ, per ſe, & ab initio, ut nullo dolore, vel alia majore moleſtia ordinarie ſtipatur, ita ab ægris diu hæc non percipitur & obſervatur, vel non curatur. Cum tamen aliquando ſucceſſive hic fiat, ut cum *Ovidio* loquamur luminis arctior orbis, & denique vix remaneat pupillæ veſtigium, hinc vero non ſaltem fœda iridis conformatio, in omnium oculos ſtatim

ſtatim incurrens exſurgat, ſed etiam viſus diſtinctus tum plane tollatur; itaque minime negligendus eſt hic affectus, ſed tempeſtive decenti cura tractandus. Majorem incutit metum, ſi ab interna ſuppuratione malignoque pure arroſa iris colorem induerit ex albo flaveſcentem aut virideſcentem: ſi luminis plane nulla, vel leviſſima ſuperſit perceptio: ſi oculo affecto, palpebris apertis, ne quidem eam retineat lucis & tenebrarum perceptionem, quam ſanus animadvertere ſolet, palpebris obductus: tum enim vel corrupta plane eſt & deſtructa iris, vel à tergo uveæ ſubeſt mox cryſtallini, mox vitrei profunda opacatio, aut plane vitium in retina, vel nervo optico per modum amavroſis. Cum enim alias, ſi per Pharmaciam hæc pupillæ phthiſis tolli nequeat, ſuperſit remedium è chirurgia, nimirum immiſſa convenienti acu aperiendi ac dilatandi coarctatam & contractam plane pupillam; hæc tamen operatio in caſu vitiorum modo allegatorum minime locum habet, niſi vel antea, vel ſimul conjunctus cum ſynizeſi alter morbus tolli queat, & e. g. lens cryſtallina opaca deprimi. Laterem lavaret quoque chirurgus, ſi operatione chirurgica dilatare vellet pupillam, quæ ob ſeparationem ligamenti ciliaris uveæ à circulo corneæ interno vel proceſſuum ciliarium à membrana vitrei undecumque inductam (conf. §. 8.) acquiſivit phthiſin, aut ſynizeſin: aut iridis maxima ſui parte arctius cohæreret & quaſi agglutinata foret corneæ. Quamvis autem temeraria videri poſſet hæc operatio, & reſeratio pupillæ occluſæ per iridis punctionem ac ſectionem acu faciendas, ob exquiſitum hujus tunicæ ſenſum non modo, ſed copioſa etiam ſanguinea vaſcula; docuit tamen experientia, & ſanabilia, &, citra viſus quoddam permanens, damnum, caſu non minus, quam arte ſive ſtudio inflicta iridi vulnuſcula fuiſſe. Ab omni quidem rudiore attactu iridis, aut ſuperflua irritatione omnino chirurgus habet, quod ſibi temperet.

## §. XVIII.

## PATHOLOGIA.

*Phthiſis* atque *ſynizeſis* pupillæ formaliter & proprie *ad morbos conformationis* ſpectat, in viis, quæ decenter patulæ debebant eſſe, præter naturam anguſtatis atque clauſis, licet phthiſis, reſpectu atoniæ & immobilitatis, ad ſymptomata facultatis animalis, in motu abolito, referri etiam ex parte poſſe videatur. *Subjectum morbi adæquatum* eſt tunica oculi uvea, in toto ſuo concreto, qua omnes ſuas partes & lamellas: *principale* eſt tunica uveæ muſcularis. Fibræ enim & tunicæ muſculares ſubjectum ſunt & inſtrumentum motus, ſicuti naturalis, ita & præternaturalis atque atoniæ & paralyſis. Subjectum hoc phthiſis pupillæ modo eſt *eſſentiale*, quod nonnulli vocant, [s] quod

[s] G. W. Wedelius in Pathol. Dogmat. p. 15. §. 8.

quod ſcil. & morbum & hujus cauſam proximam in ſe habet ſimul, ut in phthiſi idiopatica: modo *per conſenſum*, in mydriaſi ſympathica. *Subjectum cauſæ* proximæ, quæ conſtrictionem & anguſtationem pupillæ efficit, vel ipſa eſt iris uveaque, vel alia pars oculi remotior [*t*].

## §. XIX.

*Cauſa phthiſis* atque *ſynizeſis* pupillæ *proxima* poteſt ſoletque eſſe *varia*. Orbicularis muſculus iridis ſi ſtringatur, atque naturaliter, vi ſuæ actionis & fibrarum directionis contrahatur, pupillam anguſtat in oculo quovis ſano ad luminis vividi illapſum, ſi vero *radiatæ*, rectæque *iridis fibræ muſculoſæ*, quæ naturaliter inſerviunt dilatandæ pupillæ, fuerint *debilitatæ*, *atonia vel paralyſi laborantes*, tunc orbiculares viribus movendi integris, naturalibus gaudentes tanto facilius ſuperant æquilibrium fibrarum radiatarum, rectarum, dilatantium, ſicque magis magiſque anguſtatur pupilla.

*Quodſi* vero radiatæ hæ *fibræ* naturalem ſuum ſervent tonum, *orbiculares* autem morbifice, *ſpaſmodice* violenter *contrahantur* & tandem quaſi obrigeſcant, fit pupillæ anguſtatio, ſalvis etiam radiatis fibris. Huncque modum nobis imaginamur obtinere, quando e. g. in operatione hypopyi & cataractæ, aliquando ſubitanea fit ac arctiſſima pupillæ contractio.

*Circulus arterioſus iridis minor*, circa pupillæ oram *turgidus*, *tumidus*, tubulos fibraſque orbiculares pupillæ infarcit, expandit, tumefacit ſanguine ac ſubtiliſſima lympha, iridis ſuperficiem tunicamque auget & prorogat verſus pupillam, hujuſque diametrum hinc minuit, pro ſtagnationis illius & congeſtionis majore copia & impetu, plus minus.

Sed è tali congeſtione & extravaſatione aliquando fiunt etiam *excreſcentiæ* quaſi *fungoſæ*, è fibris tubuliſque elongatis, exporrectis, auctiſque, quæ filamentis ſuis, quaſi compedibus, irretiunt oram pupillæ, & tela præternaturali compingunt, anguſtantque pupillam. *Excurrunt* vel *ex ora pupillæ*, *vel alio iridis puncto* aliquando *hi funiculi* longius, ut capreoli plantarum, & internæ ſuperficiei *corneæ ſe affigunt*, tumque libenter detorquent ſimul & luxant quaſi diametrum & figuram pupillæ, morboſque pariunt non ſaltem eos, qui vocantur *ſynechia* ac *paraſtrophe*, ſed & ſubinde *phthiſin pupillæ*. Vice autem verſa aliquando *fibrillæ hæ* præternaturales *è corneæ concava ſuperficie*, ulceroſa fungoſaque *deſcendunt in iridem*, & pupillæ limbum, ſimilemque tam Phthiſin pupillæ, quam paraſtrophen inducunt. Hocque *ſpecimen* eſt phthiſis *pupillæ ſympathicæ* per conſenſum cum cornea. Aliud exemplum præbet *inflammatio retinæ & choroideæ*, quæ nervorum pupillarium ſpiritus animales fervidius exagitat, fibras pupillæ orbiculares inflat, tenditque, & pupillam anguſtat.

Sanies aut *materia purulenta*, ex hactenus allegata ſanguinis in uvea con-

[*t*] Subjectum hoc φθίσεως pupillæ curatius jam excuſſimus anatomice, phyſiologice ac pathologice in diſput. de mydriaſi, quorſum & hic provocamus.

congeſtione & ſtaſi generata, vel in *hypopyo*, in genere incumbens iridi, vel in *empyeſi* uveam alluens, vel ex *abſceſſu lentis cryſtallinæ* affricta parietibus pupillæ poterit etiam facile labem ſuam & acrimoniam fibris uveæ ac iridis tranſmittere, eas excoriare, exulcerare, atque ſic irritatis orbicularibus pupillæ fibris, non ſaltem ſtringere & anguſtare pupillam, hyperauxeſin, & carnem luxuriantem iridi ſuperinducere, ſed & propius jam adductos ad ſe invicem parietes pupillæ, & contiguos factos in unam denique continuam jungere membranam, atque ſynizeſin parere, ſimili modo, quo per obſervationes conſtat e. g. poſt vaginæ uteri excoriationem & exulcerationem illius latera facile coaleſcere, & liberum commeatum amittere, niſi aliquod interponatur tempeſtive corpus, quod mutuum attactum parietum vaginæ impediat.

## §. XX.

De *pupillæ infarctæ*, & *obturatæ* per impacta in ipſius intercapedinem peregrina corpora, ſpeciminibus & cauſis hoc loco quidem data opera non diſſeremus. Cum autem de operatione chirurgica, quæ phthiſi ac ſynizeſi pupillæ, proprie talibus, competit, jam ſit agendum, & ipſa hac operatione, illa quoque peregrina corpora è pupilla removeantur, paucis hæc quoque attingemus. *Obſtipatur* & infarcitur autem iridis uveæque foramen commune, *pupilla*, ſive naturalis manſerit amplitudinis, ſive dilatatum in mydriaſi, ſive anguſtatum fuerit in phthiſi, obturatur inquam l. in totum, l. in tantum, aliquando à *lente cryſtallina*, præter naturam oræ pupillæ *accreta*, affixa, atque intra pupillam prominente: aliquando ab *eadem exſiccata*, indurata, diminuta, & à naturalibus ſuis vinculis ſoluta: aliquando à *portione lentis cryſtallinæ ſeparata*, uti fit e. g. poſt conciſionem & laceratione cataractæ cryſtallinæ per operationem chirurgicam; aliquando à *grumulo ſanguinis*: nec non ab *excreſcentia fungoſa iridis*, & *pure fibroſo* ſpiſſiore, concreto.

Qualia igitur corpora, pupillam obturantia & foramen hoc naturale occludentia, ſi contractiorem & anguſtiorem pupillæ diametrum ſimul importent, directe ad præſens noſtrum φθίσεως pupillæ thema, ſpectant; quod ſi vero pupillam, naturalis, imo auctioris diametri exiſtentem, ſimpliciter infarciant, indirecte tamen huc pertinent, quatenus una operationis fidelia duo parietes dealbantur, & non minus pupilla clauſa aperitur, & anguſta dilatatur, quam corpora illa peregrina, quantum licet, ſeparantur, removentur, vel ita certe diriguntur, ut ne viſui poſthac præjudicent.

## §. XXI.

Nolumus ad finem hujus partis ætiologicæ, veterum ſerram diſputationis reciprocare: *an hæc phthiſis à ſiccitate* potius, an humiditate proveniat?

Exſiccatio, induratio, occaleſcentia, tunicis accidere poteſt, quæ benigniſſimis jugiter alluuntur fluidis, ſanguine, lymphaque, ut vel ſolo arteriarum oſſeſcentium exemplo abunde conſtat. Lens cryſtallina ſubtiliſſimo atque pellucidiſſimo perluta liquido, maximaque ſui parte jugiter irrigata humore aqueo, quoties non indureſcit ſaltim, ſed imo in tartaream ſubinde & arenoſam concreſcit ſubſtantiam. Poſſent plura cumulari argumenta, quibus evinceretur ſiccitatis uveæ iridiſque poſſibilitas, ſi non ſemper per modum exhalationis & tranſpirationis, quibus exſiccatio perficitur alias, tamen per affluxum liquidi nutritii denegatum, aut indolem liquoris quo perluitur, præternaturalem figentem, incraſſantem, humoris aquei effluxum è vulnere corneæ vel ſcleroticæ &c. Rarius vero hæc evenire, & dubio admodum hoc effectu, ut pupilla hinc anguſtetur, è contrario autem humiditatem nimiam, congeſtiones & ſtaſes in uvea frequentius hic peccare, non diffitemur. Sed & neutram ex his contrariis cauſis aliquando locum habere, ſuperius allegatæ inter cauſas §. 18. ſpaſmi, paralyſis, ſynechia teſtantur.

## §. XXII.

## THERAPIA.

*Indicatio obſervatoria* jubet docetque fientem ac metuendam pupillæ phthiſin & ſynechiam prævenire & avertere:

*Indicatio curativa* generalis vero, pupillæ diametrum ac mobilitatem naturalem reſtituere, atque ſic ſpeciebus viſibilibus liberum reddere commeatum ad organum viſus principale.

Huic indicationi curativæ generali *ſubordinantur ſpecialiores* quæ ſequuntur:

(1) Orbicularis muſculi pupillæ ſtricturas ſpaſmodicas relaxare, demulcere: aut hujus muſculi antagoniſtas fibras iridis muſculares radiatas, atonia vel paralyſi laborantes confortare.

(2) Sanguinis congeſtiones, ſtagnationes atque ſtaſes inflammatorias iridis, uveæ, choroideæ, retinæ revellere, diſſipare ac reſolvere.

(3) Materiam purulentam, rodentem, irritantem, mitigare, diſcutere, evacuare.

(4) Pupillam anguſtiorem dilatare, concretam perfodere ac aperire, filamenta, quæ iridem nectunt p. n. corneæ, diſcindere.

(5) Corpora peregrina, pupillam obturantia, expungere, ſeparare, deprimere, eliminare.

(6) Vel & novo ac alieno loco iridem uveamque pertundere, ac pupillam effingere artificialem.

(7) Inflictum per ejuſmodi operationes chirurgicas, l. & caſuale vulnuſculum iridis ac uveæ in ſuo limbo conſolidare, foramen vero artificiale patulum ſervare.

(8) De-

(8) Denique visum roborare, oculoque claritatem restituere.

## §. XXIII.

Ad exequendam indicationem præservatoriam generalem *præcavendi phthisin pupillæ ac synizesin*, dispiciendum est primum, è quanam causa hi affectus immineant? Si ex ophthalmia interna, Empyesi, Hypopyo, Atrophia oculi totius, &c. his affectibus ipsis tempestive decenterque obviam est eundum. A potiori tum quoque valet regula generalis, evitandi lumen intensius, copiosum, atque longius, non modo quod plurimis tum molestum esse soleat, sed etiam, quod pupillam, aliqua adhuc gaudentem mobilitate, in arctius semper cogat spatium. Ad *synechiam*, (§. 7.) vero, quæ metuitur è vulnere corneam penetrante, humoris aquei effluxu, corneæ subsidentia, ulcere corneæ interno, mutuaque iridis ac corneæ nimia appropinquatione, *præveniendam, & hinc metuendam pupillæ phthisim* cavendam, lumen per vices & sano & affecto est admittenda oculo, ut lumine hoc in motum concitata iris l. non acquirat punctum adhæsionis ad corneam, l. formari jam cœptum, tempestive dimittat, atque sic puncta contactus subinde mutet, nullamque coalescendi moram servet. Huc autem plures adhuc pertinent cautelæ, illa etiam quam maxime, quam §. 7. prælibavimus de synechia: quas vero ad pleniorem, olim sistendam, synechiæ tractationem servamus.

## §. XXIV.

*Indicationes curativas* §. 22. enumeratas nolumus prosequi omnes, cum pleræque harum spectent ad singulares distinctorum affectuum aliorum oculi tractationes, quales l. jam tradidimus in præmissis disputationibus oculariis, l. Deo volente subnectemus. Itaque quæ hic agenda sint contra internas sanguinis stases, uveæ, choroideæ retinæque tunicarum inflammationes, quæ contra materiem purulentam, in prima vel secunda regione oculi effusam, quæ contra p. n.lem iridis connexionem cum cornea, &c. ea omnia in pleniore tractatione de ophthalmia, hypopyo, empyesi, synechia &c. suis quæque locis sunt prosequenda atque evolvenda.

## §. XXV.

*Stricturas fibrarum orbicularium pupillæ spasmodicas relaxare* annitimur sublata primum quousque fieri potest, causa stimulante, educto per operationem chirurgicam pure rodente, vel medicamentis dissipato; extracta vel vera, vel metaphorica spina: tum & medicamentis in- & externis antispasmodicis, nervinis. *Externe*, spongiosa sambuci in ▽. sambuc. valerianæ, pœoniæ macerata, calide palpebris oculi affecti applicata. Cataplas-

mate è fl. ſambuc. melil. verbaſc. croc. ſem. Lini cum mica panis ſimilaginei in lacte cocto, palpebriſque impoſito: balſamo frequenter palpebris & ſupercilio lateris affecti illito, ex Axungia, Caſtor. ol. nuciſt. expr. & ol. deſt. ſuccin. rutæ & lavend. emplaſtro rubefaciente, quin veſicante, tempori, lateris affecti, applicito: veſicatorio poſt auriculam poſito. *Interne* temperantibus, abſorbentibus, antiſpaſmodicis, anodynis: è nitro cryſtallino, ſacch. lactis, l. 69. millep. præpp. cinabr. antim. rectif. ⊖: vol. ſuccin. extr. pœon rutæ, caſtor. pap. err. ther. cœl. liq. c. c. ſuccinat. - anod. min. h. &c. *Atoniæ* vero & *paralyſi fibrarum iridis radiatarum* opponemus topica, & interna efficaciora aperitiva, excitativa, ſtimulantia, nervina, tonica. Extus vero collyria, ex infuſione caryophyllorum aromat., croci metallorum, HB. Serpilli, roriſmar. fl. lavend. in vino rubro: quam &, in ſpleniis intinctis, palpebris, & in refracta doſi intra palpebras tepidam inſtillare licet; ſi vero bulbum oculi nimis admordeat, temperari poteſt admixtione ▽æ deſt. Lavend. & roſar. Vel palpebris diligenter illinendum ſuademus litum, ex ol. dto anthos, lavend. ſerpil. aa. gt. x. ∽: formic. ſpir. vin. camph. aa. ʒij. ∽ ⊖ ☿ ci c. calce viv. parat. ʒj. Huic ſcopo inſerviet quoque bals. vit. Hoffm. l. bals. Schaueri, ſimiliaque alia.

## §. XXVI.

Aſt ſi pupilla fibrillis ultra citraque excurrentibus anguſtiſſime conſtricta vel penitus concreta fuerit, nullum ſupereſt remedium, niſi per indicationem quartam §. 22. *operatio chirurgica*, *quam* cum Woolhouſio *vocabimus diæreſin*, qua mediante diſcinditur rete illud præternaturale, ac uvea iriſque aperiuntur in loco pupillæ ordinario, vel prope hunc. *Inſtrumentum* operationi huic inſerviens eſt acus vel teres, vel plana, qualibus alias cataracta deponi ſolet. *Cheſeldenus* [ x ] adhibuit ſcalpellum anguſtiſſimum, ſive acum, qualis fere ad cataractam ſupprimendam adhibetur, ſed ſolum in alterutro latere ſecantem. Mihi videtur teres figura minus apta; quod ſuo quidem apice acuto facile per tunicas penetrare, ſed infligendum iridi exile foraminulum, ſatis ampliare nequeat. Acus plana & cuſpide donata præſtat quidem tereti, ſed cum latera non habeat acuta, ſ. ſcindentia, pariter non ſatis adæquata eſt, vel fibrillis pupillam irretientibus diſcindendis, vel foramini uveæ inſculpendo, ſatis ampliando, niſi magno cum ægri & operatoris incommodo, temporiſque diſpendio. Adhiberi etiam poteſt acus apice triangulari, cuſpide acuta, & lateribus ſcindentibus inſtructa. Cheſeldeni acus vero reliquis palmam præripit, ubi majus & novum plane foramen uveæ infligendum eſt. Optionem relinquimus arbitrio cujuslibet operatoris, qui diverſis caſibus & intentionibus, hanc illamve acum judicaverit aptiorem.

*Spe-*

[ x ] Cheſelden, anatomicus & chirurgus celeb. Londinenſis in append. ad 4tam edit. anatomiæ ſuæ p. 20. & celeber. Heiſter ex eo in chir. lat. p. 616. ſ.

*Speculum oculi* in hac operatione adhibuit Cheſeldenus, ad palpebras probe diductas & apertas ſervandas; ſed carere poterimus hoc impedimento, & vel digitis alterius manus ſatis divaricare palpebras, vel ſuperiorem ſaltem attollere *ſuſpenſorio palpebræ ſuperioris* lævi hamulo, cujus deſcript. vid. in noſtra diſp. de hypopyo, p. 26. §. ultimo.

Antequam operatio inſtituatur *in parato* quoque *ſint*: *faſcia* conveniens utrique obligando oculo. *Manipulus Goſſypii*, ſpuma, agitati cum aq. roſar. Albuminis ovi, madidus; *lectus* debite apparatus in quem ſe ſtatim ab operatione recipiat æger. Imo aliquot ante operationem diebus non male *blando purgante* ſubducetur alvus, & in vegetis atque plethoricis ſubjectis *vena* pedis *ſecabitur*: majore enim adhuc præcautione opus eſſe in hac operatione cenſemus quam in cataractæ depoſitione.

## §. XXVII.

Locus, aut *conclave*, in quo ſuſcipienda eſt operatio, ſatis ſit clarus; opus enim eſt accurata inſpectione, ut operator & locum pupillæ naturalem, aut alium, quem elegit in uvea pertundendum, & fibrillas præternaturales uveam colligantes, & directionem motumque acus ſuæ diſtincte ac dilucide obſervet.

Si complicata cum ſynizeſi fuerit *ſynechia* (§. 7.) hæc *prius eſt* per operationem chirurgicam, huic morbo convenientem, *tollenda*, atque tum ſimul danda opera, ut cum acus jam ſit trans corneam adacta, in primam oculi regionem, ut, ſolutis vinculis, quæ corneam cum iride colligaverunt præter naturam, aperiatur, dein etiam pupilla referetur atque dilatetur, ut ne ad novam, per ſcleroticæ punctionem ſuſcipiendam, ſynizeſis operationem ſit deveniendum, id quod prudentiſſime monet *Woolhouſius*. Sed & fatetur, *operationem ſynizeſis* multo *felicius ſuccedere*, ſi in *ſecunda oculi regione* ſuſcipiatur, quam in prima. Æger, operationi mox ſubjiciendus, *in ſella* collocetur, ut in cataractæ depoſitione ſolet: operator quoque ſitum ſervet eumdem. Cautelæ reliquæ pariter eodem recidunt.

*Locus inciſionis*, acu faciendæ, idem fere eſt, qui in cataracta conſuevit. Nimirum in ſclerotica, unius vel ſeſquilineæ circiter diſtantia à circulo corneæ externo, & unam fere lineam decliviore loco, quam qui reſpondet radio, è corneæ centro ad ſcleroticam recta tranſverſim educto. *Sanus oculus*, ante operationem, ſplenio & faſcia eſt *obtegendus*.

## §. XXVIII.

*Operatio ſic* eſt *perficienda*: diductis, probe ſervatis palpebris jubeat operator ægrotum, *dirigere oculum* affectum *verſus canthum internum*, & in eo ſervare ſitu: *acum* dicto ſcleroticæ loco, *perpendiculariter adigat*, uno ictu, abſ-

que nimio tamen impetu, per tunicas oculi hic obvias, in regionem oculi posticam, *apicem acus* deinde *inclinet versus uveam*, atque locum pupillæ, cujus vel aliquod vestigium relictum conspicit trans corneam, vel in medio circiter iridis, uveæque investigat: atque tum *fibrillas præternaturales* pupillam colligantes, colore albidas, vel ex albo-rubentes, acu caute *dissecet*, *acumque* (quæ hic lateribus debet esse obtusis, non scindentibus) *intra pupillam* aliquoties hinc inde *verset*, *hancque* magis *ampliet* magisque. Inter hæc vero sollicite caveat, *ne oram pupillæ vel uveam compungat*, aut vulneret. Cum satis aperta & liberata per hanc operationem visa fuerit pupilla, *retrahat* oculo suam *acum* recta, *ægrumque* confestim *in lectum collocet supinum*, toto corpore horizontaliter cubantem, oculumque affectum *gossypio spuma albuminosa impregnato*, *splenio ac fascia* molliter *vinciat*.

Intra hos limites operationis substitit *Woolhousius*, omnemque vulnerationem iridis uveæque vitandam cane ac angue pejus imperavit, hicque in primis attendenda ophthalmiatro præcepit *Davidica verba*: custodi me sicut pupillam in oculo! Rationem facile deteget, qui structuram iridis ac uveæ habet perspectam adeo sensilem, valde vasculosam, ac distinctis fibrarum muscularium phalangibus instructam, denique & uveæ nigredinem, quæ per operationem abrasa, humorem aqueum turbaret insigniter diuque: è quorum singulorum læsionibus nempe tot atque tanta mala juste metuenda videntur. Sed excussit hunc metum & subactius judicium & fidelis experientia. Non immorabimur rationibus à priori, ad evitandam prolixitatem, sufficiunt eæ, quæ deducuntur à posteriori, s. experientia, quæ in variis oculorum & uveæ læsionibus e. g. staphylomate, parastrophe, variis vulnusculis & lacerationibus docuit, molestissimas quidem esse & periculosas hujuscemodi læsiones, sed non semper, nec præcise ob uveam solam. Maxime vero animum addidit meticulosis Cheseldenus supra laudatus (vid. ad §. 26. not. x) qui *uveam iridemque* non saltem in *loco pupillæ consueto*, sed etiam *ad ejus latera perfodit & aperuit*. *Temeritatem* vero hanc, quæ videri potuisset, *diluit* & insignis ejusdem scientia anatomica, cujus alias quo profundior ignorantia, eo reddit audaciores aliquos chirurgos, vere tunc temerarios, & *felix* eventus absterset.

## §. XXIX.

Unde *vestigia* celeberrimi *Cheseldeni* confidenter prementes, in eo casu, quo per synizesin pupilla tota quanta est contracta, & in unam continuam coalita membranam, sive à nativitate sive à variis casibus vitæ talis demum est facta; porro jubemus ophthalmiatrum, acu in apice vel utrinque vel alterutro saltem latere scindente, tum usurum, eodem loco & modo quibus supra diximus hanc infigere, *uveam iridem* que vel in naturali loco pupillæ, vel ad latera, *pertundere*, ut cuspis acus intra primam oculi cameram transpiciat, tumque iterum retrahendo acum *vulnus* inflictum *ampliare* ulteriori incisione, quam acus, in latere uno vel utroque scindente, præstat. *Foramini* huic *artificiali*

*tificiali diameter conciliatur duarum* vel *trium linearum*, figura vero rotunda, tum effingi nequit, ſed oblonga ac tranſverſa, vel oblique tranſverſa reſultat, atque ſic naturalem formæ gratiam non æque obtinet ac in priore operatione (§. 28).

Poterit *acus*, facta jam modo laudata inciſione & dilatatione iridis, *tantiſper* quieta *ſervari intra oculum* & circumſpici an ſatis hiet novum hoc foramen, ſ. pupilla artificialis: imo, *ſi* tum deprehendatur *conjunctum cataractæ* cryſtallinæ *vitium*, deliberari, annon eadem hac opera, ſimul cataracta deponi: aut, ſi puris copia delituerit in ſecunda regione oculi, ſ. *empyeſis jungatur*, quæ prius ob pupillam totam concluſam ab ophthalmiatro videri nequiverat, hoc pus per vulnus ſcleroticæ, ſub acus extractione tantiſper dilatatum, emitti queat? Id quod putaverimus quoque agendum, *ſi in operatione* contigerit *notabilis effuſio ſanguinis* in cameram oculi poſteriorem.

*Locum inciſionis* & dilatationis uveæ iridiſque *aliquando decliviorem* centro iridis eligere coactus eſt *Cheſeldenus*, ob albuginem ſ. leucoma, quod partem corneæ ſuperiorem occupaverat atque obfuſcarat.

## §. XXX.

*Si peregrinum corpus pupillam infarſerit* atque obturaverit, tentanda eſt ejus per acum quamdam §. 29. laudatam ſeparatio & reſciſſio, ſed caute & ſuſpenſa manu molienda, ne vel nimium irritando, vel lacerando gravius priore damnum inferatur, corpuſque illud ad fundum regionis oculi ſecundæ deprimendum eſt, quemadmodum in operatione cataractæ fit. Si vero jam operatione ſeparatum *tale corpus evaſerit in primam oculi regionem*, ea eſt tractandum methodo, quæ cataractæ cryſtallinæ à vitreo ſeparatæ, vel toti, vel ejus portioni, in hanc regionem aberranti, debetur.

*Si* corpus tale *infarciens fuerit lens cryſtallina*, indurata, opaca, & mole tum ut ſolet, imminuta, tentanda quidem eſt ejus ſeparatio ac depreſſio, neque tamen mordicus urgenda, ſi tenacius ac undique adhæreſcat. Satius tum eſſe videtur, imitari *Cheſeldenum*, qui, intacta cataracta & ſedi ſuæ relicta, uveam iridemque diſſecuit, & aperuit paulo ſupra pupillam, atque radiis luminoſis ingreſſum paravit ſupra verticem hujus cataractæ, tanto feliciore cum ſucceſſu viſus, quo in ejuſmodi caſibus lentem cryſtallinam, cataracta laborantem, minoris diametri, atque molis eſſe contendit.

## §. XXXI.

*Poſt hanc* quoque *operationem* æger ſe ſtatim componat in lectum, ſupinus, pectore ac capite horizontaliter quietus decumbat: omniaque præcepta, quæ in priore modo operandi §. 29. debebant inculcari, curæ cordique habeat ſtudioſiſſime. Oculus vero, hanc operationem paſſus, defenſivo primum illo albuminoſo §. 26. eſt muniendus, dehinc vero contra metum in-

nflammationis, dolores acutos, agrypniam & quæ alia poſſent conſequi ſymptomata, pugnandum eſt in - & externis, quæ copioſe non minus ac diſtincte commendavimus jam olim in diſp. de hypopyo p. 29. & ſeq. it. de empyeſi p. 18. ſſ. nec non quæ ad fontem ſpectant diæteticum. Cramben igitur hanc non recoquemus. Pauca tamen alia ſuperſunt monenda. Oculus affectus molliter eſt quavis vice obligandus. Æger, quando apparatus chirurgicus ab oculo demitur, in ſitu ſupino, vel pauliſper acclivi, & loco modice illuminato plures detinendus dies, donec omnis evanuerit metus inflammationis internæ, & ipſe lumen facile ferat. Quamprimum iris nullam inflammationem, nec exulcerationem exhibet, in debita perſtat diſtantia à concavitate corneæ, ac oræ recentis ac artificialis pupillæ decurſu aliquot dierum obductæ judicantur cuticula, ſ. cicatricula, tum æger poterit in lecto cubare erectior, l. extra hunc in ſella conſidere, cum ita videatur metus coalituræ iridis cum cornea evanuiſſe.

## §. XXXII.

Indicationi penultimæ §. 22. ſatisfacit natura magis ac ars: nimirum labia vulneris, in iride ac uveæ facti, cum natent in benigno & quaſi albuminoſo humore, aqueo dicto, ſponte cuticula inveſtiuntur. Ars autem per interna magis, quam topica medicamenta, naturam hic adjuvare poteſt. Vulnus inflictum conjunctivæ, ſcleroticæ atque reliquis tunicarum ſtratis, facile & ſponte pariter, l. levi adjumento per illinitionem externam balſamo Arcæi, ad conſolidationem deducitur. Ipſum foramen, nova pupilla, ut conſtanter hiatum & aperturam pro tranſitu radiorum ſervet, efficitur maxime ſatis ampla, ſ. longa inciſione per operationem ſtatim procurata, detentione oculi aliquandiu in tenebris, naturali transfluxu humoris aquei & fibrarum iridis radiatarum motu: ars parum vel nihil huc contribuere poterit.

Quæ denique indicationi ultimæ §. 22. debentur, viſui nimirum roborando, ac claritati oculo reſtituendæ, illi quidem alibi, e. g. in diſp. de empyeſi p. 22. §. 24. abunde jam eſt proſpectum, hæc autem, claritas nempe oculi ſponte conſequitur è reliquis debite adminiſtratis. Naturalis plane figura pupillæ nec in primo operandi modo (§. 28.) ſemper ex aſſe reſtitui poteſt, nec in ſecundo (§. 29.) imo hic plane non. Oportet enim tum oblongam & aliquando eccentricam fieri ac manere pupillam, quæ tamen figura viſui non multum præjudicabit.

## §. XXXIII.

Supereſt *triga quæſtionum prognoſticarum*, an poſt operationem ſynizeſis viſus reſtituatur plene? An pupilla hæc artificialis motum quoque acquirat exer-

exerceatque constrictionis & dilatationis reciprocum, pupillæ naturalis, sanæ analogum? Annon metus sit coalituræ denuo, artificialis pupillæ? Non habemus, ut ingenue fateamur, quod vel ex propria, vel aliena observatione regeramus apodictice, nisi quod partim ex analogia, partim justo ratiocinio concludamus, visum, si modicam diametrum habeat artificialis pupilla, oportere illibatum manere; si vero hiatus sit major, lumen intensum, meridianum, fore molestum visumque turbatum iri. Motum contractionis & dilatationis, manifestum certe, artificialis pupillæ, per methodum Cheseldenianam effictæ vehementer dubitamus remansurum, cum sphincter pupillæ sit, maneatque discissus: tanto autem minus fore periculum auguramur, ne pupilla hæc successive iterum facile angustetur, cum fibræ iridis radiatæ servarint à potiori vim suam dilatandi pupillam, & humor aqueus jugiter permeans concurrat ad viam patulam servandam.

TANTUM.

DIS-

XXIV.

# DISSERTATIO
DE
# STAPHYLOMATE

*Quam Præside*

D. JUSTO. GOTHOF. GÜNZ, P.P.

*PRO DOCTORATU OBTINENDO*

*Tuebitur*

JOAN. MICHAEL. BARTH

*SCHKEUDIZ.*

Lipsiæ 27 Febr. an. 1748.

I.

*Oculorum adfectuum curatio circumforaneis fere relicta.*

ETſi naturæ providentia oculos noſtros in capite, tanquam in arce, tam mirifice fecit ac collocavit, ut excelſis undique partibus ſepti varia nocitura depellere poſſent, atque utiliter latere; tamen variis admodum ingentibuſque caſibus patent, tamque tenuibus membranis veſtiti ac vincti ſunt, ut vel minima quævis vis poſſit hanc nobis aciem eripere. Quæ cum non exiguam partem ad vitæ ſimul & uſum & dulcedinem conferat, ſumma cura tuenda, repellendaque ab oculis omnis injuria eſt. Quæ quamvis omnium, etiam medentium, ore pervulgata ſint, tamen in ea artis Hippocraticæ parte, quæ oculorum morbis medendi præcepta continet, tam parum à noſtræ ætatis medicis elaboratum fuit, ut opinionem facerent fere omnibus, indignam hanc artem eſſe, quæ à medicis agitetur, fortaſſis quod ejus effectus evidentiſſimus eſt, in reliquorum vero morborum curatione multum fortuna confert. Utque hoc ægros coegit, ut alios quærerent, per quos ſecundam valetudinem recuperarent, ſic ignaro cuidam audaciſſimoque hominum generi animum addidiſſe videtur, ut poſt alias, etiam hanc, à medicis relictam, provinciam occuparent. Neque eſt facile alia medicinæ pars, quæ manu curat, cujus evidentior profectus ſit, iſque ſolet ignaræ plebis animum ita percellere, & occupare, ut, qui perſæpe ſequitur, ſiniſtrum eventum fortunæ potius, quam curantis inſcitiæ tribuat. Eaque medentium negligentia & hunc effectum habuit, ut, cum tamen vellent oculorum morbos exponere, tum fingerent ſibi alios, tum aliis à græcis latiniſque impoſita nomina male interpretarentur; quod ſaltem tirones impedit, & calumniandi artem frequentem occaſionem adfert. Erant tamen, ut olim, ſic etiam noſtra ætate, ex medicis aliqui, qui non contenti collyria parare, oculiſque hominum infundere, ad ſe quoque pertinere exiſtimarunt, quæ manus auxilium deſiderant. Qui, quo majorem gloriam conſecuti ſunt, eo magis tironibus, ut exempla, quæ imitentur, proponi debent. Atque cum his, tum hominum valetudinis curandæ cupiditate me facile eo adduci paſſus ſum, ut animum, ſicut ad omnem chirurgicam artem, ita ſigillatim ad oculorum medicinam adjungerem. Cumque mihi jam publicum aliquod ſpecimen edendum eſſet, nulla mihi aptior materia viſa eſt, in qua ingenii vires periclitarer, quam is oculorum morbus, quem cum græcis ſtaphyloma nominamus, de quo mihi aliqua obſervaſſe videbar, quæ poſſent, tirones ſaltem, in cognoſcendo curandoque hoc morbo, aliquantum juvare.

II.

*Veterum de ſtaphylomatis natura ſententiæ declarantur.*

Eſt vero nobis ante omnia conſtituendum, cui oculorum adfectui hoc nomen imponamus, quoniam medentes de hac re non plane inter ſe convenire viden-

videntur. CELSUS, antiquissimus auctor est, apud quem hujus morbi descriptio occurrit. Eumque evenire ait: [α] si summa tunica attollatur, sive ruptis intus membranis aliquibus, sive laxatis, & similis figura acino fiat. HIPPOCRATES enim, quo loco fortassis hujus morbi mentionem facit, non staphyloma adpellat, sed cum vesica comparat [β]. Neque in eorum scriptis, qui, ante *Celsum*, artem in Græcia exercuerunt, quantum ex illis non tam ætatem tulit, quam potius emissum in lucem fuit, vox σαφύλωμα occurrit, ut, cui morbo ea primum imposita fuerit, plane adpareret. *Galenus*, qui, quæ manus curationem postulant, in universum paucis attigit, etsi staphyloma hinc inde nominat, nusquam describit, tamen, quod inter eos morbos recenset, qui a similitudine nomen acceperint, quam cum aliqua externarum rerum habeant, videtur *Celsi* descriptionem confirmare [γ]. Sed memorabilis is locus *Galeni* est, quo [δ] τὰ δὲ σαφυλώματα καλόμενα ait, τὰ μὲν τῇ θέσει μόνη, τὰ δὲ τῇ διαθέσει παρὰ φύσιν ἔστιν; quod vertendum esse existimo: qui vero (tumores) staphylomata nominantur, eorum alii saltem positu, alii autem adfectione præter naturam sunt. Quæ si nobis interpretari licet, *Galenus* ad prius genus eum tumorem retulerit, qui ex cornea præter naturam, distenta evenit, ad alterum, quem ulcus fecit, quo summa oculi tunica exesa, tantumque extenuata fuit, ut ab aqueo humore in tumorem, paullatim consurgentem, attollatur. Quam olim ab *Ingrassia* [ε] datam interpretationem tum quia per se planissima, tum quia *Galenum* cum *Celso* conspirare facit, hujusque aliquantum obscura verba illustrat, lubentissime amplector. Quid enim potest evidentius esse hoc, *Celsum* ex his staphylomatum generibus primum per luxatas, alterum per ruptas membranas indicasse? Neque improbabile est, primum genus à definitionum medicarum auctore descriptum fuisse, qui staphyloma ἔπαρμα κατὰ τὸν τῆς κόρης τόπον esse dicit, ἐμφερὲς ῥαγὶ σαφυλῆς [ς], alterum ab eo, qui medicum seu isagogen scripsit. Is enim staphyloma nominari ait, ὅταν ἡ κόρη τοῦ ὀφθαλμοῦ μετεωρισθῇ μετὰ φλεγμονῆς καὶ γένηται ὅμοιον ῥαγὶ σαφυλῆς, λευκὸν τῇ χροιᾷ [ζ]. Hanc interpretationem *Aëtii* quoque auctoritate tueri possumus, quæ tanto maior erit, quo plenius accuratiusque ipse, præ cæteris græcis medicis, oculorum adfectiones exposuit. *Aëtius* [η] enim, staphyloma fieri docet, si summa oculi tunica, quæ cum cornu comparetur,

[α] De re medica lib. VII. cap. 7. art. 11.
[β] De locis in homine p. 408. éd. Foës.
[γ] De methodo medendi lib. II. cap. 2.
[δ] De tumoribus præter natur. in fine.
[ε] De tumor. præter natur. Tom. I. p. 299. Neap. 1553. fol.
[ς] Cap. XVII.
[ζ] Cap. XXVII. Verba: τὸ λευκὸν τῇ χροιᾷ videntur glossema esse. Saltem quæ vidi cum dolore & inflammatione staphylomata esse, ea semper pellucida, aut alius saltem, quam albi coloris erant. Neque possunt hæc verba clavum indicare, de quo ab eo auctore, paullo inferius exponitur.
[η] Tetrabibl. II. Serm. III. cap. 34.

paretur, in tumorem, acino ſimilem, levetur, ſive laxata tantum, ſive etiam rupta. Eſſe tamen etiam addit, qui majorem uveæ procidentiam ſtaphyloma nominent, quæ per corneæ ruptionem contingat. Ex quibus quamvis id proprie ſtaphyloma eſſe manifeſtum ſit, quod *Celſus*, *Galenus*, aliique tamquam unicum, *Aëtius* autem priore loco propoſuit, tantum tamen apud pleroſque recentiores medicos *Pauli Æginetæ* auctoritas valuit, ut, quia is ſtaphyloma ſimpliciter alterum uveæ procidentiæ genus adpellavit, [ϑ] ad hunc morbum proprie id vocabulum pertinere exiſtimarent; aut potius tam negligenter *Paulum* inſpexerunt, ut animum ad eum locum non attenderent, quo ſtaphyloma κύρτωσιν nominat, τοῦ κερατοειδοῦς χιτῶνος ἀτονήσαντος, σὺν τῷ ῥαγοειδῆ [ι]. Qui deinde ex græcis medicis de hoc morbo aliquid memoriæ reliquerunt, ſi *Actuarium* excipiamus, ad ſola medicamenta pertinent, quæ non parvo numero adverſus hunc morbum propoſita inveniuntur. Is enim *Paulum* fere in priori loco exſcripſit [κ]. Neque apud *Marcellum*, *Plinium*, quem vulgo Valerianum vocant, atque ejus ætatis auctores alios, aliquid, quod ad hunc morbum referri poſſit, invenitur. Quare ut de Arabibus dicam, etſi *Avicenna* videtur *Paulum* ſecutus eſſe, tamen ſtaphyloma non ad procidentiam, tanquam genus retulit, verum ad corneæ rupturam, per quam tamen uvea ita procidat, ut quatuor, ſaltem nominibus diſtinctos, morbos faciat, quorum primum formicalem, alterum uveum, tertium veſicalem, quartum clavalem nominat [λ]. Videtur etiam *Rhaces* uveæ procidentiam à ſtaphylomate non diſtinxiſſe, quod tamen veriſimiliter in corneæ, per ulcus laxatæ, tumore poſuit; inter ea enim medicamenta, ſief nominat, quæ maculis & leucomati ab ulcere reliquis, tollendis idonea habentur, unum laudari invenio, quo caro in ulceribus generari poſſit, & uveæ, quam vocat, egreſſio impediri [μ]. Staphyloma non videtur etiam *Janus Damaſcenus* ab uveæ procidentia diſtinxiſſe; nam ubi de oculi ulceribus agit, uveam per ea interdum procidere habet, præterquam quod ſtaphylomatis mentionem faciat, quod tamen præcedere debet [ν]. Non vero ex corneæ ſed uveæ tunicæ ruptione ſtaphyloma oriri *Albucaſis* ait [ξ], cujus verbis videtur, vel propter hanc cauſſam, menda quædam ſubeſſe, quod, quæ de ejus morbi curatione propoſuit, fere ad verbum, ex iis *Aëtii* & *Pauli* locis exſcripta ſunt, quibus ſtaphyloma dicunt, cornu adſimilatæ tunicæ tumorem eſſe. Et proxime à *Pauli* mente videretur *Meſue* filius abeſſe, qui uveæ procidentiam ſcribit, à pupillæ dilatatione nihil differre [ο], modo id nobis conſtaret, ac veriſimile eſſet, per pupillam non uveæ foramen,

[ϑ] De medicina lib. III. cap. 22.
[ι] Ibid. lib. VI. cap. 9.
[κ] De method. medendi lib. II. cap. 7.
[λ] Lib. III. fen. III. tr. 2. cap. 6.
[μ] Lib. IX. ad Almanſor. cap. 19.
[ν] De method. med. lib. IV. cap. 11.
[ξ] Method. medendi lib. II. cap. 21.
[ο] Medic. particul. lib. III. cap. 12.

men, verum ipſam corneam, cum *Cicerone* [π] ac *Celſo* [ρ] intellexiſſe. JESUS, Hali filius videtur quidem ſtaphyloma pro genere quodam elevationis uveæ habere [σ], tamen & corneæ tumorem non neglexit [τ], & uveam aliquando cum hac attolli poſuit, aliquando per ejus ruptionem vere procidere [υ]. *Conſtantinus* quem Africanum vocant, *Paulum* ſequitur [Φ]. Supereſt, ut ex barbaris aliqua proferantur; ex quibus *Guido* non aliud videtur ſtaphyloma noviſſe, etſi vocabulum ipſum non habet, quam quod ex uvea, per corneam ruptam procidente, jam olim *Paulus* oriri dixit [χ]. Neque *Gordonius* ſtaphyloma, ſed corneæ ruptionem vocat, per quam uvea ita procidat, ut vel capiti formicæ, vel uveæ capiti, vel clavo adſimilari queat [ψ]; ex quo, quantum à *Pauli* ſententia recedat, manifeſtum eſt. Propius contra ad verum videtur *Valeſcus* [ω] accedere, qui uveæ procidentiam non ſemper cum corneæ ruptione conjunctam eſſe exiſtimavit, quamvis morbum, grano racemi, ut vocat, non abſimilem, non corneæ tumorem nominaverit, ſed uveæ procidentiam. Quæ ſi quis animo attento expenderit, qui olim primi vocabulum ϛαφύλωμα excogitaverunt, hoc non niſi illi morbo dediſſe intelligent, qui in cornu adſimilata tunica in tumorem levata, conſiſtit. Tantum enim valere, ſaltem in morborum nominibus conſtituendis, *Pauli* aliorumque inferioris ætatis ſcriptorum auctoritas non debet, ut eos *Celſo*, *Galeno*, atque *Aëtio* præferamus, quos certe veriſimilius eſt, ex vetuſtiſſimorum græcorum ſcriptis, tamquam fontibus, ſua hauſiſſe. *Paulus* contra, quem olim *Aëtio* priorem fuiſſe, opinabantur, hunc ipſum in quam plurimis locis exſcripſit. Accedit, *Paulum*, quo loco manu faciendas curationes propoſuit, ejuſmodi ſtaphylomatis deſcriptionem dediſſe, qualis à *Celſo* data fuit. *Aëtius* etiam, poſtquam his duabus non abſimilem deſcriptionem dedit, eſſe nonnullos ſubjicit, qui & uveæ procidentiam, quæ per fiſſam, ruptamve corneam eveniat, ſtaphyloma nominent; ex quo priſcos medicos ſequitur hoc nomen non uveæ prolapſæ tumentique impoſuiſſe, verum corneæ, in tumorem levatæ. Et fortaſſis iis, qui & uveæ procidentiam ſtaphyloma nominarunt, id faciendi occaſio data fuit hoc, quod apud unum ex prioribus medicis obiter legebant, in ſtaphylomate, quod ruptis membranis enatum ſit, uveam interdum per corneam ruptam, in ejus nempe ſinum, procidere.

III.

[π] De nat. deor. lib. II.

[ρ] Loc. cit. art. 13. Κόρη etiam *Rufo Epheſio* de appellat. part. C. H. lib. I. cap. 5. & iſagoges ac definitionum medicar. auctori cornea eſt, quod ſi *Ingraſſias* loc. cit. p. 298. perpendiſſet, utriuſque hujus libelli auctorem fortaſſis non reprehendiſſet.

[σ] De oculis tract. II. cap. 65.

[τ] Ibid. cap. 60.

[υ] Ibid. cap. 66.

[Φ] Loc. comm med. lib. IX. cap. 15.

[χ] Chirurg. part. II. cap. 2.

[ψ] Lilium medic. part. III. rubr. 3.

[ω] Philon. pharmaceut. & chirurg. lib. II. cap. 17.

## III.

*Corneæ structura, & uveæ tunicæ positus ostenditur.*

Jam vero, ut quæ de natura morbi dicenda sunt, facilius in notitiam veniant, sedes ejus in conspectum quemdam adducam. Cornea igitur, quæ etiam, cum *Celso*, summa tunica adpellari posset [α], paullo minoris sphæræ, quam qualem ipse oculus refert, aut potius elliptici corporis, segmentum est [β]. Eique duriorem tunicam jam olim *Brisseau* præcipue [γ] ita junctam esse ostendit, ut cum ipsi fere, ut squamæ adsimilatum os parietali, insideat, in aversa seu interiore facie, amplioribus terminis ac vero circulo circumscribatur. Tamen id vere tantum in superiore inferioreque parte est, quo corneam ellipticam esse necesse est. Qua vero parte sclerotica tenuata incumbit, cornea plane perlucens esie, nisi in senibus, non desinit. In iisque lunulas, à *Morgagnio* memoratas, facit [δ]. Nolo jam de numero lamellarum hujus tunicæ disputare, cujus vel à natura non videtur eadem ex toto crassities esse. Id tamen omittere non possum, eam, ut ab aliis, à vicinis membranis profectis, vestiatur, ita ab una aliqua tenuissima succingi. Atque hæc quidem ad uveæ adversam faciem, iridem nominant, pertinet [ε]. Illarum cum duæ sint, interior cum conjunctiva cohæret, quæ non procul à cornea, cellulosa quasi substantia dimissa, sclerotícæ sensim arctius, & proxime ad corneam, tam arcte jungitur, ut sine multo labore, integra separari, & quomodo corneam cingat, ostendi non possit. Et propter hunc nexum, conjunctiva in chemosi ac venerea ophthalmia vehementer intumescit, nec raro rumpitur. Est vero in corneæ loco, plane ut hæc ipsa, pellucida. Altera, quæ exterior est, ab epidermide provenit, quæ ad palpebrarum marginem, ut ad labia, urethræ ostium, similesque alias partes, tenuata paullulum, pellucidiorque facta, introrsum flectitur, & conjunctivam ex toto vestit. Neque vero id unquam invenire potui, quod nonnulli proposuerunt, quatuor rectorum musculorum aponeuroses, quas non paucos, sine ulla caussa contendere video, peculiarem aliquam, albugineam dictam, tunicam constituere, ad corneæ fabricam aliquid conferre; quin semper potius in sclerotica, etsi prope à cornea, sic terminari vidi, ut nulla arte integræ separari possent. Et corneæ quidem sua vascula esse, etsi sanguinem non vehentia, manifestum est; neque fere dubitari potest, ea tum sub illa, à conjunctiva pro-

[α] Sciendum tamen est, quam solet summam tunicam vocare, corneam cum sclerotica esse. Præterea oculum duas summas tunicas habere ait, corneam & choroideam. Vide lib VII. cap. 7. art. 13.

[β] Vide hoc accuratius determinantem *Petitum* in comm. Acad. Reg. Sc. Par. 1728. p. 418. éd. Amst. Vide etiam animadversionem Cl. *Morgagnii* Epist. XVI. §. 28.

[γ] Traité de la Cataracte p. 9.

[δ] Loc. cit.

[ε] *Morgagnius* se hanc membranulam in molosso cane vidisse scribit, in homine non, loc. cit. §. 29.

proveniente, lamina, procedere, tum inter hanc atque ſummam, ab epidermide profectam, terminari, quorum hoc per puſtulas, græci φλυκταίνας vocant, quibus ad probandum *Porterfieldius* [ϛ] uſus eſt, videtur oſtendi poſſe, id vero per lymphaticum ſuccum, inter corneæ lamellas effuſum, quem morbum albuginem cum St. *Yveſio* [ζ] nominamus, magis per ſanguineas inflammationes manifeſtum eſt. Facit quoque ad rem noſſe, corneam non, niſi per aqueum humorem, qui ſubeſt, attolli, ac tendi, neque in ea utrinque vaſcula tantum, verum etiam ampliores vias patere, per quas, ut in morientibus, atque poſt mortem, aqueus humor exit, & cornea flacceſcit, ſic aqua, in quam oculus conjectus fuit, vacuum locum ſubit, corneamque iterum attollit. Huic alia tunica ſubtenſa eſt, quæ duriori, proxime ad corneam, juncta, rotundo foramine, quod hodie pupillam vocant, concava, uvea vulgo nominatur. Eaque tota plana [η] à temporum parte, qua paulo latior eſt [ϑ], duas fere lineas æquat, à cornea, ubi maxime, dimidiam lineam diſtat, atque, in averſa parte, plicas habet, quæ, in circulum poſitæ, illis tunicis inhæreſcunt, quæ vitreum humorem ac lentem cryſtallinam includunt. Tenuem hanc tunicam eſſe, ſeque ita movendi facultatem habere, ut plana manens, quod media parte foramen eſt, modo anguſtet, modo ampliet, parum attinet dicere.

## I V.

*Uveæ procidentia exponitur ſtaphylomatis natura declaratur.*

His igitur morbi ſedibus oſtenſis, ad hunc ipſum redeamus, quem cum ſupra dictum ſit evenire, ſi cornea attollatur, de illo ſtaphylomatis genere, quod uveæ procidentiam nominare malim, non niſi ita dicam, ut, quam male hoc fuerit cum vero ſtaphylomate confuſum, manifeſtum fiat. Itaque ſtaphylomate aliquem laborare ſciendum eſt, in cujus oculis altera cornea, ſive tota, ſive ex parte, magis quam altera, prominet. Fere autem frequentius accidit, ut cui pars quædam corneæ in tumorem levetur, quam tota. Idque per cauſſas ſtaphylomatis manifeſtum erit. Oportet tamen cum hoc puſtulas non confundi, præcipue paullo altius corneæ inſidentes, quæ inter abſceſſus, &, ſi apertæ ſunt, inter ulcera referri debent, & ſtaphylomati nonnunquam occaſionem adferunt. Alius morbus eſt, quem diſtinguere à ſtaphylomate interdum non ſolent, ſub quo tota cornea attolli videtur. Tunica, quæ, à conjunctiva profecta, corneæ innaſcitur, interdum intumeſcit, & corneam paullulum attollit. Eam tamen nunquam totam corneam levaſſe vidi, ſemper fere albidam, nonnunquam vaſculis interſtinctam, craſſam neque pellucidam, neque in cornea tantum, verum etiam in ſcleroticæ finibus, tumidam. Staphyloma autem inter hernias referendum eſſe exiſtimo, cum in ejus ſinum, ex membranulis corneæ vel laxatis, vel ruptis ortum,

[ϛ] Med. Eſſays of Edimb. vol. III. p. 162.
[ζ] Traité. des malad des yeux part. II. lib. II. cap. 12.
[η] Vid. *Petitum* loc. cit. 1728. p. 295. ſqq.
[ϑ] Conf. *Winslow* V. C. in comm. Ac. Sc. Par. 1721. p. 423.

tum, quæ ſubeſt, aqua irrumpat. Quam, quia illæ, ut plurimum tenuiores factæ, membranulæ, fere ut acini membranæ ſuccum vinoſum, includunt, in eaque pariter atque in hoc, non raro quaſi ſtriæ quædam [α] craſſioreſque particulæ adparent, non ſine cauſſa, videntur græci hunc morbum σαφύλωμα nominaſſe. Cum vero corneæ, præter aqueum humorem, uvea quoque tunica ſubſit, fortaſſis hæc etiam in illum corneæ ſinum irrumpet, indeque *Paulus* illique omnes excuſari poterunt, qui, per corneam ruptam, uveam procidere ſcripſerunt. Quamvis vero ex Arabibus & barbaris medicis aliquot de hoc morbo ſic dixerint, ut an corneam ita rumpi voluerint, ut uvea per ejus vulnus exeat, dubitari poſſit; tamen à *Paulo* data ſtaphylomatis deſcriptio nimis clara eſt, quam ut eam aliter, ac ſuperiore aliquo loco fecimus, (II.) interpretari liceat. Quare de altero illo ſtaphylomatis genere dicamus ante, quam de uveæ in corneæ ſinum procidentia videamus. Atque uveam, in plus quam ducentis exemplis, neque per ſectam aut laceratam, neque per exeſam ruptamque corneam, me unquam vere elapſam vidiſſe memini. Quod quamvis equidem ita accipi nolim, ac ſi tot priſcorum æque ac recentiorum temporum medicos deceptos fuiſſe exiſtimarem, & ejuſmodi uveæ procidentiam in fictorum morborum numero habendam eſſe, tamen eam inter rariſſimas adfectiones referre non dubito. Neque ex *Antonii*, tanquam unius ex præſtantiſſimis oculariis medicis, exemplo improbabile eſſe videtur, ſtaphylomata in univerſum parum attente inſpecta, accurateque tractata fuiſſe, cum ſe *Antonius* ſcribat, non niſi ſemel ſtaphylomatis curationem ſuſcepiſſe [β], cujus etiam, apud omnes chirurgicarum obſervationum ſcriptores, nullum ſatis idoneum exemplum occurrit. Deinde talem ab omnibus morbi hujus deſcriptionem datam fuiſſe invenio, curationemque propoſitam, quæ corneæ potius tumori aut herniæ, quam uveæ procidentiæ conveniat. Ut enim uveam tantiſper per vulnus aut ulcus corneæ elabi ponamus, quis eam ſine ſummo dolore, vehementiſſimaque inflammatione premi à cornea adducique poſſe, crediderit? in quam omnes ciliares nervi terminantur, quæ tam acuti ſenſus eſt, ut, ad leviſſimum quemque luminis acceſſum moveatur, inflammataque inſanire interdum hominem faciat. Tamen horum apud pleroſque auctores nulla fere mentio fit. Eoſque veriſimillimum eſt, horum malorum nullum vidiſſe, quod fictæ illi uveæ procidentiæ ſupervenerit. Nam præter hoc, quod nullum auxilii genus propoſitum reperitur, quo ejuſmodi adfectibus quaſi oppreſſis ſuccurri poſſit, ea potius medicamenta commendata fuerunt, quæ, vel in quavis alia parte corporis, non levem dolorem, inflammationemque movere debent; de quo, ſi adu-



[α] An hæ fortaſſis eædem ac illæ lineæ, quas *Petitus* loc. cit. 1726. p. 99. & *Morgagnius* loc. cit. §. 28. obſervavit?

[β] Traité des maladies de l'œil. Part. II. cap. 18. p. 449.

rentia nominavero, nemo facile dubitabit [γ]. Neque mitior aptiorque illa curatio futura eſt, quam propemodum omnes ita inſtituere juſſerunt, ut elapſa uveæ pars vel lino injecto vinciatur, quod ipſam emori, & abſcedere faciat, vel ligata, ſaltem ex parte, etiam præcidatur [δ]. Ut enim de dolore ſummo non dicam, quem lino injecto excitari neceſſe eſt, non tam tolli malum, quam inſanabile hac curandi ratione fieri debet, quæ, præterquam quod non reſtituat uveam, etiam adnaſci corneæ in vulnere ulcereque facit. Accedit ad hæc, uveam ita procidere exireque poni, ut non ſolum muſcæ caput, verum etiam uvæ acinum [ε] & pomum ipſum [ς] referat; quæ tanta magnitudo eſt, ut incomprehenſibile eſſe videatur, potuiſſe aliquem, qui vel ſemel uveam in oculo humano viderit, ejus generis tumores pro uveæ vitiis habere. Et parum abeſt, ut hanc tunicam negem, poſſe, ſive per vulnus corneæ, ſive per ulcus, procidere. Utque primum de vulnere dicam, etſi uvea tam lata eſt, & tam parum à cornea, præcipue, aqueo humore effuſo, collapſa diſtat, ut vulnus facile contingere poſſit, nulla tamen videtur cauſſa eſſe, per quam per vulnus exire debeat. Quod quam parum in cornea hiare ſoleat, ut non dicam, quia ex unguis, & hypopyi curatione manifeſtum eſt, uveam tamen ſciendum eſt, non per aqueum humorem impelli, à quo alias lenti videretur adprimi debere, verum ſe ipſam ſuſtinere, aut ſi etiam ab aqueo facile impelli poſſet, hoc tamen, propter ejus foramen, pupillam vocant, vix fieri; corneam vero uveam, non, ut abdominis muſculos atque peritonæum inteſtina, includere, ut quemadmodum hæc, illis inciſis, ita uvea debeat, cornea diſſecta, erumpere. Sed hoc equidem amplius urgere nolo; quod fortaſſis per latius vulnus, aqueo humore uno impetu effluente, ſimul quaſi effundi poſſit. Contra per ulcus corneæ uveam procidere poſſe, parum mihi probabilis res viſa eſt. Cornea enim ſi quando ſubito ex ulcere rumpitur, uvea, per inflammationem prægreſſam, deſtructa, humoreſque oculi ſoluti confuſique inveniuntur ita, ut vitreum humorem, cum retinæ particula, exiiſſe viderim, uveam nunquam. Et hæc quidem ad cele-

[γ] *Galenus* cantharidum ſuccum illinere jubet de compoſ. med. ſec. loc. lib. IV. cap. 8. in quo ipſum *Nonus* ſequitur de partic. morb. curat. cap. LVII. & *Actuarius* loc. cit. lib. VI. cap. 5. *Alexander* medicamentum commendat, quod chalcitidem habet, lib. II. cap. 6. p. 153. neque æs uſtum, cadmia, &, quæ exedunt corpus, alia ab iis collyriis abſunt, quorum uſum *Paulus Ægineta* ſuadet lib. III. cap. 22. pariter ac *Guido de Cauliaco* & *Valeſcus de Taranta* loc. cit.

[δ] Hæc curatio videtur & *Aëtio* placuiſſe, dum eam adverſus omnia ſtaphylomata proponit loc. cit. cap. 35. Apertius ligaturam vel cum vel ſine ſectione, commendarunt *Albucaſis* loc. cit. *Jeſus* Hali filius loc. cit. cap. 65. & *Guido* loc. cit. *Valeſcus de Taranta* loc. cit. non improbat, ſuadet etiam *Brunus* chirurg. magn. lib. II. cap. 7. ac recentiores pene omnes.

[ε] Vid. *Paulus* lib. III. cap. 22. *Actuarius* loc. cit. lib. II. cap. 7. *Avicenna*, barbari fere omnes, & ex recentioribus non pauci.

[ς] Conf. *Paulus* & *Actuarius* loc. cit. Quam hi cum pomo, *Avicenna* videtur cum veſica comparare.

celerem inflammationem, indeque ortam corneæ ruptionem ſpectant. Alia ulcerum ratio eſt, in quibus, exterioribus aliquot corneæ laminis exeſis, reliquæ laxantur, & in tumorem ſublatæ non, niſi poſt aliquot interdum menſes, ſolvi potius videntur, quam rumpi. Per quod ulcus, cum vero ſtaphylomate conjunctum, ſi uveam dixero, minus facile, quam per vulnus exire poſſe, eos omnes mihi adſenſuros eſſe ſpero, qui, quæ paullo ante contra vulnus argumenta prolata ſunt, ſpatiumque uveam corneamque, in tumorem ſublatam, intercedens, diligenter expenderit. Ex iiſque uveam tunicam conſequitur, ne quidem in corneæ laxatæ ſinum poſſe procedere, niſi vel multum laxata fuerit, vel ad ſummam illam tunicam adducta; quod probabiliter per hanc ipſam fieri, in duobus hominibus inſtituta, experimenta me docuerunt. Corneæ enim, cum aliqua ſimul laxatæ ſublatæque ſcleroticæ parte, exciſæ ſinui uvea adhærebat, quæ tumida & quaſi carnea facta ab altera parte cum lente cryſtallina coaluerat. Iique homines diros antea cruciatus paſſi fuerant; per quos, cum humor continuo in oculos deſtillaret, ita fortaſſis uvea quoque laxata fuit, ut ſe verſus corneam inclinaret. Quo tamen neque *Celſum* [ζ] illuſtrari poſſe crediderim, qui ſummam tunicam, ſive ruptis intus membranis aliquibus, ſive laxatis, attolli ſcribit, neque *Paulum* [η], qui idem fieri habet, cornea ſimul cum uvea laxata. Quis enim inter utramque nexus eſt? Et quis corneæ crediderit ab uvea, aliquantum diſtante, poſſe aliquod robur accedere? Quare, niſi *Celſus* hoc loco per ſummam tunicam non corneam, ſed ſcleroticam intellexerit, vel, quæ de membranis ruptis aut laxatis habet, gloſſema fuerint, erunt ſine dubio, per illas interiores membranas, corneæ tunicæ lamellæ intelligendæ; quam expoſitionem, ſuperiore aliquo loco, (II.) tum *Galeni*, tum definitionum medicarum & iſagogæ auctoris deſcriptione confirmavimus. Ad *Pauli* vero excuſationem, qui uveam non tam procidere ſcripſit, quam per corneam, vulnere ulcereve ruptam, ita exire, ut variæ magnitudinis coloriſque tumores formet, nihil fere videtur adferri poſſe. Quare, ut ad propoſitum meum redeam, ſi uveæ aliquam procidentiam eſſe, fatendum eſt, quæ mihi videtur à myocephalo veterum non diverſa eſſe, quæcumque veteres pariter ac recentiorum temporum medici de uvea, ita per corneæ vulnus aut ulcus erumpente, ſcripſerunt, ut tumor uvæ acinum vel pomum æquet, ea quidem puto omnia debere ad verum ſtaphyloma referri, cujus ut figura perquam varia eſt, ſic etiam magnitudo. Nam ſi cornea tantum ex parte attollitur, ſive unus, ſive duo tumores ſint, interdum muſcæ caput, aliquando paſſulam minorem coctam æquat. Frequentius tota tunica ſublata ad uvæ acini magnitudinem accedit, nonnunquam ita tumor increſcit, ut, ſclerotica ſimul tantillum ſublata, contegi à palpebris non poſſit. De reliqua ſtaphylomatum varietate dicam, ubi prius eorum cauſſas expoſuero. Qui vero ex recen-



[ζ] Loc. cit.
[η] Lib. VI. cap. 19.

recentioribus medicis hanc mecum ſententiam plane teneat, invenio neminem. Invenio tamen, qui præter id ſtaphylomatis genus, quod ſecundum eos, quorum *Aëtius* meminit, in vera uveæ procidentia conſiſtit, quodque definitionum medicarum & iſagogæ auctores, ut diſtinctum à ſtaphylomate morbum, deſcripſerunt, ac μυοκέφαλον nominarunt, & id admittunt, quod quaſi hernia corneæ, aut aneuryſma eſt. Ex quibus *Ingraſſiam* [ϑ], *Fabricium ab Aquapendente* [ι], *Theveninum* [κ], *Antonium* [λ], *Heiſterum* [μ] & *Col de Vilars* [ν] nominaſſe ſufficiat. Imo ſunt etiam, qui, non niſi hunc morbum, ſtaphyloma adpellant, in cujus tamen ſinum uvea interdum procidat. Ex quorum numero *à Vega* [ξ] eſt, *Paræus* [ο], *Vidius* [π] *Scacchus* [ρ], *Purmannus* [σ], *Verduccius* [τ], *Woolhouſius* [υ] & *St. Yveſius* [φ].

V.

*Per quas cauſſas, & qua ratione, ſtaphylomata excitentur declaratur.*

In ſtaphylomate vero etſi corneam, ut in omnibus herniis peritonæum, diduci atque multum diſtendi, fere perpetuum eſt; tamen, ſive intus ſive extus, propemodum ſemper ex ejus membranulis aliquæ ſimul ruptæ eſſe inveniuntur. Et hoc quidem frequentius in exterioribus incidere, in ſtaphylomate laborantium corneis exciſis, capta experimenta me docuerunt; quibus ſive ruptis, ſive exeſis, interiores aqueo humori cedunt atque laxantur. Raro cornea vulneratur, atque percutitur, quin, ſi oculus non rumpitur, ejuſque humores effunduntur, ſtaphyloma eveniat. Oculus enim telo obtuſo læſus propemodum ſemper perditur. Contra non pauca mihi, præcipue feminarum exempla innotuerunt, in quibus cornea tunica, cultri vel forficis apice, quo ad veſtimentorum nodos reſolvendos paullo negligentius utebantur, quaſi aberrando, in oculum illapſo, lacerata in tumorem ſublata fuit. Quem tamen nunquam protinus exortum vidi, aut facile minorem factum, quam qui totam corneam occuparet. Solet

[ϑ] Loc. cit. p. 299.
[ι] Operat. chirurg. p. 25. éd. pat. 1641. fol.
[κ] Operat. de chirurg. cap. 103.
[λ] Loc. cit. part. II. cap. 18. p. 443. ſq.
[μ] Inſtitut. chirurg. Tom. I. p. 626.
[ν] Dictionaire med. chirurg.
[ξ] Art. medend. lib. III. ſect II. cap. 7.
[ο] Oper. lib. XVI. cap. 16.
[π] De curat. membr. lib. IV. cap. 1.
[ρ] Subſid. medic. lib. I cap. 21.
[σ] Chirurg. lib. I. cap. 16. p. 132.
[τ] Operat. de chirurg. Tom. II. cap. 8. art. 4.
[υ] Diſſert. ophthalm. p. 340.
[φ] Loc cit. p 230. ſq. monendum etiam eſt, *Dolæum*, poſtquam varie illa procidentiæ uveæ genera ex *Paulo* recenſuit, eſſe illa probabiliter figmenta veterum addere. Encyclop. chir. lib. I. cap. 12.

Solet is etiam frequentissime inæqualis esse, atque tam tenuis, pellucidusque, ut non, nisi filis quasi quibusdam, aut fibris huc illuc ductis, firmari, & paulum obscurari videatur. Neque ab hoc tumore probabiliter diversus fuerit, quem veterum medicorum aliquis primus staphyloma nominavit. Cum uvæ enim maturioris acino, ex reliquis, vel totius oculi, tumoribus nullus est, qui, sive magnitudinem spectes, sive summam aqueum includentis tunicæ tenuitatem, hoc ipso, aptius comparari queat. Videtur hoc staphylomatis genus id esse, quod, cum *Vega*, (α) plerique corneæ ruptionem nominarunt, & quod, cum alterum totum album esset, lividum aut subnigrum colorem habere posuerunt. Longe frequentius esse id staphyloma solet, quod ex ulcere nascitur, quod corneam rodit & exest. Nolo jam omnem de ulceribus corneæ doctrinam exhaurire, in qua multa parum clara sunt. Solent autem vel ex humida lippitudine oriri, vel inflammationem sequi, quæ corneam ipsam nonnunquam infestat. Frequentius tamen humida ophthalmia non per se ulcera facit, sed si ea superhabita fuerunt, quæ cum salsæ lacrymæ, aut acrioris pituitæ fluxum concitare possunt, tum eam promanare libere ex oculo non sinunt; quod fere per omnia collyria efficitur, si protinus post primum mali impetum, & frigidiuscula adhibentur. Quæ, ex hac caussa, in cornea ulcera nascuntur, quia non nisi summam ejus tunicam rodunt, raro tardiusque staphyloma faciunt. Neque fere facere solent, nisi diutius neglecta vel male curata. Alia eorum ulcerum ratio est, quæ, sive ex pustulis, in summa corneæ tunica natis, fiunt, sive ex abscessibus, altius insidentibus, atque ungue. Quæ cum corneam brevi tempore profundius rodant, & exedant, cedere eam aqueo humori oportet, laxatamque in tumorem attolli. Quapropter frequens hoc malum pueris esse solet, quorum corneæ, dum variolis laborabant, pustula insedit, præcipue si, quod nostris mulierculis in more est, oculum variis medicaminibus inunxerunt. Neque ungue, per acum vel scalpellum, curata staphyloma nascitur, nisi summis corneæ membranulis latius incisis, ac nimium laxatis. Parum etiam ab hac caussa hypopyi curatio differt, & quæ cicatricibus per acum adhiberi solet, si ea paullo altius demissa, & cornea vexata, neque vulnus satis cito, ac firma cicatrice clausum fuit. Cui rei vel abdominis vulnera fidem facere possent, quæ non raro ventris hernia consequitur. His ipsis diebus etiam puellam vidi, in cujus cornea staphyloma per exedentia medicamenta natum fuit, quæ agyrta, ad extenuandam cicatricem, negligentius adhibuerat. Quæ ex his caussis staphylomata fiunt, cum perraro totam corneam occupent, vix unquam solent ad acini magnitudinem accedere. Occupant vero utplurimum illa, quæ chemosin non perfecte solutam sequuntur, si adnatam, etiam qua parte corneæ inhærere incipit, tenet. Suppurata enim propemodum semper oculum potius rumpit, quam corneam laxat, & in tumorem attollit. Neque fere minora esse solent, quæ sine

[α] loc. cit.

ſine ulcere vel vulnere, per ſolam corneæ laxationem, eveniunt. Emolliunt vero eam turgidamque faciunt, cum qui in diuturna, ſed minus vehementi, inflammatione humores manant, tum aquoſa, nimiumque tepida collyria atque fomenta. Neque albuginem improbabile eſt, corneæ membranas ſenſim laxare poſſe. Sed hæc ſtaphylomata, ut corneam parum levant, ſic quoque rariora ſunt.

## VI.

*Per quas cauſſas, & qua ratione, ſtaphylomata excitentur, declaratur.*

Varietas igitur ſtaphylomatum permagna eſt. Ut omittam, quæ jam de cauſſis retuli, ſunt alia cum diverſis aliis oculorum adfectibus conjuncta, alia non. Quæ ex ulcere fiunt, non raro exulcerata manent, donec vel ſponte rumpantur, vel ſectione tollantur. Ab his vero, pariter ac ab illis, quæ ex vulnere nata ſunt, acerbiſſimus dolor, ſive perpetuus, ſive per intervalla, & ſecundum tempeſtatum mutationes, rediens, pariter ac vigiliæ, ſæpe non abſunt. Neque id etiam ſine his malis eſt, cum quo ophthalmia conjuncta eſt, interdum mitior, raro perfecte ceſſans. Quæ ex his vetuſta ſunt, per ea interiores oculi partes utplurimum deſtructæ, & humores ſoluti ſunt. Vidi etiam pterygia & pannos ex inflammatione natos, qui cum ſtaphylomate cohærebant. Neque infrequens vitium craſſa cicatrix eſſe ſolet, quæ ſummas corneæ levatæ tunicas conſtrictas tenet, & ſtaphylomata creſcere non ſinit. Quæ interdum cum ſtaphylomate conjuncta ſunt, pupillæ etiam, inæqualiter vel contractæ, vel diffuſæ immobilitas, aut tremor, ea, ut nonnunquam ex ſtaphylomate naſcantur, ſolent tamen etiam ab aliis cauſſis proficiſci. *Covillard* [α] ſtaphyloma vidit, atque curavit, cum magno ectropio conjunctum. Aciem vero ſtaphylomata ſemper hebetant, frequentius corrumpunt, quod, ubi de curatione quæritur, animadverſionem deſiderat. Refert etiam ſcire, an recens natum, an vetus ſtaphyloma ſit, atque ſi nuper ortum, an brevi tempore multum increverit, an parum. Utplurimum parum creſcere ſolent, quæ ex adnatæ ulcere orta, cum pterygio aut panno conjuncta ſunt, vel cicatricem habent. Aliorum quoque albus vel albicans color eſt, aliorum lividus aut ſubniger; quorum hæc fere magna ac pellucentia eſſe ſolent, illa contra parva. Alba tamen tantum non omnia corneam fere totam occupant, ex perlucentibus non pauca corneæ inhærentem paſſulam minorem æquant. Sunt hæc ex eorum genere, quæ ex inflammatione vel puſtula fiunt. Quæ albicantia eſſe dixi, pariter ac alba, nonnunquam ex parte, pellucentem tunicam habent, &, qua durior oculi membrana finitur, ſubrubram. Is albus color non ſemper à cicatrice eſt, neque hæc exulcerato ſtaphylomati ſemper inducta, etſi utplurimum. Quæ contra perlucentem membranam habent, ea fere exulcerata ſunt. Et quamvis omnium rotunda figura ſit, alia tamen majoris ſphæræ partes ſunt, alia longius & quaſi in conum pro-

[α] Obſerv. Jatrochirurg. XXVIII.

producta, cujus rotundulus apex ſit. Neque vero videtur illud oculorum vitium huc referri poſſe, de quo peculiaris eſt *Burgmanni* ad *Laurentium Heiſterum* V. C. Epiſtola. Nam is homo omnes oculorum tunicas laxatas & elongatas habuit, ut morbus adeo ad procidentiam potius oculi, quam ſtaphyloma, videretur referendus eſſe. Fuit tamen à celebribus oculariis medicis *Antonio* [β] & *St. Yves* [γ] inter ſtaphylomata relatus etiam is tumor, in quem durior nonnunquam oculi tunica attollitur, quam cum *Celſus* ſimul cum cornea, ſummam tunicam nominet, à vero proximum eſt, neque antiquos medicos hæc duo vitia diſtinxiſſe. Nolim autem mihi objici, corneam tunicam debere olim à duriore diſtinctam fuiſſe, quam vel *Celſo* priores græci κερατοειδέα tunicam nominaſſe inveniuntur. Nam quod *Celſus* [δ] hanc corneam tunicam ſcribit, qua parte alba ſit, ſatis craſſam eſſe, pupillæ loco extenuari, quid poteſt planius eſſe hoc, veteres totam ſuperiorem tunicam, cujus albam partem juniores ſcleroticam, perlucentem corneam ſeorſim dixerunt, κερατοειδέα nominaſſe, quod, ſi opus eſſet, poſſet *Galeni* [ε] etiam & Iſagoges autoris [ς] auctoritate confirmari. Neque dubitari poteſt, durioris membranæ, herniis non abſimiles, tumores veteribus inter ſtaphylomata relatos fuiſſe; ſaltem clavi, qui *Celſo* [ζ] in albo oculi orta tubercula ſunt, ab *Aëtio* [η] *Paulo* [ϑ] & reliquis fere omnibus, etſi non eodem modo, tamquam ſtaphylomatum aliquod genus, deſcribuntur. *Pauli* enim procidentias à ſtaphylomatibus diverſas non eſſe, ſuperiore aliquo loco oſtendimus. Durioris autem membranæ ſtaphylomata tum propter denſitatem firmitatemque hujus membranæ rariora ſunt, tum propter adnatam & muſculos, quibus veſtita eſt, & choroidem ac retinam, quibus ſuccincta. Oportet etiam medicos ſibi cavere, ne omnis generis tumores inter ſtaphylomata referant, qui in duriore membrana fiunt; quemadmodum contra videtur veteribus medicis accidiſſe, ut, ſi non, durioris, ſaltem perlucentis ſeu corneæ membranæ ſtaphylomata exulcerata, graviſſimoſque dolores moventia, carcinomata nominarent. His omnibus denique id herniæ genus accenſeamus, quod *S. Yves* videre contigit, quodque ex ſclerotica, prope corneam, rupta & adnata laxata, ortum eſt, in cujus ſinum humor aqueus irrupit.

§. VII.

[β] loc. cit. p. 445.
[γ] loc. cit p. 213. His auctoribus etiam *Heiſterus* V. C. accedit loc. p. 626.
[δ] Lib. VII. c. 7. art. 13.
[ε] de Uſu Part Lib. X. c. 3.
[ς] Cap. X.
[ζ] loc. cit. art. 12.
[η] loc. cit cap. 34.
[ϑ] Lib. III. cap 22.
[ι] loc. cit. p. 231. ſq.

## VII.

*Recenſentur, quæ in ſtaphylomate, ejuſque curatione vel ſpem vel periculum oſtendunt.*

Non omnia ſtaphylomata cum viſui, tum vitæ æque multum nocent. Minimum periculi habent, quæ tantum exiguam aliquam corneæ partem occupant, præcipue ſi non in ipſo pupillæ loco ſunt. Oportet tamen inflammationem abeſſe, per quam acies facile corrumpitur. Staphyloma enim & per ſe, & ubi ablatum eſt, quod perquam facile fit, per cicatricem factam, viſui parum officit. Neglectum vero, quia videtur aciem parum lædere, frequentes ophthalmias concitat, quæ ſi oculi interiora occupant, videndi facultatem tollunt, ſi in exterioribus ſubſiſtunt, vel creſcere ſtaphylomata faciunt, vel in ulcus malignum mutant, aliquando & oculum rumpunt. Alia majorum ratio eſt, quorum quæ alba ſunt, utplurimum omnem aciem corrumpunt, neque facile curationem admittunt, qua oculo integritas, & videndi facultas reſtituatur. Sinunt tamen hominem fere ſine alio periculo, immo fere ſine moleſtia eſſe, niſi ſi adnata ſimul levata eſt, qua corneæ innaſcitur. Tali enim ſtaphylomati venæ ampliatæ, & inflammatio, interdum quoque unguis aut pterygium & pannus ſupervenire ſolent. Quod igitur per ſe prorſus intactum relinqui poſſet, id oportet interdum, majoris mali metu, etiam ferro tolli. In hoc ſolo auxilium inveniunt, quibus cornea tantum in tumorem levata eſt, ut contegi palpebris non poſſit. Preſſus enim & medicamentis ſuperhabitis vexatus oculus vehementiſſima poteſt & lethai inflammatione corripi. Ut vero curatio, quæ per ferrum fit, omitti in aliis hujus generis tumoribus debeat, in hoc tamen ne quidem poteſt. Eſt enim propemodum ſemper cum inflammatione & ulcere, ac ſi ſclerotica ſimul in tumorem attolli incipit, cum immani adeo dolore conjunctum, ut æger ſomnum capere non poſſit, ac, febre accenſa, nonnunquam inſanire incipiat. Si per ſe mitius malum eſt, poſſunt tamen hæc omnia per cilia excitari, quæ apicem tumoris continuo vexant. Fit etiam interdum, ut oculus rumpatur, ex quo fere immedicabile carcinoma naſci ſolet. Inter hæc vero, quia cornea perlucens manet, aliquis luminis ſenſus eſt, quod tamen ægro ſpem nullam ſanationis veræ perfectæque facere poteſt. Protinus potius ad ſcalpelli curationem decurrendum eſt, ut ab altero oculo noxa avertatur, quam ſolet humorum deſtillatio facere. Majus autem certiuſque adverſus omnia fere ſtaphylomata, in manu, quam in medicamentis, præſidium eſt. Utraque viſum aliquando ex parte reſtituunt, manus & ferrum ut plurimum tollit. Neque cum utraque curatione nihil periculi conjunctum eſt, in primis ſi oculum antea longa tædiique plena lippitudo tenuit, aut mali habitus corpus, & vitium in humidis eſt, ut venerea lues, cacochymia, ſcorbutus. In his ſatius eſt curationem differre, donec expurgatum corpus fuerit. Aliquid etiam ad curationem confert, quæ per medicamenta fit, tempus, cujus ratione ſtaphyloma vel vetus vel recens eſſe ſolet. Vana autem opinio eſt, tum

eorum

corum, qui, quousque medicamentis pugnari debeat, tempore definire volunt, tum qui manum scalpellumque vel omni paulo majori staphylomati admovere.

## VIII.

*Curatio staphylomatum, quæ per medicamenta fit.*

Quibus igitur oculus staphylomate tumet, non uno modo succurritur. Invenio prope omnes tantam habere in medicamentis fiduciam positam, ut ea in omni staphylomate tentare præcipiant, modo id vetustatem non habeat. Scribunt autem multum proficere, quibus siccandi adstringendique vis sit, neque ex horum numero acriora eximunt. Nolo hic plenius exponere, quæ in veterum scriptis, adversus hoc morbi genus, medicamenta laudantur. Fuit enim de his alio jam loco (IV.) expositum. Ex iis autem, quæ recentiores medici proposuerunt, huc pertinere existimo ligni sancti fructus immaturos contusos, & oculo impositos, quos *Fabricius ab Aquapendente* commendat, [α] fomenta illa atque collyria à *Plempio* laudata, [β] pariter ac ab *Antonio* [γ] & à Cl. *Heistero* [δ] propositam aquam, quæ alumen excepit. Quod medentium consilium nolim tirones temere arripiant. Tutum enim non esse videtur, si inflammatio oculum tenet, sive fecerit staphyloma, sive etiam supervenerit. Minimum hanc prius profligari oportet. Sed hæc medicamenta in universum & iis parum conveniunt, quorum oculos inflammatio jam sæpius infestavit, & quibus staphylomatis tunicæ tenuissimæ sunt vel etiam ruptæ. Neque demum utilia esse adversus illa staphylomata queunt, quæ, parum elata, crassas & albas tunicas habent, quæ fere semper siccæ sunt. Ut enim ejusmodi staphylomata tolli possent, summas tunicas extenuari oporteret, interiores, quæ laxatæ levatæque sunt, contra adstringi. Sed ne illis extenuatis, hæ multo magis laxentur, non vanum metum esse, scire licet ex iis, quæ de caussis staphylomatum dicta sunt. (V.) Ut vero posse medicamenta in reliquis hujus mali generibus aliquem usum habere non negem, tamen ea, nisi quæ aliquam tantum partem corneæ occupant, & quæ veteres videntur μυοκεφάλας nominasse, superhabere adhuc non volui, neque adhibita ab aliis cum fructu vidi. Mihi autem usus ostendit, tutissimam huic staphylomatis generi medendi rationem esse, quam à celebri apud Parisienses oculario medico *S. Yves* accepi, quo olim in oculorum adfectibus medendi arte præceptore usus sum. Oportet summo staphylomati lapidem admovere, cui ab inferno nomen est, idque iterum & tertio, sed manu admodum temperata, facere. Et hoc quidem tanta moderatione peragendum est, ut cum ab oculo, tum etiam à palpebris, omnis noxa aver-

[α] loc. cit. p. 25.
[β] Ophthalmogr. Lib. V. cap. 22.
[γ] loc. cit. p. 446.
[δ] loc. cit.

vertatur. Quapropter hæ manu diducendæ ſunt, & æger jubendus, ut, quantum fieri poteſt, figat oculum. Et quo hæ partes omnino tutæ præſtentur, & cum dolor, tum omnis inflammationis metus avertatur, commodiſſimum eſt vaſculum vel aqua, vel lacte & aqua inter ſe miſtis, tepidis, plenum ita oculo aliquandiu admovere, ut ſummam ejus partem alluant. Per lapidem igitur, hac cum moderatione, ſtaphylomati admotum, cum levis aliqua ſuppuratio moveatur, tunicis laxatis corneæ, ſe contrahendi occaſio adfertur, ac tumor primo imminutus, exigua quadam cicatrice inducta, tandem totus tollitur. Dividi tamen hanc curationem oportet, & lapidem, ubi per triduum, quadriduumve, medicus conquievit, iterum & aliquando tertio, admoveri. Inter hæc tutum non eſt, oculum devincire, quem à plena luce remotum eſſe ſufficit. Neque corneam & palpebras in hoc malo inter ſe coaleſcere frequens eſt; præſtat tamen noctu tenerioris veſicæ fruſtulum, quod unguentum excepit, quale illud *Woolhouſii* eſt, inter palpebras inſerere. Ubi hoc unum ſupererat, ut ulcus cicatrice clauderetur, *S. Yves* aqua ophthalmica uſus fuit, qualis rubra eſt, vel quæ lapidis divini & metallorum croci aliquot grana habet, quo tunicis corneæ plus roboris adderet. Fere commodius eſt, unguentum in oculum conjicere, quale *Woolhouſii* eſt. Hæc curatio homini videndi facultatem propemodum plene reddit.

## VIII.

*Quæ ſtaphylomata per compreſſionem curari poſſint, declaratur, & quo ea modo fieri debeat.*

Staphyloma cum hernia aut potius cum aneuryſmate vero comparari poſſe, ſupra retuli. Poteſt igitur dubitari, annon etiam, ut hæc, compreſſione curari queat. Invenio hanc curandi rationem jam olim à JESU filio *Hali*, [α] propoſitam fuiſſe, neque *Woolhouſio* [β] diſplicuiſſe videtur, & *Heiſtero* V. C. probatur [γ]. Exiſtimat etiam *de la Faye* [δ], ſtaphylomate laborantibus optime compreſſione ſuccurri, etſi non aliud videtur hujus mali genus admittere, quam quod ex uveæ procidentia naſcitur. In compreſſione autem adverſus omnia ſtaphylomatum genera, pariter ac adverſus hernias & aneuryſmata, præſidium non eſt, neque *Woolhouſii* [ε] ſententiæ poſſum accedere, qui ea compreſſione ſanari poſſe, exiſtimat, modo recentia ſint. Valet autem aliquando compreſſio, cum in tollendo ſtaphylomate, tum in ejus augmento reprimendo, quod, qui uti hoc auxilio volunt, ſollicite diſtinguere debent. Vinci igitur ac tolli per compreſſionem aneuryſmata non poſſunt, in quibus adeo laxatæ extenua-

[α] loc. cit. cap. 60.
[β] loc. cit. Id enim repreſſio, repoſitio, reductio herniæ oculariæ videntur indicare, quarum meminit.
[γ] loc. cit.
[δ] Remarques ſur *Dionis* Cours d'Oper. p. 547.
[ε] loc. cit.

nuatæque corneæ lamellæ ſunt, ut proxime à ruptione abſint; quæ dolent & inflammata ſunt, aut corneam exulceratam habent, quæque occalluerunt. Ut hæc etiam compreſſionem tuto ferant, quæ oculo ſemper inimica eſt, tamen illa vel in carcinoma mutari poſſunt. Atque compreſſionem tutum auxilium eſſe, niſi ad ea ſtaphylomata perſananda, perſuadere mihi non poſſum, quæ ex vulnere orta, quod telo acuto factum eſt, in parvo corneæ laxatæ tumore conſiſtunt, vel ex ulcere nata, tamen pura, ſine dolore, parva, & in puerili corpore ſunt. Incrementum enim corporis, ut in aliis herniis ſanandis, ſic etiam in hac, permultum valet [ϛ]. Neque alia eorum ratio eſt, quibus, ne nimis increſcant, medentes faſciam injicere jubent. Excipienda enim eſſe, quæ vel cum humida lippitudine, vel cum acuta ophthalmia conjuncta ſunt, & quæ palpebris contegi nequeunt, vix attinet dicere. Etiam inter exulcerata multa faſciam non ferunt, quæ adeo adverſus omnia ſtaphylomata in univerſum per ſe parum utilis eſt, cæteras curationes adjuvare poteſt. Neque id video ab iis plane neglectum eſſe, qui ſtaphylomatum curationem per compreſſionem propoſuerunt. Injici tamen faſcia debet non ante, quam ubi ad cicatricem inducendam perventum eſt, ſive perfectæ ſanationis cauſſa, tumor medicamentis aut filo, ſectioneve ſublatus fuerit, ſive in eo, quod ſanari non debeat, inflammatio vel alia mala profligata ſint, vel ulcus purgatum. Illa, ut oculus tantum noctu devinctus ſit, deſiderant, hæc, ut etiam de die. Nunquam vero tutum eſſe, ſciendum eſt, faſciam nudo ſtaphylomati injicere, ſed oculo palpebris contecto, inter quas tamen & oculum prius aliquid inferi oportet, ne inter ſe coaleſcant. Cornea enim lamina, qualem *de la Faye* [ζ] contra uveæ procidentiam laudat, ut ſtaphyloma non irritet, ferri tamen diu, ſine incommodo, non poteſt. Nihil expeditius eſt, illa machina, cujus icon apud *B. Platnerum* [η] eſt, modo ita adaptetur, ut non tam premat, quam tumorem contineat. Quapropter & aliam figuram habere debet, ſi tantum ad coercendum ſtaphyloma imponitur, quod variam & figuram & magnitudinem habet. Nam difficillimum eſt, plumbeam laminam faſcia ita adſtringere, ut oculum non premat.

## X.

*De curatione per linum, agitur, quod ſtaphylomati injiciendum eſt.*

Sed his quidem utplurimum parum proficitur; quare malum, quod medicamentis, modicæque compreſſioni non cedit, manu curandum, & tumor, vel filo, vel ſcalpello ac forfice tollendus eſt. Ut prius de illo dicam, veteres invenio tantum non omnes à ſectione abhorruiſſe propter

 hoc,

[ϛ] *Woolhouſius* ait, ſe omnes ſtaphylomatis ſpecies, cum viſus inſtauratione, in infantibus, aliiſque omnibus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, per compreſſionem curare. loc. cit. Sed hoc certe nimium eſt.

[ζ] loc. cit.

[η] Inſtitut. Chirurg. Fig. XIII.

hoc, quod, cum aciem putarent restitui non posse, volebant tamen oculum servare, ex quo, scalpello adhibito, humores omnes effluere oportere, existimabant [α]. Fuerunt, qui staphyloma mori cogebant, flaccidumque decidere, filo, si staphylomatis radix angusta, sine acu injecto, & nodo sensim constricto [β]. Plures, ne linum, quo duplici utebantur, effugeret, cum eo acum, per imam medii staphylomatis partem, trajecerunt, ejusque duo capita ex superiore, alia duo ex inferiore parte, inter se adstrinxerunt [γ]. *Aëtius* [δ] & *Paulus* [ε], in magno tumore hæc sufficere non rati, jusserunt prius aliam acum, ad ipsas radices, per medium tumorem, ab inferiore parte versus superiorem, trajicere, tumque alia acu, duo lina ducente, versus angulos oculorum, transfuere, & quæ modo dicta sunt, peragere. Ut ex his tribus auxiliorum generibus primum utile sit, reliquis duobus parum tribuendum esse existimo. Nam quo magis staphyloma increvit, eo fere vehementius dolet, eo copiosior acriorque humor ad oculum destillat, quæ mala per linum exasperari oportet. Accedit, in magno vetustoque staphylomate, tam tenues corneæ lamellas esse, ut linum non paullatim secando, verum, protinus in ipsa curatione, tumorem excidat, per quod vulnus humores oculi omnes, etsi non sine periculo, effluent; nam quia vulnus paulo angustius est, inflammatio solet, utplurimum vehementissima, supervenire. Vidi etiam staphyloma, quia æger impatiens erat, ab acu, dum trajiciebatur, laceratum fuisse. Quod fortassis enim *Aëtio* accidit, qui tenues acus commendat. Præter hæc accidit sæpius, ut uvea prolapsa interiori corneæ parti adhæreat, quæ filo simul constricta dolorem inflammationemque summam movere debet. Longe tutior commodiorque ea medendi via est, qua linum tumori simplex, & sine acu, injicitur, quæ tamen in parvis tantum staphylomata tuta est, & in quibus non tota cornea laxata est. Neque tamen hæc nimis parva esse oportet, aut saltem angustiore radice inhærere. Usus mihi ostendit, si paullo majus staphyloma sit, & tunicas non nimis extenuatas habeat, acu etiam duo lina ducente, tenuissimaque transfui posse, tumque ex utraque parte ligari. Lini vero capita, temperata admodum manu, inter se adstringi debere, sciendum est. Dum mordet filum, latatasque tunicas contrahit, inflammationem lenem movet, quam cum suppuratio sequi debeat, vulnus, quod à tumore paullatim exciso supereſt, sensim clauditur.

[α] Vid. *Aëtius* loc. cit. cap. 35. cum quo Græci & Arabes fere omnes sentiunt.

[β] Primus videtur hoc *Guido de Cauliaco* proposuisse loc. cit. saltem acus non meminit, deinde *Scacchus* loc. cit. p. 109. *Dionisius* Cours d'Operat. p. 546. ed. 1740. *Purmannus* loc. cit. p. 133. & *Antonius* loc. c. p. 450.

[γ] Hæc est altera earum curationum, quas *Celsus* memorat, loc cit. art. II. & quam etiam, saltem si mediæ magnitudinis staphyloma sit, commendant *Fabricius ab Aquapendente* loc. cit. p. 26. *Theveninus* loc. cit. *Dionisius* loc. cit. aliique.

[δ] Loc. cit. cap. 35.

[ε] Lib. VI. cap. 19. Habet etiam *Albucasis* loc. cit.

ditur. Rarius fit, ut exigua quædam quasi fistula maneat, quæ tamen parum vel nihil nocere solet. Nam quod ex aqueo humore effluit, cum exiguum sit, cum lacrymis misceri solet, & ad nares profluere.

## XI.

*Variæ per Scalpellum faciendæ curationes proponuntur.*

Superest, ut de ea curatione dicam, quæ scalpello peragitur. Ejusque tres modi esse inveniuntur, qui à medentibus propositi sunt. Veteres, ut ex *Celso* [α] patet, in summa parte staphylomatis, ad lenticulæ magnitudinem, excidebant, deinde exedentia medicamenta infricabant. Quod an recentiorum aliquis imitatus sit, equidem nescio. Video autem cum olim *Aëtium* [β] & *Paulum* [γ] & ex Arabibus *Jesum Hali* filium [δ], tum ex nostræ superiorisque ætatis medicis aliquos [ε], staphylomata, quæ latiorem radicem habent, primo acu linum ducente transfuisse, deinde apicem resecasse, quo adeo ex duplici *Celsi* curatione unam fecerunt. Alterum tertiumque modum ex præcipuis nostræ ætatis ocularis medicis unus, St. *Yves* proposuit, quos, quales ab eo, qui jam Parisiis hoc nomine celebris est, accepi, sæpiusque adhiberi vidi, quasque & in hac urbe curationes perfeci, proxime describam. Quartus parum ab eo differt, quo in hydrophthalmi curatione utimur. Eumque jam olim *Jesus Hali* filius proposuisse videtur [ϛ], & post eum *Theveninus* [ζ], ac *Dionisius* [η]. Primum igitur, quid de veterum illa curandi ratione sentiendum sit, dicam. Eam vero, si staphylomata in universum considero, alteri illi, quam per ligaturam fieri debere volunt, præferendam esse existimo, primum propter hoc, quod cum dolorem, tum inflammationem leniorem movere debet, deinde, quod non totam corneam tollit, sed, summa tumoris parte exsecta, contrahere se reliquum facit, corneamque ad pristinam formam redire; tandem, quod, quantum videndi facultatis superest, servare potest. Quomodo hæc curatio instituenda sit, statim aperiam, ubi prius de quarto quædam modo dixero. Videtur is cum ea curatione comparari posse, quam vulgo hydrocelæ adhibent, quæ tamen morbum non tollit, sed ad tempus levat. Semper enim tumor rursus adsurgere solet. Accedit, oculum ejusmodi sectionem minus, quam scrotum, ferre, etsi & hoc interdum vehementior inflammatio invadit. Atque St. *Yves* [ϑ] facile credo, neque satis tutum hoc auxilium esse, neque certum. Ubi igitur ad scalpellum

[α] Loc. cit.
[β] Loc. cit.
[γ] Loc. cit.
[δ] Loc. cit. cap. 65.
[ε] Vid. *Paræus* lib. XVI. cap. 16. *Molinettus* Diss. anat. pathol. IV. cap. 6. p. 157. *Theveninus* loc. cit. *Antonius* loc. cit. p. 452.
[ϛ] Loc. cit.
[ζ] Loc. cit.
[η] Cours d'operat. p. 546.
[ϑ] Loc. cit. p. 235.

lum decurrendum eſt, non expedit, omne ſtaphyloma eodem modo curare, quod præcipue videndi facultatis cauſſa tenendum eſt, quam unus ex toto tollit, cæteri ex parte ſervant. Mala enim ſymptomata, cum periculo ac deformitate, ſolent fere omnes æque bene tollere. Aliquid etiam tum color ſtaphylomatis variat, tum magnitudo. Parvis igitur ſtaphylomatibus, & quæ aliquam tantum corneæ adhuc perlucentis partem occupant, neque vetuſta ſunt, ſi linum non ferunt, hanc medelam parare ſoleo. Poſt hominem, quem, lumini obverſum, in ſedili colloco, jubeo miniſtrum adſtare, qui & caput teneat, & ſuperiorem palpebram diducat. Inferiorem poteſt ipſe medicus curans deprimere. Etiam inutile non eſt, præcipue, ſi timidus homo aut doloris impatientiſſimus eſt, ex adſtantibus aliquem manus ejus prehendere, ac coercere. Medicus deinde ante ægrum ſtat, & acu tenuiſſima, parumque curva, filum ſimplex, tenueque ducente, quam, ſi in dextro oculo vitium eſt, ſiniſtra prehendit, ſi in ſiniſtro, dextra, tumorem ab exteriore angulo verſus interiorem tranſſuit, ac lino paullulum adducto, levat. Tum is, ad ipſas radices, anguſtiore ancipiti ſcalpello, quali ad venas ſecandas utimur, tranſverſus inciditur, poſteaque forfice totus exſcinditur. Poteſt etiam tumor, acu cum lino omiſſa, forcipula prehendi, tumque reſecari, ſi, ut aliquoties vidi, ſtaphyloma qua parte jam ruptum eſt, ut apex forficis immitti poſſit. Aliam curationem iis adhibendam eſſe exiſtimo, in quibus maxima corneæ pars in tumorem ſublata eſt. Quæ ſi pellucida ſunt, neque, niſi in ſumma parte, multum eroſa, neque omnem aciem corruperunt, conducere altera illa à *Celſo* deſcripta curatio poteſt, qua ſumma tantum ſtaphylomatis pars exſcinditur. Spem enim felicis curationis robur facit, quod cornea à durioris membranæ parte habet, & per quod ſe poteſt, aqueo humore effuſo, contrahere, tandemque coaleſcere. Oportet tamen non nimis parum exſcindere, alias enim tum aliquis tumor manet, tum etiam ſtaphyloma interdum redit. Quam curationem ſucceſſum habituram eſſe, ſi per corneam, nimis eroſam extenuatamque, ſperare non licet, hanc totam excidi neceſſe eſt; curatio vero non alio modo, quam quo prior ordinatur, niſi quod ſcalpellum in duriorem oculi membranam demitti oportet, ejuſque aliquam partem, cum tota cornea, tolli. Cum enim humores oculi, cum aliqua videndi facultate, ſervari non poſſint, expedit eos maximam partem effundere, quod, uvea ſimul reſecta, ejuſque cum cryſtallino vitreoque quaſi concreto ſucco, nexu ſublato, fit [*]. Vulnus enim, quod paulo anguſtius eſt, ab erumpente humore premitur, eoque vehementiſſima inflammatio movetur. Multo lenior eſt, quæ illam curationem excipit, ac brevi ſuppuratione finitur, qua cornea contrahitur, ac vulnus clauditur. Ubi firma cicatrix inducta fuit, arte paratum oculum inter palpebras inſeri oportet, qui alteri par ſit, ac bulbi relicti motum ſequatur. Hoc etſi miſerum, tamen unicum auxilium eſt, quod præcipue iis paratum eſt, quibus tum cornea tota, tum, cum hac, etiam durior

[*] Curationem non plane abſimilem commendaſſe etiam video *Scacchum* loc. cit. pag. 110.

durior oculi tunica, ex parte, in tumorem attollitur. Eodem modo illis succurritur, quibus cornea maximam partem vehementer extenuata eſt, ac per interiorum partium confuſionem, omnis videndi poteſtas periit. Neque aliam medicinam invenire poſſunt, qui album ſibi calloſumque ſtaphyloma tolli cupiunt. Præſtat tamen ejuſmodi ſtaphylomate laborantibus ægris perſuadere, ut, ſi cornea parum levata, & ipſi ſine dolore ſunt, malum patienter ferant, quam decoris cauſſa, ſaltem difficilem, curationem ſuſtineant.

## XII.

His omnibus ea ſubiicienda ſunt, quæ cum ante, tum poſt curationem, circa victum & medicamenta, obſervari oportet. Si corpus integrum, & malum ſine dolore ac inflammatione eſt, ſaltem, per aliquot dies, tenui lenique victu utendum eſt, & proxime ante curationem, vena ſecanda, & alvus laxanda. Aliquando etiam, his omiſſis, ad ſcalpellum decurrendum eſt, ſi dolor inflammatioque ab adfrictu pendet, quem palpebræ ciliaque, præcipue rupto ſtaphylomati, faciunt. Interdum humor in oculos deſtillat, & ſtaphyloma exulcerat, quod ſi in corpore parum integro fit, & in quo cacochymia, ſcorbutus, aut venerea lues eſt, ante curationem, tum medicamenta danda ſunt, his morbis vincendis profligandiſque idonea, tum humor ex oculo in aliam partem evocandus. Expeditiſſimum eſt, ſive in humero, ſive in crure, fonticulum excitare, aut ulcus in nucha facere, per quod plura lina xylina tranſmittantur. Non alio modo fonticulum profuiſſe exiſtimo, per quod ſe *Brebiſius* [α] gloriatur, ex lippitudine ortum ſtaphyloma ſanaſſe; modo hoc fuerit; nam tres tantum puſtulas fuiſſe, veriſimillimum eſt. Ipſa curatio, in calido loco, & in jejuno corpore fit, ne vomitus, qui alias ſupervenire ſolet, vulnus irritet, humorumque adfluxum concitet. Utque ſaltem vehementior inflammatio avertatur, expedit altera hora poſt curationem, ſanguinis magnam vim detrahere, & abſtinentia ac quiete pugnare. Inter ea, quæ extrinſecus ſuperhabenda ſunt, aqua tepida & ovi album eſt, quorum illa oculum protinus lavari oportet, illud cum aqua plantaginis, roſarum aliave ſimili peragitatum ac mixtum, panniculo excipi, oculoque imponi. Quibus, ſi inflammatio averti non poteſt, hac reprimente medicina omiſſa, utile eſt, cum fomento ex aqua tepente facto, cataplaſma ſæpius de die tepidum imponere, quod ex interiore panis parte, lacte & vitelli ovi, cum pauxillo croci fit. Sæpe etiam neceſſe eſt, iterum tertioque venam ſecare, neque intus, adverſus æſtum danda, medicamenta negligere. Si alvus minus reſpondet, oportet etiam frequentes in eam lotiones infundi. In his, donec vulnus ad cicatricem ſpectet, perſiſtendum eſt; tum vero aqua vel unguento potius uti decet, cui leniter adſtringendi vis eſt, & oculum machina idonea paululum premi. Neque aliter fere, etſi minus operoſe, pugnandum eſt, ubi parvum aliquod ſtaphyloma ſive lino, ſive ſcalpello, exciſum eſt. Inutile etiam

*Indicantur ea, quæ felicis ſanationis cauſſa cum ante, tum poſt ſcalpelli uſum, a medentibus peragenda ſunt.*



[α] Act. N. C. Tom. III. obſ. 49. p. 153.

etiam non eſt, quod veterum ac recentiorum aliquot voluiſſe invenio, ut æger, per totam curationem, ſupino corpore capiteque ſit, etſi evidentior hujus uſus eſt, ſi uvea, quæ prociderat, in ſedem ſuam reducta fuit. Et hæc quidem omnia ad ea pertinent, quorum in cornea ſedes eſt. Quæ ex durioris membranæ vitio naſcuntur, ſi vulnus eſt, per compreſſionem, ſi ulcus, per ſcalpellum curanda eſſe exiſtimo. Sufficit vero vel ſummam ſtaphylomatis partem exſcindere. Humores enim facilius, quam in corneæ ſtaphylomate, ſervari poſſunt, &, cum acies interdum vix hebetior facta ſit, etiam debent.

DIS-

XXV.

# DISSERTATIO
DE
# STAPHYLOMATE.

*QUAM PRÆSIDE*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Pro Doctoratu obtinendo tuebitur*

PHIL. FRID. BENJ. HOELDER,

*STUTTG.*

Tubingæ 18. Decemb. anno 1748.

§. I.

NEcdum finis eſt affectuum vel corneæ, vel uveæ, oculi tunicarum? Quamvis enim in præmiſſis pluribus diſſertationibus egerimus de variis corneæ maculis, ulceribus, fiſtula, veſiculis puſtuliſque: de hypopyo: de hydrope oculi: de mydriaſi, pththiſi pupillæ, ſinizeſi, ſynechia &c. affectibus vel corneæ, vel uveæ iridive propriis, atque communibus; ſuperſunt tamen plures intricati difficileſque, quos e labyrintho tot authorum, in diverſa abeuntium, extricare non minoris aliquando eſt operæ, quam rationali atque felici ſubjicere curæ.

§. II.

Itaque *cornea porro ſubit vel* ſubſtantiæ ſuæ præternaturalem craſſitiem & ſcirrhoſitatem, vel intumeſcentiam, vel attenuationem nimiam: *vel* ſubſidentiam & corrugationem: *vel* ſuperexcreſcentiam, membranaceam, carneam, fungoſam, cancroſam: *vel* exeſionem & perforationem ulceroſam, malignam: *vel* ſtaſin & rubedinem inflammatoriam; *vel* aliam coloris mutationem: *vel* vulnus, totam penetrans ſubſtantiam, cum humoris aquei effuſione, aliquando & iridis uveæque procidentia foras: *vel* ſuarum aliquarum modo lamellarum exulcerationem, eroſionem, aut undecumque inductam attenuationem, propter quam vel tota cornea, vel pars ejus in altum, & majorem convexitatem elevatur, protuberat, atque in talem effictum quaſi ſacculum recipit humoris aquei portionem, ſubinde etiam iridis, vel uveæ. Diſtinctam horum affectuum denominationem atque tractationem ſuo ſervantes loco, jam ad incudem revocamus, quem ultimo recenſuimus, affectum, cui *ſtaphylomatis* impoſuere nomen & antiqui authores & recentiores.

§. III.

*Etymologia* quidem ſtaphylomatis in aprico eſt; ſiquidem σαφύλωμα, τὸ, derivatur à σαφυλὴ, ῆς, ἡ, uva, hinc & Latini affectum ſtaphylomatis vocant *uvationem*, quod baccam uvæ minorem æmuletur protuberans vel cornea adhuc integra, vel per eamdem pertuſam, hiantem, prolapſa uveæ portio: & quamvis ſtricte loquendo ſtaphylomatis acceptio determinetur ad certam harum protuberantiarum ſpeciem, vel ſubdiviſionem, *ſtaphyloma* tamen communiter *pro genere* horum affectuum *conſtituitur*, per ſynecdochen ſpeciei. Sed quid ſtaphyloma ſit formaliter, quæ genuina ejus definitio formalis, non prius enucleare audemus, quam præeuntium, vetuſtiſſimorum maxime, authorum veſtigia legerimus.

## §. IV.

Apud *Hippocratem* vix aliud occurrit veſtigium quod huc trahi poſſit, præter pauca & obſcura, quæ ita ſonant: membranæ vero tres ſunt, oculos ipſos cuſtodientes, ſuperna quidem craſſior, media vero tenuior, & tertia tenuiſſima, quæ humorem conſervat. Ex his ſuperior quidem & craſſiſſima, ſi læſa fuerit, morbum facit. Media vero, ipſa etiam periculi plena eſt, & ubi rupta fuerit, foras velut veſica prominet. Tertia tenuiſſima, omnino periculoſa, quæ humorem conſervat [*a*]. Quamvis hinc & aliunde vero ſit ſimillimum, per tres oculum cuſtodientes tunicas ab Hippocrate intelligi corneam, (tam tranſparentem, ſive corneam ſtricte dictam, quam opacam, ſive ſcleroticam vocatam) uveam atque retinam: ac mediæ quidem illius, uveæ, rupturam aliquando fieri; non tamen patet, quomodo ex hac ruptura poſſit in forma cyſtidis prominere uvea, niſi corneam ſimul vel relaxatam & prominentem, vel ruptam ſupponas, e cujus ruptura, vel vulnere pars uveæ, pariter utplurimum ruptæ & in modum cyſtidis convolutæ, promineat foras? Utut ſit, *nomen* certe *ſtaphylomatis non habet Hippocrates noſter.*

## §. V.

Cornelius *Celſus*, primi à C. N. ſeculi author, [*b*] hæc habet: in ipſo autem oculo nonnunquam ſumma attollitur tunica, ſive ruptis intus membranis aliquibus, ſive laxatis, & ſimilis figura acino fit. Unde id ſtaphyloma Græci vocant. Quantus eheu in hiſtoria medicinæ hiatus ab Hippocrate ad Celſum! Quinam ſint illi Græcorum, quos Celſus allegat, & qui nomen ſtaphylomatis cuderint, injuria temporum atque jactura librorum perditorum, vel ſaltem in tenebris adhuc latentium, potior videtur eſſe cauſa, cur neſciamus, quam ignavia inquirentium? Videmus tamen Celſum cum Hippocrate conſpirare, quod pariter per ſummam oculi tunicam intelligat corneam, vel ſcleroticam, quod accuſet itidem ruptas intus membranulas, & figuram acino ſimilem fieri tradat, quæ parum vel nihil diſtat, à figura cyſtidis. Quid Celſus hoc loco per *ſummam tunicam* velit, e ſubſequo cap. de natura oculorum & eorum ſuffuſione diſpaleſcit.

Nimirum κερατοειδέα, corneam, tam opacam, quam diaphanam intelligit. Hanc attolli, elevari, protuberare ſupponit, atque ſic acini figuram referre, idque ſive à ruptis intus membranis aliquibus, ſive laxatis. An hic capiendæ ſunt iris & uvea, quæ tamen firmiſſime connexæ ſunt, &

[*a*] Hipp. de locis in hom. S. 4. p. 408. l. 45. ſſ. edit. Foëſ.
[*b*] Corn. Celſus de re medica L. 7. c. de ſtaphylomate oculi p. m. 634.

& unam conſtituunt tunicam? An tenuiſſima cryſtallini tunica in computum hunc quoque trahenda? Sit ita! quid tum? Harum vel ruptura, vel laxatio, vel etiam hinc facta ad corneæ ſuperficiem internam appropinquatio nondum faciunt corneæ præternaturalem protuberantiam, id quod in variis caſibus ῥωγμῆς, pupillæ diſruptæ, συνεχείας, adhærentis aut concretæ iridis cum ſuperficie interna corneæ, & χαλαςροφῆς, diſlocatæ, ad latus retractæ pupillæ, ὑπεραυξήσεως, ſupercreſcentis iridi & pupillæ carnis, experientia teſtatur.

An ergo rectius putatur *Celſus* per membranas intus *vel ruptas vel laxatas intellexiſſe*, *ipſas corneæ lamellas*, & plura, quibus, arctiſſime quidem conglutinatis, conſtat, ſtrata? Quæ Hipp. [*c*] non modo jam indigitaſſe videtur, juxta ſuſpicionem Foëſii: Galenus autem [*d*] diſerte affirmavit, & recentiores Anatomici uno confirmant ore [*e*]. Quales ergo lamellæ interiores, corneæ concavitati propiores, vel rumpantur, vel laxentur, atque ſic exteriores minus reſiſtere valeant vi humorum oculi diſtenſivæ? Ad hunc ſenſum collimat forte germana Celſi verſio, quam D. Joh. *Küffner*, Racenburgenſis ad Oenum edidit Wormatiæ an. 1539. fol. 103. a. ita ſonans: *Aber inwendig in dem Aug erhebt ſich zu Zeiten eyn Heutlein oben her, nemlich, wann innen etliche Heutlin zerriſſen oder leedig werden, und iſt einem Weiberling gleich, daher es die Griechen ſtaphyloma heyſſen.*

Sane magna cum veri ſpecie hic verborum ſenſus tribui Celſo poſſe videtur, niſi duplex, quam ſtatim ſubjungit, curatio difficillime ſe pateretur conciliari: utraque enim hæc eo redit, ut, quod acini figura protuberat in cornea, vel per ligaturam tollatur, vel excidatur. Atqui vero utrinque, poſt ablatam partem protuberantem, maxima relinqueretur deperditio ſubſtantiæ corneæ, humores effunderentur, & conſolidatio hujus vulneris non alia obtineretur, quam quæ in fatale detrimentum & pelluciditatis corneæ, & figuræ oculi globoſæ, &, quod maximum eſt, viſus non poſſet non cedere. Hinc videtur ipſa duplex hæc operatio magis appropriata tali ſtaphylomati, quod prolapſam ex hiante p. n. cornea ſiſtit uveæ particulam, in forma acini inflatam, atque vel ligatura, vel ſcalpello tollendam, ſi reponi haud poſſit. Ne quid ergo diffiteamur, locum hunc Celſi obſcurum maxime ac dubium declaramus.

## §. VI.

Sed diſpiciamus de *Galeno*, an is majorem affundat lucem? Paſſim quidem is mentionem facit ſtaphylomatis, ſed duobus ſaltem locis, & ne ibi qui-

[*c*] Hippocr. de carnibus S. 3. p. 253. lin. 10. uſque ad 18. & Foëſius in not. p. 317. §. 48.

[*d*] Galenus de oculis, Edit. Juntar. in fol. S. 7. p. 910. b. lit. H. & cornea de multis corticibus compoſita eſt, uno ſuper alium locato &c.

[*e*] Vid. Præſid. diſp. de examine corneæ anatomico & phyſiolog. p. 15. §. 9.

quidem diſtincte ac ſufficienter illud delineat. Primo enim in illo capite, quo recenſet, qua ratione veteres medici nomina morbis impoſuerint, inquit [*f*] : ſtaphyloma, i. e. oculi morbus, cum in ſumma tunica quiddam acino ſimile eminet : & alio [*g*], tanquam cardinali loco, inquit : *τὰ δὲ ϛαφυλώματα καλούμενα, τὰ μὲν, τῇ θέσει μόνῃ, τὰ δὲ διαθέσει παρὰ φύσιν ἐϛὶν.* Quæ latine ſic reddit Horatius Limanus in oper. Galeni in latinum converſis idioma : quæ autem ſtaphylomata vocantur, alia quidem ſolo poſitu, alia vero ipſa diſpoſitione præter naturam ſunt. Clariſ. vero *Güntz* [*h*] ita putat vertenda : qui vero (tumores) ſtaphylomata nominantur, eorum alii ſaltim poſitu, alii autem adfectione præter naturam ſunt. Horum Galeni verborum interpretationem quam olim dedit Ingraſſias, adoptat modo laudatus Güntz, ceu planiſſimam & quæ Galenum cum Celſo conſpirare faciat. Scilicet videtur ipſis Galenus retuliſſe ad prius ſtaphylomatis genus eum tumorem, qui e cornea p. n. diſtenta evenit, ad alterum vero, quem ulcus effecit, quo ſumma oculi tunica exeſa, tantumque extenuata fuit, ut ab aqueo humore in tumorem, paullatim conſurgentem, attollatur.

## §. VII.

Ingenioſæ huic conjecturæ annon repugnat generale prædicatum, quod de tumoribus, hoc Galeni paragrapho recenſitis, enunciatur prima ſtatim linea? *ἄλλοι τινὲς ὄγκοι, οὐδὲν διαίρετον ἔχοντες*, i. e. alii quidam tumores nihil dividuum, (ſive ſeparabile, ſ. fiſſile) habentes; aut qui non habent ſolutam unitatem pro phænomeno vel conſtituente, vel concomitante, ideoque ulceris ſubſumptionem excludunt. Sane qui *τὸ διαίρετον* per ſelectum vertit ſupra nominatus Horatius Limanus nullum plauſibilem verbo huic ſenſum reddidit. Aut licetne Galenum e Galeno interpretari? Dum ipſi [*i*] *διάθεσις νοσώδης* audit, non ſolum cum aliqui ægrotant, ſed etiam cum quiſpiam iſtorum affectuum incipit exoriri : ut hinc in dubio illo Galeni paragrapho ſenſus eſſe poſſit, non ſaltem ſtaphylomata vocari quæ actu, & evidentia & majora exhibentur, ſed illa quoque, quæ ſunt in fieri, in limine poſitionis. Si vero juxta *Langii* aſſertum, quod habetur in Lexico Caſtello-Brunoniano, titulo diatheſis, hæc quoque ſignificet Græcis complicatos affectus, facilior erit conciliatio ſolius poſitionis cum complicatione, i. e. ut non ſolum ſtaphyloma vocetur, quod in ſola corneæ elevatione præternaturali, ſed etiam conjunctis vel vulnere, vel arroſione & eroſione corneæ, vel uveæ in ſinum corneæ protube-

[*f*] Galen. method. med. l. 2. f. 9. b. lin. 8.
[*g*] Galen. de tumoribus p. n. In verſ. lat. S. 3. p. 846. c. 17. ſive ultimo.
[*h*] Juſt. Godofr. Günz diſp. inaugural. de ſtaphylomate, Lipſiæ 1748. p. 3. ſeq.
[*i*] Galenus in Librum ſextum Hip. de morbis vulgaribus, commentar. 5to S. 3. p. 189.

tuberantis prolapſu, vel omnino uveæ per ruptam corneam protruſione foras conſtiterit.

Duo adhuc *Galeni* loca conferri merentur; altero [*l*] inquit: & tunica uvea utplurimum relaxatur, cum corneam nimium erodi contigerit: altero [*m*] dicit: contingit vero nonnunquam, ut tunica, cornea appellata, profundum habeat ulcus, qua deinceps exeſa tota, aliquid ex ea tunica procidat, quæ ſecunda poſt corneam ordine ſita eſt, uvea appellata: & ipſa pupilla una divulſionem patiatur: atque ex his tribus omnibus, quælibet paſſio oculi exiſtimetur, quodvis ulcus & eroſio ad ſolam corneam pertinet, procidentia ad uveam, & divulſio ad pupillam.

Quorſum vero cumque, naſum hunc cereum flectamus, hoc certe conſequitur, e manca & obſcura hac Galeni deſcriptione nec claram nec diſtinctam ſtaphylomatis ideam exſculpi poſſe.

## §. VIII.

*Authorem*, incertum quidem, ſed antiquiſſimum tamen, *definitionum medicarum & Iſagoges*, quæ communiter Galeno adſcribuntur, ſi conſulamus, *ibi* ſtaphyloma dicitur primo, id quod in pupillæ loco conſurgit acino uvæ ſimile: & paulo infra deſcribitur eſſe: elevatio verſus pupillæ locum cum inflammatione, acino uvæ ſimilis: *hic* vero, quando oculi pupilla cum inflammatione & dolore attollitur & acino uvæ ſimile redditur, album colore. Inter reliquos primorum ſeculorum [*n*] Græcos medicinæ ſcriptores, qui ſtaphylomatis expreſſam atque ampliorem fecerint mentionem, nonniſi Aëtium, Paulum, & Actuarium habemus, quos itaque nunc in ſcenam producimus. Et *Aëtius* quidem, gravis, diſertus atque de ophthalmiatria bene meritus auctor, primo [*o*] de myocephalis dilucide ſic ſcribit: cum ulcera, quæ propter eroſionem aut ruptionem corniformis tunicæ fiunt, profunda evadunt, pars aciniformis tunicæ procidit, & quod prolapſum eſt nigrum aut cœruleum apparet. In circuitu vero circa fundum ejus partis quæ procidit labia corroſæ corniformis tunicæ alba apparent. Et, ſi adhuc magis pars prolapſa duraverit, labia ruptionis

[*l*] -- de cauſis morborum, claſſ. 3. c. 10. fol. 9. b. de cauſis morborum in genere poſitionis.

[*m*] -- de differ. morb. claſſ. 2. c. 13. fol. 5. b. de compoſitis morbis inſtrumentorum.

[*n*] Aëtius, Amidenus, ad finem Vti ſeculi, vel initium VIti ſcripſit: Paulus, Ægineta, haud ante ſeculum VIImum vixit, licet abs Clerico in IVtum & abs Conringio in Vtum collocetur: vid. Freind. hiſt. med. p. 95. & Schulz hiſt. med. p. 337. Actuarii, incerta quidem Epocha, Freindio tamen putatur haud multo ante finem Sec. XIII. extitiſſe, contra Lambecium & Fabricium, hiſt. med. p. 178. l. 1. & p. 175.

[*o*] Aëtius Tetrabibl. 2. Serm. 3. c. 33.

tionis tunicæ corniformis calloſiora facta adhuc magis alba apparent. Divulſa eſt autem omnino in uviformis, ſive aciniformis tunicæ prolapſu pupilla ipſa, ut omnino non appareat, aut & ſitu & figura immutata. Capite autem ſequente [p] dicit, differentias ſtaphylomatum plures eſſe: nam & cauſas affectionis varias eſſe: appellari vero ſtaphylomata non ſaltem, cum corniformis tunica fuerit elevata & eminentiam acino uvæ ſimilem fecerit, ob humores ſub aliquam corniformis tunicæ ſtriam [q] collectos, à quibus humoribus coactam corniformen tunicam ſuſtinere contingat ac elevari & incurvari, facereque ſtaphyloma citra ruptionem; &c. Sed appellari etiam ſtaphyloma, cum ob corniformis tunicæ rupturam, magnus uviformis tunicæ prolapſus factus fuerit. Differre hæc duo ſtaphylomata, addit, quod in illo elevatio ſola ſit tunicæ corniformis, unde etiam tota moles albidior appareat: in hoc vero ruptura quoque facta ſit tunicæ corniformis, & quod prolapſum eſt, cœruleum aut nigrum appareat.

Manifeſtum ex his eſt, quod Aëtius duas ſtaphylomatis admittat ſpecies, teram quæ in ſola corneæ elevatione ac protuberantia: alteram, quæ in ruptura corneæ, & prolapſu per illam uveæ, hujuſque protuberantia in corneæ externa ſuperficie conſiſtat. In genere hæc recte traduntur! Sed confundit in prima ſpecie diſtinctos corneæ affectus, qui ab humoribus & pure intra corneæ lamellas collectis oriuntur, & vel unguis vel leucoma, vel phlyctæna, vel puſtula vocantur. Neque ideo ad ſtaphyloma referendi ſunt, quod horum nonnulli prominentiam in cornea aliquam important.

## §. IX.

*Paulus Ægineta* [r] ſic habet: *τὸ μὲν ϛαφύλωμα κύρτωσις ἐϛὶ τοῦ κερατοειδέος χιτῶνος ἀτονήσαντος σὺν τῷ ῥαγοειδεῖ, ποτὲ μὲν διὰ ῥευματισμὸν, ποτὲ δὲ δι' ἕλκωσιν.* i. e. Staphyloma quidem eſt curvatio (ſive gibboſitas) corniformis tunicæ, infirmatæ (ſive debilitatæ) una cum uviformi, aliquando per fluxionem, aliquando autem per exulcerationem. Alibi vero idem aliter habet [s]: *Proptoſis* caſus eſt uveæ tunicæ, ab eroſione ſive diſruptione corneæ proveniens, quæ exigua adhuc, ita ut muſcæ caput referat, *Myocephalon* nuncupatur: aucta vero amplius inſtar uvæ acini, ſtaphyloma dicitur. Ubi vero plurimum ſuccreverit, adeoque egreditur, ut palpebras tranſiliat, *Melon*: cum denique occalluerit, *Clavus*, ſive Græcis ἧλος appellatur.

§. X.

[p] Aëtius Tetrabibl. 2. Serm. 3. c. 34.
[q] Lamellam, ſtratum, quarum pluribus componi corneam ſupra §. 5. dictum eſt.
[r] Paulus Æginet. L. 6. c. 19.
[s] Idem L. 3. c. 22. p. m. 176. edit. in 8vo. & p. 436. in fol.

§. X.

*Actuarius* [t] ne latum quidem unguem à Paulo recedit. Ita enim ſcribit : proptoſis autem eſt uveæ tunicæ procidentia, quæ eroſa ruptave cornea tunicula contingit. Hæc prout major minorve cernitur, varia quoque nomina accipit, quæ ſingula ab ea re, cui ſimilia fuerint, denominantur. Nam ſi exigua adhuc fuerit, ut muſcæ capitulo ſit ſimilis, μυοκέφαλον : ſin pluſculum ſuccreverit, ut uvæ acinum referat, ςαφύλωμα (ſive uvatio) dicitur : at ſi plurimum prolabitur, ut ultra palpebras proſiliiſſe videatur, μήλον (ſive malum) nominatur : quod ſi quid etiam ex eo callum duxerit, ἧλος, (ſive clavus) nuncupatur. Facile autem & tres hi authores conciliantur, & tanquam interpretes ac commentatores Celſi atque Galeni merito ſuſpiciuntur, & duces habentur totius gregis medicorum diverſarum nationum atque linguarum, ab eo tempore in noſtram uſque ætatem, ea tamen cum differentia, ut aliqui utramque hanc ſtaphylomatis ſpeciem, quæ vel ſine, vel cum uveæ prolapſu fit, alii hanc poſteriorem, & à potiori quidem, agnoverint.

§. XI.

*Arabum medicorum*, *Avicennæ*, *Meſues*, *Rhaſis*, *Albucaſis*, *Jeſu Haly* teſtimonia prætermittimus, quod nihil agere videntur aliud, quam cramben à Græcis toties jam appoſitam, recoquere ; ideoque nec aliorum poſt illa tempora viventium authorum, qui ſtaphylomatis fecerint mentionem, plauſtra cumulabimus. Quicquid enim e. g. *Conſtantinus* ille *Africanus*, *Gordonius*, *Valeſcus*, *Guido*, *Vega*, *Vidus Vidius*, *Ingraſſias*, *Fabricius* ab Aquapendente &c. imo recentiores ultimorum ſeculorum ſcriptores quamplurimi, quorum vero nomina recenſere ſuperſedemus, tradiderunt eodem ſemper cum Græcorum, & Pauli Æginetæ maxime, placitis recidit.

§. XII.

*Recentiſſimos* vero, qui præſenti hoc ſeculo claruerunt *authores*, quotquot nobis vel innotuere, vel quos evolvere libuit, præcipuos enarrabimus, eorumque ſententias de ſtaphylomate redigemus in claſſes : Ima. *claſſis* eſto eorum, qui ſtaphyloma retulerunt abſolute ad genus προπτώσεως, ſive procidentiæ, prolapſæ ſcilicet & prominentis uveæ per ſauciam, vulneratam, perforatam, eroſam, corneam. Sebaſt. *Melli* Venet. Prof. Chi-



[t] Actuarii, Zachariæ filii, medicus ſive de method. medendi, L. 2. c. 7. p. m. 183. G. H.

rurg. [*u*] Joh. de *Gorter*, med. Prof. Harderovic [*x*]. Hic vero non ſolum uveæ prolapſum per vulnus corneæ, ſed etiam vel cryſtallini, vel vitrei, ſic dicti humoris, prominentiam, ad ſtaphylomatis ſpecies refert. Zachar. *Platner* [*y*] med. Prof. Lipſ. haud ita pridem, quod vehementer dolemus, fatis ereptus, ſub claſſe ac nomine vulnerum recenſet ſtaphyloma: & quamvis hic alibi [*z*] meminerit corneam quoque malis humoribus emolliri & turgidam effici, quæ res etiam minuat aciem, tamen hanc qualemcumque turgeſcentiam corneæ non accenſet ſtaphylomati: Guil. *Coward* [*a*], Med. D. Londinenſ. videtur omnino ad hanc claſſem quoque revocandus eſſe, cum ſtatuat, myocephalon, ſtaphyloma &c. eſſe prolapſum & procidentiam uveæ, quæ ratione gradus propenſionis, ſive extuberantiæ, variis inſigniatur nominibus: hoſque affectus rupturam corneæ ut plurimum conſequi. Huic ſententiæ pariter accedere videtur *Woolhouſius* [*b*] in enumeratione quadraginta operat. Chirurg. in oculis, cum ibi ſtaphyloma, myocephalum &c. aſſerat, non eſſe niſi diverſos gradus herniæ tunicæ uveæ, quando corneæ accidit ruptura. Quæ tamen ejus ſententia mox ſequenti §. dabitur vel mutata, vel illuſtrata.

## §. XIII.

II. *Claſſis* eorum eſto, qui ſtatuunt duas quaſi ſpecies ſtaphylomatis, quarum altera conſiſtat in ſola protuberantia corneæ relaxatæ & diſtentæ, ordinarie abſque uveæ procidentia in illius ſinum. Altera in ruptura corneæ, & trans illam prolapſa uvea. Jac. *Guillemeau* Gallus, [*c*] prioris quidem ſeculi ſcriptor: William *Read*, ophthalmiater Anglus [*d*]. Uterque vero hic author, nec non plures alii, gravem committunt hunc errorem, ut elevationem corneæ, à pure inter lamellas corneæ collecto ac ſtagnante

[*u*] Sebaſt. Melli pract chir. idiom. Ital. in 8vo. In Venetia a. 1724. P. I. p. 452. §. 2. 3. & p. 455. §. 3. Alius etiam auctor Italus recentior Filippo Maſiero in opere chirurgicho in 4. in Padoua an. 1724. p. 36. a. Staphylomatis facit mentionem, ſed tam brevem tamque imperfectam, cauſæ etiam alicujus minime probabilis, ut parum facere ad rhombum videatur.

[*x*] Joh. de Gorter chirurg. repurgata, 4to. Lugd. Bat. an. 1742. p. 245. §. 1085.

[*y*] Zach. Platner. Inſtit. chirurg. rationalis. 8vo. Lipſ. an. 1745.

[*z*] Id ibid. p. 196. §. 316.

[*a*] Guil. Coward. ophthalmiatria 8vo. Lond. an. 1706. idiom. Lat. p. 117. §. 2. p. 120. §. 2.

[*b*] Dn. de Woolhouſe ſpecification des quarante operations, qu'il enſeigne & pratique aux yeux §. 4. Præfixa hæc eſt libello in 8vo quem edidit le Cerf, Offenbach ad mœnum ante viginti circiter annos.

[*c*] Jac. Guillemeau, in german. verſus *Augen-und Zahn-Artzt*, in 8. Dreſd. an 1710. p. 203.

[*d*] William Read. account of all Diſeaſes incident to the Eye 8vo Lond. ſine anno. edit. ſecund. c. 13. p. 123.

nante profectam, ad ſtaphylomatis referant ſpecies. Supra laudatus *Woolhouſius*, ophthalmiater Anglus, Lutet. Paris. tunc degens [*e*], ita differit: repreſſio & reſtrictio, repoſitio vel repulſio tunicæ uveæ prolapſæ in omnibus ſtaphylomatis ſpeciebus: atque reductio herniæ oculariæ recentis (cum viſus reſtauratione) in infantibus, aliiſque omnibus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt. Iſta vero hernia ocularia malum eſt adhuc pene incognitum, & conſiſtit in corneæ relaxatione quadam & protuberantia, contraque naturam protenſione, & in tunicæ uveæ mollificatione & ſtrangulatione (ad inſtar glandis quercinæ in proprio calice) ipſique corneæ adhæſione, abſque vero ulla corneæ ruptura, aut perforatione, uti communiter ſolet accidere in omnibus ſtaphylomatis ſpeciebus, ſeu malum appareat in forma capitis muſcæ, ſeu acini, ſeu ſummitatis clavi, ſeu mori: certo autem elapſo tempore, nulla huic morbo ſolutæ unitatis curatio, præterquam palliativa reperitur.

Pergit idem *Woolhouſius* eodem capite: inhibitio, emendatio, reformatio, refectio, reſumptio difformitatis oculariæ, quam nominare licebit oculum gibbum ſeu corneam (& aliquoties ſcleroticam ipſam) incurvatam, relaxatam, diſruptam & prominentem: vel (ſecundum veteres) Melon, i. e. malum, quando cornea vel ſclerotica (cum adnata) protruditur, attenuatur, & abſcedens enormiſque facta ſe extra palpebras foris exerit, in oculum ſanum fluxionem attrahens & ſpectaculum exhibens informe & horrendum. Sicuti E. hic mentem ſuam typis expreſſit Woolhouſius ſatis clare ac diſtincte, ita in ſuis dictatis ophthalmiatricis, quæ ipſe etiam hujus diſputationis præſes olim calamo excepit ex ore hujus præceptoris, diſerte quidem ad proptoſin uveæ retulit ſtaphyloma ejuſque ſpecies, ſed & addidit, alteram dari ſpeciem ſtaphylomatis, quando cornea ſine eroſione & ruptura eſt relaxata & attenuata, & ſe attollit & protuberat, in forma acini uvæ, habens in peripheria baſis ſuæ circulum album.

*Antonius Maître-Jean*, Chir. Gallus [*f*] ſtaphyloma, ſive Gallis Raiſiniere, expreſſis verbis diſtinguit, in talem primam ſpeciem, quæ oritur à relaxata, attenuata, & ad extus protruſa per humorem aqueum cornea, ſicque in monticulum vel gibberem elevata: & in alteram, quæ afficitur à cornea penitus rupta, atque uvea per hanc ruptam expulſa, & in gibbum rotundum prominente. De *St. Yves*, ocularius Pariſienſ. [*g*] exacte conſonat modo dictis per Antonium, illamque ſaltim addit ſpeciem ſtaphylomatis, quæ in ipſa ſclerotica accidit, exemplo quodam per ipſum illuſtratam.



[*e*] Woolhouſii catalogus 40. Operat. chir. in oculis, qui habetur in append. Centur. V. & VI. Ephemerid. N. C. cap. 3.

[*f*] Antonius Maître-Jean, Traité des malad. des yeux, 8vo a Troyes an. 1711. p. 444.

[*g*] St. Yves nouveau traité des malad. des yeux, 8vo. Paris. an. 1722. p. 238. ſq.

In hanc classem denique collocandus etiam est Chiron noster Germanus, celebr. puto *Heisterum* [ *h* ], qui sic habet : staphylomatis vocabulo gemina præcipue noxa comprehenditur. Altera est, quando cornea in oculo tunica magis, quam naturaliter decebat, sensim attollitur : altera vero incidit, quoties uvea sive pupilla per vulnus aliquod in tunica cornea, sive ab internis sive ab externis causis factum, prorumpit, deformemque super oculo tumorem efficit, quo utplurimum visus destruitur.

## §. XIV.

III. *Classi* eorum, qui diserte statuunt, staphyloma dari vel per solam corneæ dilatationem, & protuberantiam, vel per conjunctam uveæ procidentiam in sinum dilatatæ hujus tunicæ corneæ, vel per prolapsum uveæ e cornea perforata, accensendus maxime est *Woolhousius*, uti ex ejus sententia typis expressa, & scripta oralique patet per §. proxime antecedentem. At vero IV. *Classem* format Benedict. *Duddel*, chirurg. & ocularius Londinensis [ *i* ], qui supponit in staphylomate uveam esse prolapsam, in tunicam corneam sive simpliciter dilatatam & prominentem, sive per illam ipsam perforatam pertusamve.

## §. XV.

V. *Classem* tuetur, Cl. *Günz*, Prof. Anat. & Chir. Lipsiensis [ *l* ] qui, p. 11. §. 4. dicit : itaque staphylomate aliquem laborare sciendum est, in cujus oculis altera cornea, sive tota, sive ex parte, magis quam altera, prominet : p. 14. circa medium asserit : parum abesse, ut uveam neget posse sive per vulnus corneæ, sive per ulcus procidere : pag. 13. circa medium vocat fictam uveæ procidentiam, pag. 12. circa medium affirmat, se non meminisse uveam in plusquam ducentis exemplis, neque per sectam aut laceratam, neque per exesam ruptamve corneam unquam vere elapsam vidisse : addit tamen : se nolle ejusmodi uveæ procidentiam in fictorum morborum numero habere, inter rarissimas tamen affectiones referre. Unde fluctuante adhuc animo tandem p. 15. l. 5. 6. concludit : uveam fortasse per latius vulnus, aqueo humore uno impetu effluente, simul quasi effundi posse. P. 11. ad finem, staphyloma vero inter hernias referendum esse existimat, cum in ejus sinum, ex membranulis corneæ vel laxatis, vel ruptis ortum, quæ subest, aqua irrumpat. Itaque verum staphyloma is constituit in sola corneæ præternaturali elevatione & protuberantia, in cujus sinum nonnisi humor aqueus redundet. Et sicuti mentem veterum hoc

[ *h* ] Laur. Heisteri institut. chirurg. in 4to. Amstel. 1739. p. 625. s. c. 59. §. 1.

[ *i* ] Bened. Duddel, Treatise of the Diseases of the Horny-Coat of the Eye in vo. Lond. 1729. S. 11. p. 57. 62.

[ *l* ] Just. Godofr. Günz disp. de staphylomate, Lips. an. 1748. p. 11. §. 4.

hoc modo affecutus ſibi videtur, ita p. 17. l. 6. e recentioribus medicis, qui hanc cum ipſo ſententiam plane teneat, ſe neminem invenire fatetur.

Quænam de his aſſertis, multo labore & ingenio e vetuſtiſſimis auctoribus erutis noſtra mens ſit, ex antecedaneis partim jam eluceſcit, partim e ſubſecuturis palam fiet, quantum ſcilicet vel arctiores diſſertatiunculæ limites, vel animus à contradicendi, nedum cribrandi ſtudio alieniſſimus permittent.

## §. XVI.

Itaque vel tandem ad *ſtaphylomatis definitionem* pergimus, nec à mente veterum, quod ſperamus, nec plerorumque recentiorum alienam: *Staphyloma eſt tumor utplurimum mollis, membranaceus, extus vel in cornea, vel ſclerotica protuberans, ortus ſive ex harum tunicarum p. n. attenuatarum elevatione, protruſione, ac diſtenſione, per humorem aqueum ſolum, vel & impulſam uveam: ſive ab earumdem tunicarum perforatione plenaria & per hanc facta eruptione tunicæ uveæ: magnitudine, figura, colore, numero, ſymptomatibus varius: corneam bulbumque ocularium, ipſumque viſum vario modo lædens deſtruenſque.*

Staphyloma hic accipimus, pro more veterum atque recentiorum per ſynecdochen ſpeciei, atque ſic generali denominatione vocamus ſtaphyloma, quod ſpecialius pro certa ſaltem ſpecie protuberantiæ in cornea ſumi ſolet.

## §. XVII.

*Differentias*, ſpecies, modos, varietates *Staphylomatis* conſtituimus ſequentes:

Staphyloma corneæ.
- ſcleroticæ.
- totale: totam occupans tunicam & partiale: aliquam modo partem ejus.
- ſimplex: unum in uno oculo.
- duplex, multiplex: duo: plurave in uno oculo.
- racemoſum, vel proliferum.
- clauſum { à ſola dilatatione corneæ & ſuſcepto in ejus ſinum humore aqueo: / à conjuncto uveæ prolapſu in illum ſinum.
- apertum: cornea perforata, uvea foras prolapſa.

| | |
|---|---|
| minimum: myocephalon. | magnitudine & figura |
| medium: Staphyloma κατ' ἐξοχὴν dictum. | capitis muſcæ, acini uvæ, |
| maximum: melon, malum. | mali, |
| calloſum: clavus. | capitis clavi. |

ſoli-

ſolitarium : ſine conjuncto alio affectu p. naturali.
complicatum cum aliis oculi affectibus, e. g. cum Synechia, ectropio, fiſtula corneæ &c.
diaphanum.
Staphyloma opacum : cyanei, griſei, fuſci, nigri, coloris &c.
recens : vetus.
benignum : malignum.
viſu debili, confuſo, abolito.

Hæc aliaque prædicata, nec non differentias à congeneribus ſimilibuſque aliis corneæ affectibus proſequemur, & illuſtrabimus inter phænomena ſtaphylomatis conſtituentia atque concomitantia. His autem jam præmittimus

## §. XVIII.

*Phænomena antecedanea ſtaphylomatis. Ætas* quælibet ſubjici poteſt atque ſolet. Raro homini connaſcitur, niſi in ipſo partu rudes obſtetricis manus labem intulerint. Infantilis tamen atque puerilis ætas plus habent quod metuant, ob frequentiorem illis ophthalmiam inflammatoriam, humidam acrem, atque ſolennes huic ætati morbillos variolaſque. Talis etiam eſt nonnullis *ampliatio naturalis* diametri *pupillæ*, quæ nullam quidem adhuc viſus læſionem importat, ſed tamen diſpoſitionem ad faciliorem ſicut concretionem præternaturalem cum cornea concava, ut in diſputatione de Synechia demonſtravimus, ita quoque ad procidentiam, ſive in dilatatam, ſive per ruptam & perforatam corneam. Reliquas non ſaltem res naturales, medicis dictas, ſed & nonnaturales, tanquam cauſas ſtaphylomatis proegumenas & procatarcticas, ſicco pede præterimus, quod non niſi e longinquo, & per intermedias plures cauſas propiorem aliquem in ordine ad ſtaphyloma nexum fundent cauſalem.

Sed tanto eſt uberior ſeges *rerum præternaturalium*, quæ propius cum induendo cohærent ſtaphylomate. *Medicamenta*, uti alias, ſic etiam hic, inepto ac intempeſtivo uſu fiunt cauſæ morborum. Vapores, epithemata, collyria humida inſtillata, vel in majori gradu caloris, vel virtutis relaxandi & emolliendi conſtituta, corneæ lamellas nimis irrigando, relaxando, tumefaciendo : acria vero & ſeptica erodendo, attenuando : nimium & intempeſtive adſtringentia, lupum ſtabulis includendo, acrem roſivum tumorem introrſum repellendo, diffundendo per ſubſtantiam corneæ. *Morbilli*, *variolæ*, *veſiculæ*, *puſtulæ*, *ulcera*, maxime profundiora, corneæ, *unguis*, *hypopyum*, ſubſtantiam laminaſque hujus tunicæ vel ab extus, vel ab intus exedendo, corrodendo & vel attenuando ſaltem & debilitando denſitatem corneæ naturalem, multipliceſque laminas. *Contuſio*, *vulnus* vel ſuperficiale, vel penetrans, attenuando, perforando, rumpendo ſubſtantiam corneæ : vel ſcleroticæ. *Virus venereum*, ophthalmia venerea, arrodendo, corrodendo corneam. *Ophthalmia* inflammatoria interna pariter ac externa, humida acris, fervida, epi-

epiphora, præsertim si, quæ tunc solent esse acres lixiviosæ quasi & salinosanio sæ, lacrymæ aliæque serositates intempestiva sedulitate, vel alias, palpebris nimis diu adductis, sive clausis, corneam inundaverint. *Oculis* illapsa, *insperſa* acria, aspera, fervida, irritando, affluxum concitando, abradendo, exulcerando, escharam, cicatricem inducendo. *Pterygii* nimis *profunda separatio* per scalpellum, auferendo nimis, attenuando, debilitando lamellas corneæ exteriores. Incipiens vero aut jam formatum staphyloma potest etiam *a* vehementi, vel frequenti *sternutatione*, *tussi*, *vomituque*, subitaneum sumere incrementum, & vel lamellis corneæ, jam tum attenuatis, ruptura, crepatura induci, vel major prolapsæ uveæ pars protrudi.

## §. XIX.

Phænomena *constituentia* & *concomitantia*: (α) *Tumor* membranaceus, elevatio, protuberantia tunicarum corneæ, vel scleroticæ, vel uveæ, extrorsum prominens, *ordinarie mollis*, licet plus minus *subinde tensus*, aliquando etiam *callo obduratus* (β). *Totalis* quidem si totam corneam, *partialis*, si hanc illamve partem ejus & regionem, in medio, vel lateribus & peripheria, prope circulum corneæ externum attollat, hocque modo in sinum saccumve quasi distendat corneam, quo *vel solius aquei* humoris *vel* & *uveæ*, versus corneam, magis quam decet, expansæ ac procidentis *recipiat partem*, atque sic *clausum* constituat *staphyloma*, quod tunicæ corneæ una alterave lamella, aut, si staphyloma fiat in sclerotica, tunicis oculi albugi-nea & adnata, sit obtectum. In peripheria baseos staphylomatis talis corneæ, circulus est albidus, ipse tumor vero in sua basi modo latior, modo angustior. Ast, si plane penitusve *perforata* fuerit *cornea*, tumor, quem efficit prolapsa pars uveæ, major minorve, vel est concavus, instar vesiculæ, humore aqueo in illum irruente distentus: vel solidus, compressus, sphæricus, irregularis, aliquando per modum laciniæ propendentis ex uvea lacerata, ruptave: & tale staphyloma vocamus *Apertum*.

(γ) Tumor hic corneæ partialis *numero variat*. *Simplex*, quando unicus talis; *duplex*, vel *multiplex*, cum plures distincti, minores, unam eamdemque corneam, diversis locis obsederint, & racemum quasi baccarum sibi invicem contiguarum aliquando efformaverint, ut tunc racemosum, sive botryoïdes staphyloma, vel & proliferum salutari possit, soleatque.

(δ) Tumoris *magnitudo* per gradus variat: *myocephalon*, muscæ caput referens *magnitudine*: *staphyloma*, latinis uvatio, acinum uvæ nascentem, ad maturitatem nondum deductum, vel & ex ipsa specie minorem æmulatur, hocque ipsum est staphyloma proprie sic dictum à σαφυλὴ: *Melon*, sive malum, ad pomi, quin majorem accedit, magnitudinem, ut palpebris contineri ac obtegi porro non possit. Imo subinde, horrendo spectaculo in globum, fœdissimamque crescit massam, quæ suo ambitu pugnum virilem duplo, quin fere triplo superet, quales ipse vidit Præses.

Staphylomatis hæ varietates ut à magnitudine partim, partim vero etiam figura, qua ſimiles æmulantur alias res, diſtinguuntur, ita *Clavus*, Græcis ἧλος, inter ſtaphylomatis ſpecies relatus, & figura plano-convexi capitis clavi, & calloſa duritie imprimis diſcriminatur [*m*].

(ε) Ratione *figuræ*, præter jam dicta tumor eſt vel hemiſphæricus, vel ſphæroïdes, vel ſphæricus, vel plano-convexus, vel conicus, vel æqualis, vel inæqualis, gibboſus, anguloſus. &c.

(ζ) Reſpectu *coloris* pariter admodum variat: diaphanus eſt, ſi tumor à corneæ lamellis, pelluciditatem ſuam naturalem ſervantibus, formetur, ſi vero cornea ulceroſa ſimul fuerit, aut cicatrice obducta, albeſcit, vel ad cyaneum vergit colorem. Si in ſinum ſacculumve corneæ dilatatæ inciderit iris, tumor ſtaphylomaticus colorem præ ſe feret, qualis ſolet naturalis iridi, vel cæſius, vel griſeus, vel fuſcus, vel niger obtingere, aut pro ratione mutationis & corruptionis, quæ ſupervenit iridi per inflammationem, ſuppurationem, ſtrangulationem vel in ſacco, vel vulnere anguſtiori corneæ. Hinc iris, ſive aliquot adhuc corneæ dilatatæ lamellis incluſa coërceatur, ſive per corneæ vulnus & foramen eruperit, alios adhuc colores, rubrum, lividum, variegatum adſciſcere poteſt. Imo & ſacculus talis pellucidus nonnullis ſtriis, fibris, venuliſque, ſubtiliſſimis opacis, incerto ordine interpolatur atque variegatur; quo vero ſtaphyloma propius accedit ad circulum corneæ externum, eo magis rubet, veniſque rutilat in illo confinio.

(η) *Craſſities* ſtaphylomatis clauſi, ſive ſacciformis, ordinarie tenuis eſt, aliquando tenuiſſima, hinc crepaturæ proxima, aliquando dum inveteravit, & è prægreſſa ulceratione obductum eſt cicatrice, denſior atque compactior evadit: poteſt etiam craſſitiei notabile augmentum accedere, ſi lamellis corneæ ſimul impactus humor glutinoſus, ut in leucomate fit, inniduletur. In aperto ſtaphylomate prolapſa foras uvea, tenuis quæ ſolet eſſe naturaliter tunica, ſolet à molli tenuitate ſua in craſſiſſimum atque durum degenerare concrementum, ut ſupra, lit (δ). jam indigitavimus.

(ϑ) *Complicatur* facile cum aliis oculi affectibus ſtaphyloma: cum varia ulceratione, plus minus profunda corneæ, fiſtula corneæ, ectropio, pterygio, ſynechia, hypopyo variis corneæ ulceribus atque maculis, pupillæ paraſtrophe, mydriaſi, hippo uveæ, variiſque ophthalmiæ ſpeciebus &c. quales affectus partim aliquandiu præcedere ſolent ſtaphyloma, partim conſequi, & junctim ſervari per longius vel brevius tempus.

(ι) *Benignum* ſtaphyloma ratione moris geniive, vocari poteſt, quod mitioribus, curationem atque conſolidationem admittentibus ſtipatur phænomenis: *malignum*, ſive mali moris, quod de ſeptica, contagioſa participat natura.

(κ)

[*m*] Clavus refertur inter ſtaphylomatis ſpecies ab Aëtio, Paulo Ægineta, Actuario &c. à Celſo quidem oculis etiam tribuitur, ſed in albo, ſcil. adnata tunica, formatus, neque ab ipſo refertur ad ſtaphyloma.

(κ) *Recens*, quod ante paucas accidit horas, vel dies: *vetus*, quod jam diu & ſubinde plures annos duravit, & ægro conſenuit.

(λ) Ratione *modi* & *graduum fiendi*, atque *creſcendi* alia ſtaphylomata ſubito, alia ſucceſſive in notabilem augentur molem. Evæ per eroſionem & attenuationem corneæ fiunt, lente generantur: quæ per vulnus, & fortiorem impetum, ſubito prorumpunt ordinarie: alia diu intra terminos mediocritatis ſubſiſtunt: alia quæ ſunt cum cicatrice in cornea, vel cum pterygio tardiora ſumunt incrementa. *Scleroticæ ſtaphyloma* rarius accidit ob majorem tunicæ firmitatem, minorem convexitatem, albugineæ tunicæ & tendinum muſculorum oculi ſuperjacentium robur, ac choroideæ firmiorem adhæſionem.

§. XX.

Ex hactenus dictis ergo patet, phænomenum maxime conſtitutivum ac eſſentiale ſtaphylomatis poni in tumore, elevatione, protuberantia: notari vero meretur, quod, in caſu rupturæ ac patentioris corneæ inflicti foraminis, procidens uvea tumorem quidem ſupra corneam efficiat, ſed tunc ipſa cornea frequenter collapſa ſit atque corrugata, effuſo jugiter per illud vulnus corneæ humore aqueo, qui fornicem corneæ naturaliter ſuſtinere debet.

Cæterum *quæ* ſtaphyloma *comitantur* reliqua *phænomena*, redeunt (α) ad *ophthalmiam*, quæ in aliis cum rubore eſt ac ardore levi, in aliis graviore, vel conſtanter, vel tranſitorie, vel periodice. Jungitur interna aliquando ophthalmia, inflammatoria acutiſſimi doloris, luminiſque impatientiſſima, cum agrypnia, & hemicrania lateris affecti, illacrymatione ſeroſa, acri, vel fluxu ſanioſo (β): ad *dolorem* punctorium, pulſatorium, ardentem, ex inflammatione: roſivum ab excoriatione & ulceratione: tenſivum & tractorium, è diſtractione & divulſione procidentis uveæ (γ): ad moleſtiam & *impedimentum motus palpebrarum* ac *bulbi* ocularii, ſi ſtaphyloma in magnam increverit molem, & aliquando palpebris obtegi renuat (δ): ad *impedimentum*, confuſionem ac abolitionem viſus. Scilicet corneæ convexitas notabiliter vel aucta, vel collapſa, & complanata, ſuperficies externa corrugata, aut aliquot eminentibus colliculis è ſtaphylomatum pluralitate inæqualis, etiamſi cornea manſerit diaphana, non poſſunt non, per rationes dioptricas, obicem viſui ac confuſionem parere. Obnubilabitur atque tollitur autem viſus tanto magis, quo vel cornea magis erit opacata, cicatriſata, uvea diſtracta, imo deſtructa, cum aliis prono hinc fluentibus alveo cæteris œconomiæ oculi diſturbiis.

§. XXI.

*Differt* clauſum ſtaphyloma corneæ ab *hydrophthalmia*, ſive hydrope oculi, quod in hoc tota cornea ſit prominula, neque tamen ſola protuberet, ſed totus oculi bulbus, una ſit in omnes dimenſiones auctior, rariſſime etiam hydrophthalmiæ jungatur ophthalmia, quæ tamen ſtaphylomatis tantum

non perpetuus comes eſt; ſcleroticæ vero ſtaphyloma, particulari, ad certum ſaltem ſcleroticæ locum determinato tumore aquoſo bullato, diaphano, per quem ipſum ſcleroticæ vulnus aut foramen præternaturale tranſpicit, facile dignoſcitur ab hydrophthalmia: differt idem & diſcriminatur, à *phlyctæna*, vel veſicula aquoſa, corneam obſidente, quod phlyctæna ſit maneatque ordinarie minima, vel minor certe bulla, figuræ magis ſphæricæ, anguſtioris baſeos, ſumme pellucida, abſque circulo in baſi albo: & à *ſtaphylomate aperto*, quod formatur ab uvea, per corneam perforatam elapſa & aliquando in veſiculam inflata, *diſtinguitur phlyctæna*, cauſis prægreſſis, vulneris, ictus, eroſionis, exulcerationis, figura bullæ minus ſphærica, ſed irregulari magis, colore griſeo, vel fuſco, vel alio, non cryſtallino ac diaphano. Si vero clauſum ſtaphyloma obſederit conjunctivam, ex humore aqueo per ruptam ſcleroticam evadente & in veſiculam collecto, hanc bullam ſagax ophthalmiater, *à phlyctæna & paſtula conjunctivæ* diverſam eſſe ſubolfaciet per vim externam in illo ſtaphylomate prægreſſam, quæ ruptuam intulit ſcleroticæ, per ſubitaneam geneſin, corneæ aliqualem ſubſidentiam, & accurata inſpectione percipiendam ſcleroticæ ſolutionem continui, à vulnere, aut eroſione ulceroſa natam. Elevatam in cornea *puſtulam prodet*, color puris tranſparens, ſublata pelluciditas, amplior hujus abſceſſus baſis. *Unguis & albugo*, ſunt vitia & ſtaſes vel humoris lenti, albeſcentis, vel ipſius puris inter corneæ lamellas: & licet in leucomate aliquando etiam elevata & prominula ſit cornea, hanc tamen protuberantiam non æque ſuſtinet vel corneæ ſubſtantia, vel aliud corpus trajiciens corneam, ſed viſcoſus, ſubalbidus humor, inter corneæ lamellas hærens, eaſque diſtendens: cæterum color albo-cretaceus, leucomati eſſentialis maximam una fundat differentiam à ſtaphylomate. A *Paralampſi* quomodo ſeparandum ſit ſtaphyloma, per illius definitionem, quam dedit olim præſes [*n*], innoteſcet ſatis; ſcil. Paralampſis eſt macula corneæ reſplendens, elata, craſſa, durior, omnem radiis tranſitum præcludens, medium corneæ convexæ, aliquando maximam hujus ſuperficiei partem externam, obſidens.

*Hyperſarcoſis*, *fungus*, *tumor cancroſus*, corneæ ſuperficiem convexam obſidentes, turgefacientes, colore carneo, livido, ſubſtantia ſpongioſa, madore ſeroſo, ſanioſo, & reſpective doloribus pungitivis, in cancro nempe, ſe produnt facile, quantum diſtent à ſtaphylomate, qua tali: utprimum enim ſtaphyloma illorum affectuum induit naturam, non amplius audit ſtaphyloma.

## §. XXII.

*Phænomena conſequentia*; ſtaphyloma corneæ, ſive clauſum, ſive apertum (§. 17.) ſubinde accidit, tam frequens vero non eſt, quam multi oculorum

[*n*] Præſid. diſp. de maculis corneæ p. 15. §. 9. confer. ejus diſp. de leucomatibus Tobiæ.

lorum affectus alii. Quod in modica corneæ, non perforatæ nec ulceratæ, subsistit protuberantia, diutissime, & sæpe tota vita, gestatur sine molestia atque periculo, maxime si lamellæ corneæ occalluerint, & ulteriori expansioni resistant fortius; tum vero, ut & alias, maculæ & cicatrices albidæ, opacæ visui tanto magis præjudicant. Quod è longa, aut profundiore lamellarum corneæ exulceratione natum est, vel statum ulcerosum servat, vel ulcere mundato atque consolidato, relinquit, in personis adultis certe, maculam perennem, radios luminosos ab ingressu in oculum tanto majore visus detrimento arcentem, quo centrum corneæ magis occupaverit. Diffunditur vero subinde talis albedo totamque obsidet corneam, fœdo sane spectaculo.

Aliquando tamen staphyloma corneæ clausum per menses annosque incrementum capit majus atque majus, ut limites palpebrarum longe transgrediatur, atque mole sua, motuque, quem ex musculis servavit aliqualem, evadat molestissimum, & fluxiones serosas, acres, purulentas, si nondum adsint, concitet molestas, atque periculosas, palpebram inferiorem evertat, & alteri sano, per consensum insidietur oculo: ita pariter, in quacumque staphylomatis specie gravior, aut habitualis inflammatio, exulceratio, acutus dolor junguntur, alter oculus semper gravissime periclitatur ob consensum, nisi tempestive & efficaciter occurratur. Quod racemosum & proliferum quasi est staphyloma clausum, difficillimæ est tractationis, & vix coercibile, nisi bulbi incisione, vel omnino excisione; fit tamen in hoc & reliquo staphylomate, quod per solam accidit corneæ præternaturalem dilatationem, sive concurrat ulcerosa exesio, sive non, ut sponte tandem crepet, & humorem aqueum non modo eructet, sed & lentem crystallinam, aut vitrei partem, si non elidat, tamen foramini corneæ incuneet.

In his corneæ staphylomatibus clausis impacta aliquando pars uveæ accrescit corneæ, atque sic constituit synechiam: aliquando strangulatam vidit *Woolhousius* uveam, in tali corneæ dilatatæ sinu sive sacco, qui sc. orificium in basi sua habuit angustius, ac fundus erat, qui supra corneam eminebat, pari ratione ac subinde herniis intestinalibus & omentalibus accidit in inguine, vel umbilico, vel alibi. Hinc vero necesse est uveam vel lacerari, vel divelli, & pupillam sive uveæ foramen, vario modo affici, vel detorqueri, vel lacerari, vel claudi.

## §. XXIII.

Staphyloma corneæ apertum, (§. 14.) non modo eamdem labem affricat uveæ, sed & successive naturalem iridis uveæque colorem mutat, ordinarie in albescentem: si vero lividus hic evadat, pars prolapsa indurescat, pungitivis continuo infestetur doloribus, vel rebelles in tempore lateris affecti dolores urgeant, cancri imminentis suspicionem movet. Quemadmodum è contrario in spongiosam invalescens notabilem massam, fungum oculo conciliat, qui in horrendam fœdissimamque increscit molem, & denique transit facile in ulcus cancrosum. Qui ergo, in ulceroso & inflammatorio, maxime inve-

terato, ſtaphylomate corneæ clauſo, ſub cineribus gliſcit ignis, & ipſe jam toti œconomiæ oculi perniciem minitans, hic in apertam erumpit flammam & omnibus oculi tunicis atque humoribus exitium affert, atque deſtructionem.

Obſervavit tamen præſes plus ſemel, in tali prolapſu uveæ & mira ejuſdem divulſione & abruptione non modo viſum aliquem ſub præſente morbo, ſed etiam poſt hunc curatum, ſuperfuiſſe ſatis diſtinctum, id quod caſus ſecundus, infra §. 28. ſubjunctus, evincit, modo corneæ centrum reſtiterit illibatum, & interna uveæ pars, quæ intra oculum remanſit, non fuerit intenſe inflammata, aut ſi fuerit, diſſipetur iterum.

*Scleroticæ ſtaphyloma* multo eſt infrequentius ob hujus tunicæ robur & minorem convexitatem, albugineæ tunicæ & tendinum muſculorum oculi, ſuperpoſitorum atque accretorum conſtrictionem, atque choroïdeæ firmiorem adhæſionem.

Utrumque ſtaphyloma, & corneæ & ſcleroticæ, ſi mole auctum, excoriatum, aut exulceratum, & palpebræ diu clauſæ, ac ſtaphylomati appreſſæ fuerint, facile cudit præternaturalem cohæſionem, vel cum cornea, *proſphyſin* dictam, vel cum tunica adnata, *ſymphyſin*.

## §. XXIV.

Staphylomata qualiacumque *ſolis raro auſcultant medicamentis*, niſi cauta accedat compreſſio, vel alias manus chirurgica: quæ utut ſubinde non ſit neceſſaria, in caſu, quem tetigimus in limine §. 22. aliquando infida, ut in caſu malignitatis cancroſæ; tamen aliquando non ſaltem ad tollendam deformitatem, ſed & alterius ſani oculi conſervationem, atque dolorum, vigiliarum &c. mitigationem & ablationem ceu unicum ſupereſt præſidium, quamvis miſerabile ſatis. Illæ vero veterum medicorum ſuſceptæ ſtaphylomatis ligaturæ multis magniſque premuntur utplurimum difficultatibus, moleſtiis, doloribus atque periculis, abſceſſibus, longis ſuppurationibus, omnium oculi humorum evacuatione, aut ſaltem fiſtula corneæ remanente, quemadmodum & ipſi accidit Antonio, qui ſemel tantum ejuſmodi operationem ſtaphylomatis ſuſcepit, nec in poſterum adminiſtrare voluit.

Si perſona laboret cacochymia ſcorbutica, venerea, aut alias cum ophthalmiis graviter ſit conflictata, metus curationis vel operationis chirurgicæ ſi non irritæ, tamen longæ difficiliſque futuræ incutitur, maxime ſi cacochymiam illam ante operationem chirurgicam ſatis emendari, vel tolli non patiatur quodcumque impedimentum. In tempore venire & hic, quod vel repreſſionem, reductionem, repoſitionem, vel aliam chirurgicam ſtaphylomatis cujuſcumque operationem, vel pharmaceuticam tractationem ſpectat, omnium quidem rerum primum eſt, non audemus tamen, vel & infantili aut puerili ætati, aureos promiſcue confirmare montes, quos pollicitus eſt

Woo-

Woolhousius (§. 13.) scilicet restaurationis visus, absolute, semper, promiscue procurandæ

§. XXV.

*Pathologia* : omne, quodcumque à nobis vocatum *staphyloma ad morbos conformationis*, in corneæ superficiei inæqualitate, protuberantia, figuræ mutatione, tunicæ relaxatione, situ uveæ mutato, conjunctivæ protuberantia, &c. referimus. *Subjectum morbi* est ordinarie cornea tunica, rarius sclerotica, in his enim, aut in illarum superficie externa protuberat & cohæret staphyloma. Sunt & ipsissimæ hæ tunicæ *subjectum* simul *causæ* à potiori; aliquando tamen subjectum causæ constituunt aliæ etiam oculi partes, e. g. uvea intense inflammata, turgida, incrassata, sclerotica externo impetu violento fortissime subitoque compressa, vel acri humore, pure exesa, perforata, camera oculi anterior inquinata pure, quod superficiem corneæ internam arrodit, & resistentiam corneæ debilitat, &c. *Genus morbi* hujus, staphylomatis, à quamplurimis & antiquis & recentioribus Medicis assignatur *proptosis*, sive procidentia, quatenus vel ipsa cornea, vario modo, (§. 19.) se proripit antrorsum, vel uvea prolabitur è sede naturali in sinum corneæ, vel foras per hiantem ruptamque corneam. *Hippocrates* [o] generali appellatione, omnes pupillæ dimotiones, transmotiones illas vocat *μελανίνημαλα*, quando pupilla, rupto oculo, loco movetur, & distinguit illa in majora & minora. Sed illi Authores nonnisi genus subalterum, sub morbo conformationis comprehensum, tanquam hujus speciem, proponunt. Qui staphylomata, certasve saltim ejus species referenda putant *ad genus herniarum*, pariter speciem morbi conformationis allegant. Neque his nos opponemus sententiis, modo debitam non omittant distinctionem inter procidentiam & herniam, juxta *Wedelium* [p], qui *procidentiam* prædicari ait de prolapsu ad extra, extra corpus, ut sensibus fiat visibilis, intra parietem obtensum, vel membranam : *herniam* vero, quando intra continentium sphæram adhuc subsistit è situ suo deturbatum membrum. *Morbos compositionis*, sive connexionis sub morbis conformationis comprehendimus, qui vero staphyloma, quod est cum & ex vulnere corneæ, ideo morbis solutæ unitatis vindicaverit, causam efficientem talis staphylomatis cum formali confundet.

§. XXVI.

*Causa staphylomatis proxima*, est varia, pro hujus varietate & speciebus: corpus quodcumque sive fluidum sive solidum, lamellas corneæ, ac scleroticæ nonnullas extus aut intus atterens, erodens, vulnerans, contundens, exulcerans, sicque solutionem continui inferendo debilitans, attenuans,

[o] Hipp. Prædict. L. 2. S. 2. p. m. 102. L. I.
[p] G. W. Wedelius, Pathologia med. dogmatica. 4to. Jen. 1692. p. 85. §. 20.

nuans, unde reliqua corneæ & ſcleroticæ integra ſubſtantia attenuatur, ſe plus juſto expandi & protrudi patitur, ceditque magis atque magis à tergo & circumferentia prementibus oculi tum humoribus, tum membranis externis, naturaliter tono & vi contractili gaudentibus, præcipue ſi, quod ſubinde fit, accedat ſtatus uveæ ac choroïdeæ inflammatorius, turgeſcens, pulſatorius: ſicque humor aqueus, corneæ proximus à tergo urgetur verſus corneam, licet ipſe copia aut orgaſmo non turgeat, & in corneæ ſuperficiem internam quaſi arietat, lamellas corneæ, craſſitie ab robore debilitatas propulſat foras, atque ſinum corneæ intus excavatum replet, diſtenditque. Oportet vero utramque hanc cauſam ſemper conjungere, quoniam ſine lamellarum corneæ attenuatione & debilitatione humor aqueus non valet corneam attollere, ſaltem eo modo, quo fit in ſtaphylomate: nec cornea, etiamſi attenuata, in gibbum protrudi, niſi à tergo propellatur: imo ſubſideret hæc potius aut complanaretur ſola tali attenuatione, tanto magis, quod totam corneam collabaſci ſtatim obſervamus ab humoris aquei ſimultanea evacuatione per vulnus oculi. Hæc itaque geneſis eſt ſtaphylomatis clauſi, ſolitarii, ſine conjuncta uveæ procidentia, ſive receptione in ſinum corneæ dilatatæ.

Verum, quæ ſit cauſa proxima, *cur uvea in laxatæ corneæ ſinum abripiatur*, cum tamen naturaliter, & in præſenti corneæ præternaturali convexitate plus, diſtet à cornea, tranſverſim in oculo expandatur, & in tota ſua peripheria prope circulum corneæ internum ſatis firmiter affigatur, imo lentis cryſtallinæ ac corporis vitrei appenſis ponderibus retineatur, atque ſic difficilis, ſi non impoſſibilis videatur ejus, uveæ ſcilicet, talis abreptio & protruſio, qualis hinc etiam apud Clariſſ. *Günzium* C. c. p. 15. vix fidem invenit, paucis ediſſeremus? Hæret omnino tunc potiſſimum in ipſa uvea vitium, inflatur hæc, intumeſcit, inflammatur, laxatur à ſuis vinculis, propius accedit ad corneæ concavum, & quemadmodum in ſynechia vel totali, vel particulari, appropinquat & adhæret corneæ ſuperficiei internæ, naturalem ſuam concavitatem ſervanti, ſic inſinuatur in præternaturalem ſinum ſaccumve dilatatæ corneæ. Fit autem atque obſervatur talis uveæ aberratio facilius atque frequentius in lateribus, verſus peripheriam, quam in medio corneæ, quod ibi uvea propior eſt corneæ.

## §. XXVII.

*Staphylomatis aperti*, (§. 19. lit. β.) quod nimirum conſtituit pars uveæ prolapſæ minor majorve, *cauſa proxima*, eſt foramen, hiatus, ruptura, penetrans in oculi interiora, corneæ vel ſcleroticæ inducta, vel per ſucceſſivam majorem atque majorem ſive ſcleroticæ ſive corneæ exeſionem, exulcerationem, attenuationem, & tandem ſpontaneam crepaturam, vel ſimultaneum vulnus, punctim cæſimve inflictum, patentius maxime ac amplius, lamellis corneæ integris, non debilitatis antea per morbum: unde

unde porta aperta foras ruit uvea, *vel* ſubito, ſi gravis ictus, contuſio, impetuſve totum oculi bulbum concuſſerit atque conſtrinxerit, ſicque & ipſam uveam divulſerit, abruperit atque propulſaverit: *vel* ſucceſſive laxata, tumefacta, emollita, ſuppuraſcente uvea, turgeſcente vitreo, magiſque per inflammationem tenſis oculi tunicis, conjunctiva, ſclerotica, choroidea. Superveniunt utplurimum & *ſauciæ* hæ *cauſæ*, ut primo, dum oculi, vel ob luminis impatientiam, vel medicamentorum applicationem, ſpleniis faſciiſque obtecti in tenebris verſantur, & tum ſponte fiat maxima pupillæ ampliatio, ac uvea in ambitu ſuo quaſi laxata facilius per foramen corneæ laterale poſſit excidere: ſecundo ipſa bulbi, corneæ præſertim, compreſſio, per impoſitam ſtrictiorem faſciam inducta, corneam propius adducat uveæ.

Clara luce hæc omnia radiant, atque ſic *tam* à priori *demonſtratur*, poſſe *uveam vere procidere* per foramen corneæ, ſeu vulnere, ſeu ulcere inflictum exeſumve, quam à poſteriori per obſervationes, & ſententias tot fide digniſſimorum virorum abunde conſtat. Mirari hinc ſatis non poſſumus, quî factum ſit, ut clariſſ. ac diligentiſſ. Günzius in pluſquam ducentis, ut diſp. cit. p. 12. contendit, exemplis nunquam vere elapſam viderit uveam, neque per ſectam aut laceratam, neque per exeſam ruptamve corneam. Et, p. 14, (quod quidem §. 14. noſtra diſp. jam allegavimus,) parum hinc abeſſe fateatur, quin neget hanc tunicam (uveam,) poſſe ſive per vulnus, ſive per ulcus procidere: aut, ſi denique tot tantiſque viris contradicere nolit, p. 12. tamen inter rariſſimas affectiones referre non dubitet. Sed p. 15. idem ipſe tamen allegat obſervationem propriam in duobus hominibus factam, ubi corneæ, cum aliqua ſimul laxatæ ſublatæque ſcleroticæ parte, exciſæ ſinui uvea adhærebat, quæ tumida & quaſi cornea facta [q] ab altera parte cum lente cryſtallina coaluerat. Eoſque homines refert diros antea cruciatus fuiſſe paſſos: per quos cum humor continuo in oculos deſtillaret, ita fortaſſis uveam quoque laxatam fuiſſe, ut ſe verſus corneam inclinaret.

Atqui vero quæ potuit in biga horum caſuum procidere uvea in ſinum corneæ, cur non poterit in alio caſu per vulnus corneæ penitus excidere?

## §. XXVIII.

Mittimus alienas *in hanc rem obſervationes*, quarum paucæ quidem debita concriſptæ ἀκριβείᾳ reperiuntur apud authores, & paucas quaſdam ſpe-

[q] Tunicæ parteſque corporis noſtri parvæ tenueſque aliquando maxima p. n. incrementa ſumunt. Teſtatur id ſubinde trans corneam perforatam uvea elapſa, caruncula lacrymalis, clitoris &c. Stupenda fuit illa longiſſima coniformis expanſio tunicarum utriuſque oculi poſt mortem genita & obſervata in ſuſpenſo fure, cujus meminit data opera in Diſſert. epiſtolari, Heiſtero dedicata, Burgmannus Roſtoch. 1729.

ſpeciminis loco producimus, ex *ſchedis* obſervationum *præſidis*, è propria praxi olim conſignatarum, verbotenus deſcriptas. Anno 1721. Lutetiæ Pariſiorum, ubi ille tum degebat apud cel. Chir. Dn. *Gerard*, noſocomii virorum à charitate dicti, chirurgum primarium, appulit d. 28. Junii in eodem noſocomio puer, æt. 14. annorum, qui in platea cum ſodali ludens acceperat d. 26. ejuſd. ictum oſſis ſuper corneam oculi ſiniſtri, (ſine palpebrarum ulla læſione) unde *cornea trifariam*, quaſi in triangulum *fiſſa* eſt, cujus centrum in medio exiſtit corneæ. Multum ſanguinis fudit, oculuſque ſubſedit, ob humoris aquei effluxum. Non dolet. Prima oculi camera tota ſanguine extravaſato rubet, ita ut nihil de iride, vel pupilla conſpiciatur. Verſus angulum internum oculi in circulo corneæ, ubi radiorum unus dicti vulneris triangularis terminabatur, cornea quaſi oblique ſecta & elevata erat, *per quam fiſſuram portio exigua nigricans iridis trajecerat.* Æger nec lucem nec tenebras diſtinguit. Biduo poſt ictum, die nempe 28. Jun. primum deligavi, (quæ ſcil. Procerum noſocomii in me exterum ſingularis erat benevolentia) per venæſectionem incepi, diætam tenuem, decubitum ſupinum, continuo obſervandum, commendavi, crebras itidem fomentationes ſequentes ex decocto herb. veron. & hyſſop. rad. conſolid. maj. cui additum eſt parum aquæ calcis vivæ & ſpiritus vini.

D. 28. Jun. uſque in 10. Julii dictas fomentationes continuavi ter quaterve per diem, ſingulis vicibus deligando oculum ægrum, & poſtea quoque ſanum. Myocephalum augeſcentem repreſſi ſucceſſive ſplenio triangulari, in angulum internum oculi applicito, poſitis inſuper quadratis, faſciaque, oculus ſimplex & duplex dicta, firmatis. Verſus octavum diem camera anterior ſenſim ſenſimque ſerenata eſt, incipiendo à parte ſuperiori. Interea temporis nullum fere dolorem ſenſit, objectam candelam accenſam ex omni latere, quo poſui, diſtinxit verſus diem duodecimum, nullum vero aliud objectum.

Bulbus oculi incipit elevari & naturalem recipere convexitatem. Cicatrices nullam efficiunt protuberantiam aut opacitatem, excepto vulneris centro, ubi nimirum tres radii vulneris triangularis concurrunt, ibi macula formatur albida. d. 7. Jul. Xenodochio valedixit. Oculi læſi bulbus non omnino ita convexus, ſed magis applanatus eſt, de Myocephalo nonniſi veſtigium, puncti inſtar nigricantis, reſtat. Tota iris conſpicitur per corneam tranſparentem, ſed pupillam occultat maculà in medio corneæ, iris plus juſto propinqua eſt corneæ, contra quam appulſa videtur tanquam à corpore ſolido & turgente, quod à tergo premit, quodque cryſtallinum eſſe ſuſpicor, qui poſt tales ictus facile turgeſcit & glaucomaticus evadit. Nullum diſtinguit objectum.

*Alter caſus*, *ſtaphylomatis nempe corneæ*, & prolapſus uveæ obtigit Præſidi *valde ſingularis* Stuttgardiæ a. 1726. d. 16. Sept. in viro mercenario Martin. Nuffer, æt. 48. an. Hic ante tres ſeptimanas noctu impegit oculum

lum ſiniſtrum in regulam (*den Maßſtab*) lecto acclinatam, unde palpebra valde intumuit, multum ſeri cruenti ſtatim profluxit, cum ſubſequis mox mox enormiſſimis doloribus. Impoſuit Dn. Chir. Gechter, (hodierno die ſuperſtes ſenior & primarius Stuttgardienſium chirurgus) ſacculos reſolventes calidos in vino coctos, unde dolor ceſſavit intra decendium. Inpræſentiarum adnata rubet mirum quantum & inflammata eſt, *cornea* ſuperius prope circulum *perforata tranſmittit magnam uveæ partem*, ſuppuratam albidam, inſtar laciniæ dependentem, ut iridis & uveæ poſt corneam appareat non niſi dimidia portio, inſtar ſegmenti perpendicularis à circuli corneæ interni loco ſuperiore verſus inferiorem. Pupillæ vix ſupereſt veſtigium, niſi ad latus internum circuli corneæ verſus angulum oculi internum, ubi inſtar lineæ potius tranſverſæ quam foraminis obſervatur. *Viſus mirifice* adhuc ſalvus. Diſtinguit forficem, annulum, bacillum ceræ Hiſpanicæ &c. Per ſuppurationem abſceſſit lacinia uveæ propendens. Vulnuſculum eſt conſolidatum. Idem viſus perſtitit anno poſt, quo virum iterum examinavi. Quid deinc cum oculo factum, neſcio?

*Tertius caſus* ſiſtit *complicatum ſclerotica ſtaphyloma*, valde curioſum Lutet. Paris. 1721. d. 17. Jan. Vir 50. an. ictum pilæ in oculum ſiniſtrum accepit in ſphæriſterio dum pilas collecturus ad humum ſe inflecteret. Ex hac contuſione, larga mox oculi hæmorrhagia & inflatio, dolor in medio oculi lancinatorius. Quæ cuncta poſt V. S. remiſerunt. Ante decendium jam in Xenodochium Charitatis apportatus nihil egit aliud, quam oculum vino fovere aromatioco, venam bis ſecare, ſemel purgare. Hodiernus dies eſt vigeſimus primus ab ictu. Jam conjunctiva tota rubet, tumet. Cornea pellucida & bulbus debite repletus eſt. Pupilla valde dilatata, non tamen lacerata. *Vulnus ſclerotica* verſus canthum internum, diſtantia lineæ à circulo externo corneæ. Extra vulnus *propendet filamentum album*, quod pro pure non poterat haberi, quia tenax inſtar veræ membranæ fuerat: retinam duritie & tenacitate ſuperat. Magis ergo ad tunicam uveam accedit, cujus nigredinem ſolitam non ſervavit, quia per ſuppurationem levem inter hos 21. dies quaſi ablutum fuit. *Corpus vitrei* etiam magnitudine *piſi protuberat*, membranula ſubtili, & quaſi miniato colore tincta, obductum, quam tunicam vitream, parum inflammatam, judico. Æger plane nihil oculo diſtinguit. Cætera bene habet.

Omnes quotquot oculum hunc inſpexere, perditum declaravere. Ipſe etiam Woolhouſius, quem ut hunc quoque examinaret oculum, adduxi, non amplius eum poſſe conſolidari, poſt 21. dies elapſos pronunciavit coram adſtantium corona, ſed penitus aperiendum eſſe, humoreſque emittendos, atque ſic evacuatum bulbum cicatrice claudendum. Regeſſi è veſtigio: extremum hoc fore remedium, conſultius tentari prius leniora, quoniam (α) cornea ſit adhuc pellucida (β): iris non lacerata (γ): inſpicienti humores non appareant turbidi, vel peregrino imbuti colore: (δ) nullum in mora ſit periculum, cum per hos 21. dies, quibus vi-

treus non repositus neque vulnus clausum fuit, nec inflammatio, nec vitrei protuberantia increverint. Quapropter mox vesicatorium tempori sinistro imponi jussi, oculum sæpe fomentari decocto veronicæ & hyssopi. Ipse palpebras Xystro vegetabili strenue scarificavi, pro vasis deplendis & inflammatione moderanda. Diæta sit tenuis, cubet capite in dextrum latus inclinato. D. 18. Jan. Vesicator. nullam excitavit vesicam : dolores lancinatorii subinde redierunt, bene tamen dormivit hæc nocte. Inflammatio eadem. Oculo instilletur sequens ung. ℞. ung. de tut. ʒij. ol. ovor. ʒß. Balſ. de Mecha. gt. XII. Fiorovant. gt. vj. succ. expr. rec. consolid. maj. ʒj. M. D. D. 19. omnia ut prius, continuentur ante præscripta. Introduxi sub palpebras compressorium methodo Woolhousiana (l'emboittement) splenia triangularia gradualia (alterum altero amplius, latiusve) angulo interno oculi applicui. Utrumque oculum obligavi. Labia vulnusculi callosa parum scarificavi. D. 20. Oculus valde doluit : non dormivit : suppuratio copiosa : maculam contraxit cornea albam prope circulum suum versus canthum externum. Fortius imposui vesicatorium tempori sinistro : fomentet toto die oculum : decocto pro fomentatione addatur aq. calc. viv. & sp. vin. parum. Omisi compressas & fasciam. D. 21. dolor cessavit : satis quieta nox : prolapsus vitrei idem : macula corneæ alba persistit. Scarificavi Xystro palpebras & conjunctivam. Fomentet oculum. Vesicatorium educit seri copiam. D. 22. bene dormivit : scarificavi labia vulneris, s. rupturæ. Fomentet oculum. D. 23. oculo & sinistro capitis latere vehementer doluit. Scilicet vix semel interea oculum fomentavit. Macula albicans in cornea restat. Inflammatio eadem. Applicetur clysma. Oculum deligavi spleniis triangularibus, in angulo interno applicitis, & quadrato, imbutis collyrio sequenti : ℞. ▽. ros. fœn. plantag. aa ℥iij. sacch. ♄. & alumin. aa ʒß. cum albumine ovi conquassatis. Instillavi oculo guttas aliquot ung. ophthalmici Woolhousii. D. 24. bene dormivit, nec oculo, nec capite doluit. Maxima vitrei portio regressa. Macula corneæ, inflammatio conjunctivæ & carunculæ lacr. perstant uti prius. Decocto pro fomentatione addidi parum rad. symphyti : deligavi compressis triangularibus, externe applicitis. D. 25. Scarificationem repetii. Macula restat. Bene valet. D. 26. Bene dormivit, oculus non dolet. Ung. ophth. oculo instillavi; fomentavi : compressas, sive splenia triangularia cantho majori applicui &c. D. 30. Vitreus penitus regressus : caruncula vero lacrymalis adhuc tumida propendet. Macula corneæ eadem. Scarificavi labia novellæ cicatricis. Fomentet toto die oculum decocto consueto. Cætera pancratice valet. Tota conjunctiva adhucdum rubet. D. 3. Febr. Cicatrix magis magisque firmatur, adeo non est deformis, ut vix locus vulneris percipiatur. Unguento ophthalmico addidi aliquoties balſ. de Mecha guttas aliquot. Plane jam quoque detumuit caruncula lacrymalis, & in suum se recepit angulum. Pupilla versus angulum internum distracta apparet.

paret. Reliqua ut prius. Abiturientis viri ſtatum porro explorare non licuit.

Mirabitur fortaſſis B. L. quod nulla, vel adeo parca ſit facta mentio medicamentorum internorum. Oportuit hanc curam maxime Medico Xenodochiali relinquere. Caſus hos, licet multa contineant aliena à præſenti themate, voluimus exhibere, prout in ephemeridibus Præſidis extiterunt. Sed nec ſic quidem male! Omnia enim ad medicinam oculariam faciunt. Cæterum à poſteriori demonſtrant, ni fallimur, quod erat demonſtrandum: nempe dari vere procidentiam uveæ per ruptam tam corneam, quam ſcleroticam.

## §. XXIX.

*Therapia*: ad hanc enim, ne nimis prolixe ſimus, eſt properandum. Indicationes formamus, (α) omiſſivam, (β) curativam, (γ) palliativam,

Omiſſiva indicatio: quid omittere, quid non agere deceat? In ſtaphylomate clauſo levi, ſed inveterato nihil temere moliendum eſt vel pharmaceuticis, vel chirurgicis remediis, quia levis ejuſmodi protuberantia facile toleratur; habitualis & chronica vero difficillime tollitur, & cum metu reddendi malum pejus. Nihil agendum eſt in ſtaphylomate clauſo, quod in majorem aſſurrexit molem, ſi viſus aliquis ſuperſtes ſit nec deformitas crucem figat: ſi cancroſa malignitas aperte concurrat cum ſtaphylomate aperto, racemoſo, fungoſo, præſtat malum non curare, quam curare, ne hic vel maxime chirurgus redarguatur effato Hippocratico [r]: turpiſſimum eſt, per manus operam non aſſequi quod cupias. Inſtituta enim tunc operatio chirurgica, per aduſtionem, extirpationem &c. communiter recta ducit in cymbam Charontis.

*Indicatio curativa* præcipit

(α) Protuberantias corneæ, ſcleroticæ reprimere, naturalem tunicis his convexitatem reſtituere.

(β) Partes prolapſas quantocyus reponere, vel

(γ) Septicis, forfice, ligatura tollere,

(δ) Solutam vel corneæ, vel ſcleroticæ unitatem conſolidare; inductam hinc cicatricem dirigere, confirmare.

(ε) Maculas corneæ, ſeu ab exulceratione, ſeu à vulnere præſentes & futuras abſtergere, prævenire.

(ζ) Maſſam ſanguineam purificare; affluxum ab oculis revellere, derivare: circulum ſanguinis & ſubtiliſſimæ lymphæ in oculo liberum reddere.

(η) Ophthalmiæ, ulceribus, acutiſſimis doloribus, vigiliis perpetuis, aliiſque ſymptomatibus urgentibus una obviam ire.



[r] Hipp. Libr. de Medico, S. I. p. 20. circa medium.

(ϑ) Ad extremum mali, corneam, aliquando & ſcleroticam incidere, abſcindere, humores, tunicas evacuare, vulnus conſolidare.

*Indicatio palliativa* docet

(α) Protuberantiæ incrementum compeſcere.

(β) Tunicarum crepaturam impedire.

(γ) Manationem ulceroſam exſiccare, tollere.

(δ) Statum cancroſum moderari, delenire: ne ſe diffundat ſerpatque impedire.

(ε) Bulbum oculi, vel per ſpontaneam exulcerationem ruptum & collapſum, vel poſt tunicarum, corneæ, ſcleroticæ etiam ex parte abſciſſionem, ſubſidentiam, conſolidare, &, ſi libeat, oculo artificiali obtegere.

## §. XXX.

Indicationibus his omnibus tres quidem inſerviunt fontes, Pharmaceuticus, chirurgicus, atque diæteticus & amicas ſibi manus commodant, potior tamen ratio eſt in dextra chirurgi manu, ſive neceſſitatem ſpectes, ſive efficaciam, ſive ſecuritatem.

Medicamenta acria, ſeptica, cauſtica, qualia veteres, atque nonnulli recentiores applicari juſſerunt, ad ſtaphylomata conſumenda & extirpanda, dubiæ, quin periculoſæ, ſunt aleæ, vel ſuſpenſa certe manu, magna cum cautione, & non niſi in minoribus ſtaphylomatibus, abſente ophthalmia graviore & acri, vel cancroſa humorum colluvie, debent adhiberi. Obſervavit procul dubio cunctas haſce cautelas ſæpe jam laudatus Günz in diſp. cit. p. 27. cum ſcriberet, quod ipſi uſus oſtenderit tutiſſimam huic ſtaphylomatis generi (ſcil. myocephalo, & ſtaphylomati quod aliquam tantum partem corneæ dilatatæ occupat) medendi rationem eſſe, quam olim à Pariſino oculario, Dn. de St. Yves, Præceptore ſuo acceperit. Oportet, inquit, ſummo ſtaphylomati lapidem infernalem (cauſticum ex ☽. & aq. fort. paratum, in forma ſicca) admovere, idque iterum & tertio, ſed manu admodum temperata, facere. Et hoc quidem tanta moderatione peragendum eſt, ut cum ab oculo, tum etiam à palpebris omnis noxa avertatur. Quapropter hæ manu diducendæ ſunt, & æger jubendus, ut, quantum fieri poteſt, oculum figat. Et quo hæ partes omnino tutæ præſtentur, & cum dolor, tum omnis inflammationis metus avertatur, commodiſſimum eſt vaſculum vel aqua, vel lacte & aqua inter ſe miſtis, tepidis, plenum ita oculo aliquandiu admovere, ut ſummam ejus partem alluant. Per lapidem igitur, hac cum moderatione ſtaphylomati admotum, cum levis aliqua ſuppuratio moveatur, tunicis laxatis corneæ ſe contrahendi occaſio adfertur, ac tumor primo imminutus, exigua quadam cicatrice inducta, tandem totus tollitur. Dividi tamen hanc operationem oportet, & lapidem, ubi per triduum quatriduumve Medicus conquievit, iterum & aliquando tertio, admoveri. Inter hæc tutum non eſt oculum devincire,

quem

quem à plena luce remotum esse sufficit. Neque corneam & palpebras in hoc malo inter se coalescere frequens est; præstat tamen noctu tenerioris vesicæ frustulum, quod unguentum excepit, quale illud Woolhousii est, inter palpebras inserere. Ubi hoc unum supererat, ut ulcus cicatrice clauderetur, St. Yves aqua ophthalmica usus fuit, qualis rubra est, vel quæ lapidis divini & metallorum croci aliquot grana habet, quo tunicis plus roboris adderet. Fere commodius est, unguentum in oculum conjicere, quale Woolhousii est. Hæc curatio homini videndi facultatem propemodum plene reddit. Hucusque Clarif. Günz è mente Yvesii [s]! Hoc itaque modo, qui celeb. hos viros præeuntes sequi voluerit, indicationi illi per septica, causticaque §. 29. lit. γ allegatæ satisfaciet.

## §. XXXI.

Universali autem & majori applausu recepta sunt medicamenta tonica, adstringentia in forma pulveris, balsami, unguenti, mucilaginis, collyrii humidi, decocti, in epithematibus, sacculis aut per vaporem appliciti, quæ & tunicas corneæ, scleroticæ, laxatas, attenuatas, crepaturæ proximas, & partes è tunicis ruptis prolapsas roborent, contrahant, repellant. Si temperata fuerint hæc adstringentia, aut resolventibus commixta, aut in forma epithematis, decocto ingredientium vinoso imprægnati, applicita diligenter palpebris, non roborandi & adstringendi saltem, sed discutiendi quoque viribus una fidelia duos parietes dealbabunt, stasesque sanguinis, & lymphæ in vasculis & poris tunicarum, dissipabunt potius, quam augebunt. Neque ego quidem, reformidaverim vel alumen crudum, vel lap. hæmatit. pp. vel sanguin. Draconis, vel succum recenter expressum symphyti, & similia, dummodo tempore, modo, locoque debito adhibeantur. Quæ ex his sub unguenti, balsami aut mucilaginis forma applicantur ipsi affectæ parti immediate, neque tamen eorumdem diffusio super totum oculi bulbum admitti velit, possunt exigua quantitate tenui penicillo, quali pictores utuntur, parti affectæ illini, & palpebræ aliquandiu digitis servari diductæ, deinde vero frustulum tenuissimæ vesicæ, quæ bracteatoribus auri usualis est, superponi, atque sic inter bulbum ac palpebras interposita servari. Atque hæc quidem topica adstringentia in illo potissimum staphylomate valent, quod lamellarum corneæ dilatationem, nimiamque expansionem pro fundamento habet, tum & quod ex uvea foras prolapsa oritur, aut, cujus post repositionem uveæ procidentis peractam, relictum vulnus, sive foramen est arctius contrahendum. Sed in ipso tamen minore myocephalo, nedum staphylomate, sola hæc medicamenta vix satisfaciunt, nisi accedat externa compressio, vel per sola imposita sple-

[s] Dn. de St. Yves de usu lapidis infernalis contra staphyloma nihil habet in suo de morbis oculorum libro, ulceribus quidem in tarsis palpebrarum eum affricat, l. c. p. 220.

ſplenia, injectamque arctiorem faſciam, qua ſimpliciſſima methodo ſubinde uſus eſt Præſes feliciſſime, vel per machinas & inſtrumenta prementia & comprimentia, palpebris, aliquando ipſi bulbo oculari, partive affectæ & protuberanti propius applicita. Unde jam hunc curandi modum ſtrictius profequentes, primæ, quam formavimus, indicationi plenius ſatisfaciemus.

## §. XXXII.

Compreſſio, quæ per ſola ſplenia, e molli detritoque parata linteo, & faſciationem, quæ audit vel ſimplex, vel duplex oculus, peragitur, ſic eſt adornanda, ut ſplenia; e quadruplicato linteo in figuram triangularem complicata, alia aliis majora, tum & aliquod quadrangulare ſpiſſum, faſciaque, duas fere ulnas Pariſinas longa ſic applicentur, ut minimum e triangularibus ſpleniis primum applicetur loco palpebrarum, qui reſpondet protuberanti corneæ, vel ſcleroticæ, dehinc aliud triangulare, latius, ſuperimponatur priori, &, ſi opus videatur, huic etiam ſuperſtruatur tertium, adhuc latius, cunctis vero his ſuperingeratur quadrangulum, & denique faſcia circumducatur, quantum æger ferre poſſit, vel ſucceſſive, ſtrictior. Si punctum compreſſionis magis vergere debeat verſus angulos oculi, figura ſpleniorum tanto magis requiritur triangularis. Cæterum figura ſpleniorum rem non conficit, modo ſufficienter & debito loco premant. Splenia hæc triangularia poſſunt vel ſicca, vel ſpir. vini imprægnata, vel collyrio conveniente imbuta, applicari calida, extimum vero ſiccum & bene calidum, ne interiora cito refrigeſcant. Solet etiam ſpleniis lamina plumbea extus illigari, ad vim compreſſionis augendam. Mutatur & repetitur deligatio pro ſymptomatum & circumſtantiarum ratione, vel per trihoria, vel ſihoria, vel & tardius.

Si quæ adſint contraindicationes, e. g. gravis inflammatio, vel ſtatus ulceroſus, copioſam aut acrem plorans ſaniem, vel dolores acuti &c. tum vel differenda eſt talis compreſſio in commodius tempus, vel moderanda, vel ſuperinducenda corneæ eſt lacinia tenuiſſimæ veſicæ, unguento Woolhouſii ophthalmico, aliove, peruncta, ut ulceri non modo occurratur mundando & conſolidando, ſed etiam impediatur præternaturalis concretio corneæ, ſcleroticæve cum palpebris. Cæterum ſi vel maxime oculus ſanus in curatione ſtaphylomatis alias vinctura non opus habere videatur, hic tamen ubi oculus ſtaphylomate affectus compreſſioni ſubjicitur, e re eſt, ſanum pariter obligare oculum, quoniam ſi alter ſanus oculus quaquaverſum in viſione commovetur, eumdem ſequi motum oportet quoque alterum, licet compreſſum & faſcia munitum oculum, ſicque punctum contactus & compreſſionis determinatum mutare, ac inſimul moleſtam atque periculoſum ſubire frictionem.

§. XXXIII.

Has ſimileſve compreſſiones, fortiores certe, locum non habere contra partem uveæ prolapſam, quæ ſic periculoſe contunderetur: neque etiam in magno ſtaphylomate clauſo totali, inveterato & occalleſcentibus ejus lamellis, quoniam hoc eſſet laterem lavare, facile patet. Machinam vero compreſſoriam invenit Woolhouſius; quam compreſſorium Hippocratis inſtrumentum vocat, (quo loco tale deſcribat Hippocrates, nondum inveni?) ſimplicem, unica patella conſtantem, & duplicem, duabus gaudentem patellis, pro ambobus oculis, qualemque duplicem delineatam exhibet celeber. *Platner* [*t*], hanc, inquam, machinam commodius, citiuſque quam faſciationes alias, applicare & removere licet, & vim compreſſionis quovis momento vel relaxare, vel intendere, mediante hujus machinæ arcu, per cochleam pro lubitu apprimendo. Ipſa machina holoſerico eſt obducta, & patellæ ejus, quæ brachio per cardinem verſatili affixa eſt, ſubjiciuntur molles compreſſæ, ſive ſplenia, ut nimium rudis palpebrarum oculique compreſſio obtundatur. Patella ſuperficie ſua inferiore, qua palpebras attingit leviter ſinuata eſt. Hæc vero excavatio non minus ac totius patellæ magnitudo reſpondeat ſtaphylomatis magnitudini ac convexitati neceſſe eſt.

Hactenus externæ compreſſionis ſpecimina ſtitimus; an vero, & quomodo ipſum oculi bulbum ea parte, qua protuberat in ſtaphylomate, liceat per immediatam compreſſionem coercere videamus?

§. XXXIV.

Annunciavit Woolhouſius ante plura luſtra hanc methodum, quam vocavit *Remboitement*, vel *emboitement*, quæ latine poſſet reddi incapſulatio, vel operculatio: illam vero nullibi, & ne quidem in dictatis ſuis plene & diſtincte propalavit, ſed oretenus ſaltem ſuis tradidit aſſeclis. Vocavit *emboitement*, quoniam inſtrumentum hoc compreſſorium capſulæ (*à une boëte*) aſſimilatur, & pars bulbi ocularii prominens & convexa comprehenditur ſub capſulæ hujus concavitatem: capſulæ vero ſphæricæ vel hemiſphærium, vel aliquod ſegmentum modo eſt hæc dimidiata capſula.

*Capſulæ* hujus *materia* poteſt eſſe varia. E cornu, plumbo, argento, aurove tornata, vel fabrefacta. Tenuem & nitide politam, vel lævem eſſe decet, extus convexam, intus concavam, ejuſque & diametri & concavitatis, quæ parti affectæ oculi comprehendendæ ac comprimendæ reſpondeat. Unde ſi totam corneam complecti debeat, dimidiam ſphæram ſive hemiſphærium majus conſtituere debet, ſi partem corneæ vel ſcleroticæ aliquam ſaltem operiri



[*t*] Platner, inſtit. chir. §. 589. Tab. 6. f. 13.

periri debeat, ſegmentum ſphæræ minus, aut quadrantem ſphæræ, vel alius figuræ fruſtulum, modo intus ſinuatum ſit, æmulari neceſſe eſt.

*Modus applicandi* hic eſt: capſula, ſive patella talis cujuſcumque magnitudinis & figuræ, tepefacta, convenienti unguento, vel mucilagine irrorata parti protuberanti, palpebris antea ſatis diductis, placide admovetur, palpebræ deſuper clauduntur, ſpleniis obteguntur & faſcia vinciuntur, vel compreſſorio Hippocratico, §. 33. placide apprimuntur. Finis & uſus taliſmodi compreſſionis eſt varius: ſcil. compreſſionis, repreſſionis tunicarum, corneæ, vel ſcleroticæ protuberantium: repreſſionis uveæ, in ſinum dilatatæ corneæ procidentis: impediendæ concretionis corneæ, vel conjunctivæ oculi cum interna palpebrarum tunica conjunctiva: præveniendæ hyperſarcoſis, aut extantioris cicatricis, comprimendorum & ad ſe invicem apprimendorum vulneris vel corneæ, vel ſcleroticæ labiorum pro maturanda & confirmanda eorumdem conſolidatione: præmuniendi & obfirmandi bulbi ocularii, ut ne poſt factam paracenteſin recidat in priſtinum hydropen, ſive hydrophthalmiam: compingendi & in globoſam figuram conformandi reliquias bulbi ocularii poſt extirpationem partis ejus anterioris. Sed ingenue notavit ipſe Woolhouſius, quod ſolidorum atque durorum ejuſmodi corporum immediatæ impoſitiones, facile irritent atque rubefaciant oculum, (ſi l'emboitement commence à chagriner & rougir l'œil) & negotium faceſſant corneæ, (*l'emboitement, qui de ſoi-même ne fait aucun plaiſir à la cornée*) dolores excitent, albam corneæ maculam inducant, id quod noſtro etiam caſu §. 28. p. 34. exhibito pateſcit; itaque caute hic eſt mercandum, & in caſu præſentis momentoſæ inflammationis, aut gravium dolorum ab hac methodo abſtinendum donec illa ſint profligata mala, alias vero, quod ſupra monuimus, tali patellæ & oculo interponendum eſt tenuiſſimæ ac molliſſimæ illius veſicæ bracteatorum auri fruſtulum, reliquis etiam cautelis, ſupra inculcatis, de exciſione lateris patellæ, de figenda patella, ne ſuper oculum inſtabilis oberret &c. ſolicite inhærendum, minime neglectis etiam indicationibus reliquis therapeuticis atque diæteticis, quales mox ſubjungemus.

Quamdiu talis patella compreſſoria ſuper oculi bulbo relinquenda ſit, determinant tolerantia ægri, & neceſſitas protuberantiæ, nondum ſubſidentis quantum ſatis eſt, aut vulneris nondum abſoluta conſolidatio, aut metus concretionis mutuæ bulbi cum palpebris. Hinc aliquando continuatur hæc methodus, per aliquot dies, aliquando plures ſeptimanas, ſine remiſſione. Aliquando interponuntur feriæ. Alias quotidie, vel ſemel, vel bis mutatur; & renovatur totus apparatus, nova applicatur veſica, & patella à ſordibus purgatur, & vel eadem ſtatim reponitur, vel nova, donec prior ſiccata ſatis & munda fuerit.

## §. XXXV.

At vero, ſi ſtaphyloma ſit apertum, ſi uveæ pars per vulnus aut ruptuam corneæ exciderit, tum ſane ineptus fuerit, quiſquis ante dictam arctioris

ris compreſſionis viam calcare tentaverit: ita enim uvea inter malleum & incudem periculoſe non minus ac moleſtiſſime verſaretur. Illud tum potius primo & primario eſt agendum, ut juxta noſtram indicationem ſecundam §. 29. *pars prolapſa ocyſſime reponatur*. Itaque ſive hæc pars uveæ prolapſa myocephalon, ſive ſtaphyloma, ſive clavum referat, quocumque anni tempore acciderit, ſive febricitet æger, nec ne, advolare chirurgum jubet Woolhouſius, tanquam ad ædium incendium, ut opem ferat ſine mora: & ſi quidem veſperi noctuve ſe primum obtulerit æger, hunc in lectum ſe componere jubet, capite ſupino & declivi decubiturum, per clyſma evacuari, (ſed reddere illud in ſubjectam patinam non mutato corporis ſitu) venæ ſectionem vel tum, vel craſtina luce, non parcam, admittere, niſi alia contraindicent; poſtea vero, cum, lumine diurno favente, liceat ſtatum morbi rectius explorare. Partis prolapſæ repoſitio, ſi quidem illa nec valde tumida, inflammata, ſuppuraſcens, vel calloſa, aut plane ſphacelata fuerit, tentatur hoc modo: ægri caput in talem ſitum collocatur, qui partem uveæ prolapſam inclinet in viam declivem: palpebra digitis chirurgi leniter fricatur, agitatur, premiturque eo loco, qui ſubtus reſpondet parti prolapſæ. Sin regreſſus prolapſæ partis hinc minus eveniat; ſpecillo tenui, e cornu, vel virga balænaria facto, apicem latiuſculum, planum, & leviſſime flexum habente, retruditur placidiſſime, & intra cavum primæ oculi cameræ reponitur.

Si corneæ vulnus, aut foramen nimis anguſtum ſit, & obſtet huic repoſitioni, dilatandum illud eſt inciſione, per tenue ſcalpellum falcatum, quod præcepit jam olim Woolhouſius, ſed in illo vulneris angulo, vel latere, quod plagam neque deducat verſus centrum corneæ, pupillæ obverſum, neque in circulum corneæ, quoniam ibi, conſolidata plaga, quæ remanet opaca cicatrix viſui nocet, hic vero ſeparatio uveæ à cornea, vel ſclerotica, aut ſuppuratio interna, & hippus iridis ſequuntur. Statim vero ab hac dilatatione vulneris, molienda eſt reductio uveæ prolapſæ, multo nunc facilius ſucceſſura. Si vero nec hac encheireſi prolapſa uvea ſe reponi patiatur citra magnam vim & contuſionem, quid ultra ſit agendum, infra addemus.

## §. XXXVI.

*Poſt* felicem vero *repoſitionem*, habenda ratio eſt ſitus ægri maxima cum attentione ac diligentia, prout foramen vulnuſve obſederit hanc illamve regionem corneæ. Cum enim cornea fuerit pertuſa in parte ſuperiori, ſub palpebra ſuperiore, debet æger caput erectum, in lecto ſedens potius quam cubans, tam diu ſervare, donec pars prolapſa penitus non modo ſit regreſſa, ſed etiam reditum non affectaverit, tum vero apparente vulneris cicatrice caput ægri ſucceſſive magis reclinandum eſt, ut iris removeatur magis magiſque à cornea, & in humore aqueo fluctuet, modo locoque naturali, atque ſic impediatur ſynechia. Quorſum & hæc facit cautela, ut oculus affectus ſæpe, & aliquandiu lumini exponatur, modico quidem & tolerabili, ut

uvea, ſeu iris hinc ſe contrahat, magiſque ſecedat à confiniis corneæ, per quam antea fuerat elapſa. Id quod in cæteris quoque ſtaphylomatibus, alio corneæ loco obviis eſt obſervandum. Si cornea hiet inferius, ſub palpebra inferiore, moleſtum hunc cubandi ſitum tenere cogitur ægrotus, ut inverſo modo, caput ad inferiora lecti dependens & declive, pulvinaribus tamen ſuſtentatum, corpore ſupino jacente jugiter habeat, & illud, pro refocillatione bis terve ſaltem per ſemihorium quotidie in lineam rectam & cum trunco corporis horizontalem attolli curet, ſed opponat tum ſimul, relapſuræ & exiturienti uveæ, comprimentes & ſuffulcientes ſuos vel alienos digitos. Si cornea in latere interno, vel externo ſit perforata, optimus ægri ſitus eſt ſupinus, horizontalis, capite inclinato in latus vulneri oppoſitum. Si vero vulnus occupaverit centrum corneæ, tum idem ſupinus ac horizontalis ſitus, ſed abſque capitis inclinatione in latus, convenit. Diverſi hi ſitus exquiſite ſunt tenendi, donec vulnus corneæ oſtenderit cicatricis e facta conſolidatione initia, id quod, adminiſtratis ſimul traumaticis medicamentis, aut & aliis remediis intra 8. vel 15. dies circiter fieri ſolet: in ſtaphylomate autem illo inferiore duplum ſicut ſedulitatis, ita & temporis exigitur; certi enim & attenti homines conſtituendi ſunt, qui dies noctesque ab initio hæreant à latere ægri, & vel impatientem vel dormientem impediant ab intempeſtivo noxioque capitis motu.

Sin minus tota uveæ procidentis pars repelli primo actu valuerit, relinquenda eſt in dies ſubſequos, quibus, ſedata interim inflammatione & intumeſcentia corneæ & conjunctivæ, orificioque, per detumeſcentiam, aut lenem ſuppurationem patentiore facto, dehinc reliquum operæ & repoſitionis abſolvi commodius poterit.

## §. XXXVII.

Poſt repoſitionem partis prolapſæ adminiſtratam, ægroque in debitum corporis atque capitis ſitum collocato, imponitur labiis corneæ vulneratæ & hiantis fruſtulum veſicæ bracteatorum auri, imbutum collyrio, ex albumine ovi conquaſſato cum ſucco rad. ſymphyti fortiter expreſſo, vel alio ſimili temperato conglutinante remedio, & ex inſtrumentis compreſſoriis, ſupra recenſitis, aliquod tamdiu applicitum geſtatur, donec novella conſolidati vulneris cicatrix penitus confirmata fuerit. Inter hæc vero non ſaltem reſolventia, temperantia, aliaque pro ſymptomatum exigentia, propinantur medicamenta, ſed diætæ ſummo etiam cum rigore ſtudendum eſt. Nulla ſolida ſumat æger alimenta, quæ vel manducationem atque maxillæ fortiorem expoſcant motum, vel ipſa liquida, calorem & orgaſmum excitantia, vel & in univerſum valde nutrientia. Subſiſtendum illi potius eſt in uſu, eoque modico juſculorum carnium, cum vitello ovi conquaſſatorum, cremoris avenæ hordeive, pultium varii generis, gelatinæ pomorum, lacticiniorum &c. cum decocto ad potum e fl. til. hord. crud. rad. liquir. acetoſæ, ſem. fœnic. & ſimilibus, interpoſita per alternas noctes emulſione e ſem. 4. frig. amygdalis dulci-

dulcibus, ſem. pap. alb. c. ▽. cer. n. viol. & buglos. edulcorata vel ſacch. canar. vel ſir. pap. alb. aut fl. paralyſ.

Hoc ipſo intervallo, quo cicatrix formatur, abunde temporis conciliatur, quo humor aqueus à corneæ ruptura vel ante, vel ſub repoſitione uveæ prolapſæ evacuatus, poſſit regenerari, atque ſic naturalis reddi corneæ figura convexa.

Si labia vulneratæ vel ruptæ corneæ calloſa ſint, oportet illa poſt repoſitionem partis prolapſæ factam refricare ac animare per providam ſcarificationem, ope ſubtilioris xyſtri vegetabilis, aut tenuis ſcalpelli falcati, acutiſſime ſcindentis in apice, aut certæ acus chirurgicæ perficiendam. vid. Præſid. diſp. de fiſtula corneæ. p. 25. §. 22.

## §. XXXVIII.

Quid *ſi* autem *pars uveæ extra vulnus corneæ prolapſa nullo poſſit reduci modo?* Si fuerit exilis portio, aut longior quidem, ſed tenuior, inſtar filamenti, ſolet intra vulneris anguſti labia quaſi ſtrangulari, & ſucceſſive, brevi dierum intervallo per ſuppurationem ſponte abſcedere; ſi tamen ſuppurationem maturare volueris, & tentare num, abſciſſa, quæ propendet, parte, vel reliqua vulneri incuneata pars tunc facilius reprimi, vel certe vulneris labia citius conſolidari poſſint, per nos licet. Ligaturam talis prolapſæ partis, quæ circumdato & adſtricto cerato filo vel ſerico vel lineo à nonnullis, veteribus maxime, ſuadetur, atque ſic lentum hunc ſeparandi modum, majore cum irritatione ac dolore junctum longe poſtponimus ſimultaneæ abſciſſioni proxime ad ſuperficiem corneæ, forficis vel ſcalpelli ope, peragendæ.

Si *pars* uveæ *prolapſa vehementer intumuerit* ac adeo increverit, ut ipſam corneæ diametrum æquet vel ſuperet, ſicque non amplius quæſtio ſit de reponendo tali ſtaphylomate, ſed potius extirpando, antequam ulterius capiat incrementum, & malum variis augeat malis: tum videtur optima hæc eſſe methodus, quam Yveſius laudat, quamvis illam videatur tamen magis deſtinare ſtaphylomati clauſo, & quod totam corneam nondum occupavit. Nempe per medium ſtaphyloma curva eademque acuta acus cum annexo filo ſerico traducitur. Tum, dempta protinus acu, duo fili ſerici capita paululum contorta ſiniſtræ manus digitis apprehenduntur, ſcalpelloque vel phlebotomo deinceps adhibito, paulatim ſub filo tumor ſeparatur, donec tandem forficis adjumento penitus reſcindatur, & à cornea, cui maxima parte accumbit ſaltem, aliqua vero cohæret, ſeparetur citra corneæ excoriationem aut vulnerationem, quantum fieri poteſt. Quamvis enim in tali caſu locum habere poſſit aliquis à veteribus jam, Celſo, Aetio, Paulo &c. per ligaturam tollendi modus; tamen merito illos deteſtantur Woolhouſius, Antonius, Yveſius, Heiſterus in chir. c. de ſtaphylomate &c. quod utplurimum graviſſimos dolores, inflammationem ac ſuppurationem ciere ſoleant. Neque metus, qui veteribus uſum ſcalpelli reddidit ſuſpectum, nos hodie tangit: illi enim falſo

ſunt opinati, humorem aqueum ſemel effuſum non regenerari, & hinc aciem videndi perire. Aſt ſi partis uveæ prolapſæ moles tanta ſit, ut ipſum pomum æquet, vehementer dubitamus, ut tali modo dicta methodo poſſit abſcindi? Aut ſi poſſit, annon (cum tamen hic actum ſit de videndi potentia & naturali figura oculi) extremum ſimul cum ſtaphylomatis reſectione, vel mox poſt eam, quæri debeat remedium in inciſione, aut circumciſione totius hemiſphærii anterioris bulbi ocularii, & evacuatione oculi.

## §. XXXIX.

Ut vero ſtaphylomatis clauſi, ſimplicis, quod in ſola corneæ, non perforatæ, ſed extenſæ ſaltem protuberantia conſiſtit, tractatio chirurgica per medicamenta & inſtrumenta ſuperioribus §is allata ſemper haud procedit, ſi illa ſtaphylomata fuerint magna, inveterata, calloſa, exulcerata, ut ſumma ſtaphylomatis hujus tunicula nimium tenuis exiſtat, tonumque & debitam craſſitiem recipere non valeat; ita quoque methodus curandi eſt ineunda alia.

Cardo hujus curationis in eo vertitur, ut inſigniter dilatata tunica cornea ad naturalem reducatur convexitatem, & cum non poſſit alio modo ſacciformis ejus expanſio intra naturales reſtitui limites, id quod ſuperabundat, vel ſemel atque ſimul, uno ictu, per ſectionem, vel paulatim, per ligaturam, tollatur. Duplicem hanc curationem ſtaphylomatis eſſe tradidit *Celſus*, cap. de ſtaphyl. duplex, inquit, eſt curatio: *altera*, ad ipſas radices per medium tranſuere acu, duo lina ducente. Deinde alterius lini duo capita ex ſuperiore parte, alterius ex inferiore adſtringere inter ſe, quæ paulatim ſecando id excidunt. *Altera*, in ſumma parte ejus ad lenticulæ magnitudinem excidere, deinde ſpodium aut cadmiam infricare, utrolibet autem facto, album ovi lana excipiendum & imponendum, poſteaque vapore aquæ calidæ fovendus oculus & lenibus medicamentis ungendus eſt. *Paulus Ægineta* [*u*] jubet acum ab inferiore parte ſurſum per radices ſtaphylomatis trajicere, deinde alteram acum, duplex filum trahentem, ab angulo, qui ad manum ſpectat, ad alterum per radices ſtaphylomatis tranſmittere, tum, manente priori acu, lini ſinus amputare, atque ita uveæ ſuperiora inferioraque filis deligare, mox acu extracta lanam albumine ovi infuccatam ſupra accommodare. Ab hujus inde ſolutione blandis infuſionibus oculus fovendus eſt, quoad una cum ſtaphylomate fila excidant. Aëtius [*x*] ſtaphylomatibus, quæ anguſtum fundum habent, & non maligna ſunt, conſtrictionem ſive ligaturam

[*u*] Paul. Ægin. encheirid. l. 6. cap. 19. Notari meretur, quod author hoc ipſo capite, quo hanc operationem præcipit, hanc præmittat ſtaphylomatis definitionem: ſtaphyloma, inquiens, eſſe membranæ corneæ una cum rhagoidea ſeu uvea, debilitatæ incurvationem ſive gibboſitatem. Ergo hic uvea prolapſa ligatur ſimul cum corneæ dilatatæ ſinu ſeu ſacco.

[*x*] Aëtius tetrabibl. 2. ſerm. 3. c. 35. p. m. 343.

ram commendat. Jubet duas accipere acus, non valde craſſas, neque oblongas, filum duplex intortum habentes, æquali prorſus longitudine. Deinde ægrum ad pedes tuos collocare, capite ipſius reflexo, ita ut occiput ipſius genibus tuis innitatur. Et deinde diſparatis palpebris, per medium ſtaphylomatis fundum, ex ſupernis deorſum tranſmittere acum. Deinde dum detinetur oculus ab acu tranſmiſſa, alteram acum duplex filum habentem ſimiliter tranſmittere à parvo angulo ad magnum, per medium itidem ſtaphylomatis fundum, quo figura duarum acuum tranſmiſſarum cruciformis fiat, aut litteræ X. ſimilis. Nam quo obliquior facta fuerit tranſmiſſio, facilius extrahuntur acus. Deinde inciſis duplicatorum filorum principiis, ſuperna duo principia, ſuperno acus principio ſubjicere, inferna vero inferno, ac ſtrenue conſtringere: optimam vero conſtrictionem fieri, rectis principiis ad obliqua ductis & hoc modo colligatis. Deinde apicem ſtaphylomatis reſecare, ſolo fundo ipſius relicto gratia filorum, ut ne elapſis ipſis humores oculi effundantur & oculus cavior fiat. Staphyloma vero excindi partim compendiariæ curationis gratia. Citius enim fila excidere, & ulcerationem curari: partim ut minori æger affligatur dolore per totum curationis tempus, cum & corpora tranſpirent, & neque magna inflammatio conſequatur. Poſt reſectionem vero apicis ſtaphylomatis præcipit extrahere acus, filis, velut dictum eſt, conſtrictis, & tunc lac infundere, aut ovi candidum: ſuperne vero oculo imponere ovum cum roſaceo ac modico vino concuſſum, & molli lana exceptum nec non tempori. Poſtera die fomentum facere per ſpongias probe expreſſas, & lacte infuſo, lanam ovo imbutam imponere & deligare, idque tam diu, donec fila excidant: his vero elapſis collyria tenera, qualia ulceribus conveniunt, mundificantia, ac denique cicatricem inducentia imponere.

Quæ difficultates premant hos ligandi modos, quæ mala conſequantur, abunde vel ſoli docuerunt Antonius Maître-Jean atque Günz, loc. plus ſemel jam. cit.

## §. XL.

Tamen modo laudatus *Günzius*, diſp. cit. p. 32. §. 10. admittit in ſtaphylomate parvo, & ubi non tota cornea laxata eſt, linum ſimplex, ſed ſine acu, injiciendum. Imo ſe uſu edoctum aſſerit, quod, etiamſi ſtaphyloma paulo majus ſit, & tunicas non minus extenuatas habeat, acu etiam tenuiſſima, duo lina ducente tranſui poſſe, tumque ex utraque parte ligari; lini vero capita, temperata admodum manu, inter ſe adſtringi debere. Tum mordente filo, laxataſque tunicas contrahente, inflammationem lenem moveri, ſuppurationem ſequi, atque vulnus, quod à tumore paullatim exciſo ſupereſt, ſenſim claudi; aliquando tamen hinc, ſed rarius, fiſtulam manere exiguam, quæ vero parum vel nihil noceat, cum id quod ex aqueo humore effluit, exiguum ſit, cum lacrymis miſceatur & in nares profluat.

Exemplum talis curationis per ligaturam, unico filo abſque acus tranſmiſſione abs ſe factam, & ſtaphylomatis, anguſta baſi gaudentis, octavo dehinc die

die ſponte ſeparati, ſed remanente hinc exili fiſtula, per quam humor aqueus per vices effluxit, recenſet *Antonius Maître-Jean* l. c; aliam vero vidit à quodam chirurgo dexterrime, ad Celſi modum, adminiſtratam ſtaphylomatis operationem, poſt quam elapſo ad diem nonum ſtaphylomate cum filo, bulbus oculi per vulnus relictum totus fuit exinanitus & collapſus, foramen corneæ tamen conſolidatum denique eſt & cicatrice obductum mediante, quæ ſequebatur, ſuppuratione.

*Yveſius* utitur quidem, in ſtaphylomate (clauſo) quod non totam occupat corneam, acu modice curva & ſcindente tenuiſſima, filum ſericum trahente, qua medium ſtaphyloma transfigit, & cum ſericum filum trajectum eſt, acum retrahit, extrema fili attrahit, & leniter contorquet manu ſiniſtra, tum vero phlebotomo (lanceola communiter dicto) incidit tumorem in baſi ſua ultra filum, & reliquum abſcindit uno forficis ictu. Ægrum oculum devincit, ut poſt cataractæ operationem ſolet, aqua communi cum ſpir. vin. mixta, atque ſic ait vel corneam, ſpiſſiorem factam cicatrice claudi, vel relinquere exilem ſaltem fiſtulam; ſed patet, Yveſium in hac operandi methodo non adhibere filum & acum ſcopo ligandi, & per ligaturam tollendi paulatim ſtaphyloma, ſed ut ſaltem anſam conciliet, qua mediante ſtaphyloma magis attolli & inter ſecandum firmiter teneri poſſit. Hanc Yveſii methodum ſequitur Günz, in ſtaphylomate, quod aliquam tantum corneæ adhuc pellucentis partem occupat, neque vetuſtum eſt. vid. ejuſd. diſp. cit. p. 34.

Unde ſequitur, ſi ſtaphyloma poſſit vel digitis, vel volſella, aut hamulo apprehendi, attrahi atque ſatis firmiter teneri, ne quidem acu filoque opus eſſe. Ita *Heiſterus*, chir. loc. cit. clavum, ſtaphylomatis ſpeciem, ex oculo propendentem longitudine digitorum articuli, ſiniſtræ manus binis digitis comprehendit, forficeque idonea haud infeliciter ad radices abſcidit.

## §. XLI.

Curationes per ligaturam ac abſciſſionem hactenus recenſitæ reſpexerunt ſtaphyloma clauſum partiale, in quo nempe pars ſaltem aliqua corneæ ſublata protuberat. Ubi vero maxima corneæ pars, vel tota quanta valde prominet, & malum magnitudine refert, aut pluribus ſtaphylomatibus proliferis, racemoſis obſita eſt, gravis & cum abſoluto viſus non ſaltem, ſed etiam figuræ oculi detrimento juncta duplex ſupereſt operatio chirurgica, ad quam igitur nonniſi in externo neceſſitatis caſu confugere decet.

Itaque in ſpecie illa ſtaphylomatis, quæ μῆλον ſive malum audit, ubi tota cornea attenuata valde protuberat, *Woolhouſius* tranſverſim primo incidendum oculi bulbum mediante ſcalpello falcato à cantho majori, uſque verſus circulum corneæ in cantho minore, dein & ab inferiore parte in ſuperiorem, ſic ut inciſio crucis figuram referat: poſthæc extrahi & evacuari omnes non modo humores, ſed & tunicas oculi, ne veſtigium quidem relinquendo ipſius etiam choroïdeæ, ac retinæ: ſanguinis ſerique fluxum

xum hinc concitatum permitti per aliquot plorare horas, interea vero saucium hunc oculum jugiter tepido foveri decocto virgæ aureæ ac veronicæ.

Prima vespera inducit Woolhousius oculo parum ung. basilici nigri, altero die rescindit aliquas angulorum corneæ lacinias, & jugiter oculo impositum servat sacculum, fl. melil. chamom. & sambuci repletum, calidum. Quando suppuratio cessare, dolor & tumor imminui incipiunt, tunc ægro supinus in lecto situs permittitur, & ter quotidie de balsamo suo ophthalmico composito instillat. Oculum diligentissime mundificat, & subinde moveri jubet in omnes plagas. Si vulneris crucialis angulos animadvertit super se invicem implicari, aut se extremis suis arripere, tunc volsella illos solicite coordinat, & ad mutuam æqualem conjunctionem disponit. His observatis, globum hunc oculi intra 8. vel 10. dies repleri, ac cicatricem multum procedere contendit. Si humor aqueus secundo tertiove die nimis cito regeneratur, ut fit in junioribus personis, non saltem plus rescindit ab angulis vulneris, sed in eorum consolidatione operam quoque dat, ut aliquod foraminulum in loco incisionis factæ remaneat, ne bulbus posthac in majorem naturali oculo globum, increscat, sed quo nimium est humoris hoc redundet foraminulo. Ipsum hoc bulbi nimium augmentum moderatur aliquando patella cornea concava, vel plumbea, ea diametro prædita, quam oculus sanus habet, (de quali supra egimus) novo succrescenti bulbo debite imposita.

Hæc vero Woolhousiana methodus longe remota est ab ea, quam nonnulli tenent, quamque Yvesius atque Gunzius, ceu neque satis tutum, neque certum taxant auxilium, quoniam iris in operatione non simul auferatur. Hunc itaque modum incidendi, evacuandi ac consolidandi oculum scire decet, ideo maxime abs Woolhousio commendari, ut oculi bulbus non plane collapsus fœdusque relinquatur post operationem, & iste homo supersedere queat oculo artificiali, quem facile sano oculo labem vel tandem affricare observavit, ideoque nemini author est, ut admittat. Cæterum penes lectorem esto judicium, annon præstet talis operatio, quæ bulbum naturali multo minorem, & undique clausum ac perfecte consolidatum relinquat, quem vel palpebris, exili orbiculo serico, emplastro glutinante oblito, ad se jugiter adductis occultare, vel artificiali oculo liceat obducere? Quam globum oculi habere, nonnisi magnitudine similem naturali, cætera vero cicatrice alba fœdum, & fistula laborantem. Neque possumus non mirari, qui supponat Woolhousius, vel fieri possit, ut humor aqueus regeneretur continuo in tali oculo, cui & omnes humores & tunicæ internæ fuerint ablati?

## §. XLII.

Quibus ergo hæc crucialis incisio non arridet, poterunt hanc quæ sequitur

ſectionem & *oculi* quaſi *circumciſionem* pro arbitrio ſubſtituere, cum cæteroquin præcipue & abſolute deſtinata ac neceſſaria ſit ſtaphylomati racemoſo, in quo nempe & tota cornea eſt valde attenuata, ſed pluribus etiam tuberculis monticuloſa, ſive hæc in ſuis ſinulis ſolum contineant humorem aqueum, ſive particulas iridis. Jubet *Woolhouſius* ante ſubeundam gravem hanc operationem ſtudioſe 15. dierum ſpatio præparari, pro ſubjecti & ſymptomatum ratione, purgando, venam ſecando, temperatam tenuemque diætam ſervando, ſanguinem purificando, humorum acrimoniam abſorbendo: e quibus lap. 69. aut millepedes vivos, contuſos &c. poſt operationem peractam quoque continuari ſuadet, hic certe non minus quam in altera operatione, quæ cruciali fit inciſione, §. 41. Oculum mediante falcato ſcalpello, in ſcleroticam una alterave linea (ſufficere unica nobis videtur, ut tendinibus muſculorum oculi tanto certius parcatur) à circulo corneæ externo, incidit & in circulo ſic circumcidit, ut tota atque integra cornea, una cum ſcleroticæ parte confini, in circulo reſcindatur, unde ablato hoc oculi anteriore quaſi hemiſphærio, & reſecta uvea, facile ſequuntur, vel ſponte, illi adhærentes ſic dicti humores cryſtallinus atque vitreus, vel digitis exprimuntur, vel per ſubſequam ſuppurationem una cum choroïdea atque retina paulatim ſolvuntur atque excernuntur.

Quid in hac circumciſione oculi, laborioſa ſane àc dolorifica, de reliquo ſit obſervandum, e. g. ut æger alienis manibus ceu marpeſia cautes ſtabiliatur, palpebræ ſatis diducantur, cornea protuberans trajecto filo attollatur, & inter ſecandum firmetur, vel in factum inciſione foraminulum hamulo immiſſo detineatur, & reliquum circumciſionis perficiatur vel forficula probe ſcindente, vel ſcalpello illo falcato, id quidem ſagax ophthalmiater facile divinaverit.

Poſt operationem jubet porro *Woolhouſius*, utramque oculi affecti palpebram aliquot dies extus perlinit balſamo diaſulphuris Rulandi, & frontale applicari, mane noctuque repetendum, ex ung. alabaſtrino, ipſi vero bulbo vulnerato applicari ol. ovorum c. pulv. tutiæ pp. in unguenti conſiſtentiam redactum. Atque ſic ſpem facit brevi obtinendæ tam conſolidationis, quam præveniendæ degenerationis e ſtaphylomate racemo in cancrum.

## §. XLIII.

Potiora curationis chirurgicæ præmiſimus. Sed aliqua ſuperſunt poſt operationem chirurgicam attendenda. Vehementi, quæ aliquando ſupervenit, inflammationi occurrendum eſt V. Sectione repetita in pede, brachiove lateris affecti, veſicatoriis in brachiis, ſcarificatione internæ ſuperficiei palpebrarum per xyſtrum vegetabile: (quam Woolhouſii methodum ocularius Londinenſis ille Duddel, ambabus quoque amplectitur.) Alvi ſubductionibus per clyſmata blanda, epithematibus calidis reſolventibus, frontali refrigerante, internis abſorbentibus, nitroſis, papaveraceis. Ita ſimul fiet, ut dolores ardentes, pungitivi, agrypnia temperentur atque ſucceſſive tollantur. Suppurationi, ſi nimia ſit & acris, opponuntur leniter ſiccantia, tonica, balſamica, tem-

temperata, ſpirituoſa, in modica doſi: ſin parcior illa ſit, topica adhibentur emollientia, cataplaſmata, ung. digeſt. ſimpl. humectantia collyria è ſolo lacte & aqua tepida hordeata cum tantillo mellis roſati.

Si poſt brevem laudabilis ſuppurationis decurſum vulnus ad conſolidationem tendat, naturæ hic conatus facile adjuvatur ung. digeſtivo, cui myrrha, olibanum, maſtiche ſunt remixta, vel balſamo Arc. vel ung. ophthalm. Woolhouſii, ac ad finem vel ſiccis tenuiſſimis pulveribus è ſarcocolla, maſtiche, bol. armen. pp. balſ. indic. alb. ſicco &c. aut tinct. myrrh. & ſuccin. vel & plane ſicco linteo carpto. Si exilis corneæ fiſtula remaneat, animus non ſtatim, quod plerique faciunt authores, deſpondendus, ſed allaborandum eſt, ut hæc penitus claudatur atque conſolidetur, ea methodo, quam præſes docuit in diſp. de fiſtula corneæ p. 25. §. 22. tradidit, quamque ipſo confirmavit uſu. Antonius libr. cit. p. 454. certe obſervavit talem ſcleroticæ fiſtulam, poſt 8. menſes conſolidatam globulo carneo, qui è fiſtula excrevit, & cum ſclerotica coaluit.

Maculæ, cicatrices, quæ remanent in cornea poſt ſtaphylomatis partialis & exigui curationem, quomodo tractari debeant, nec non exulcerationes corneæ, operationem chirurgicam vel antecedentes, vel conſequentes, patet abunde e Præſid. diſp. de ulceribus & maculis corneæ.

Et ſicuti aliquando ſanguinis depurationem ante operationem aliquandiu moliri vel decet, vel licet, ita poſt operationem non male in nonnullis continuatur & veteri ad oculos affluxui aliud paratur colatorium per fonticulos, repetitas purgationes blandas, cucurbitulas in dorſo, humeris ſcarificatas, ſanoque oculo parcitur, quantum licet, ab aura inſalubri, nimia lectione, ſcriptura &c.

## §. XLIV.

Atque ſic indicationibus §. 29. enumeratis ſatisfecimus, ſparſim quidem. Duo ſaltim ſuperſunt *curationis palliativæ* momenta. Alterum, coſmeticum quaſi, tingendarum corneæ macularum albidarum, in quo veteres operoſe, ſed vano conatu deſudarunt. Adhibuere tincturas quaſi atramentoſas, ſcopo denigrandi maculam albidam. Quaſi vero nigra macula præſtaret alba? Inanis imo noxius eſt omnis talis conatus. Niſi enim macula ſe patiatur vel diſſipari, reſolvi, vel abſtergi, reliquis corneæ, quæ ſubſunt, lamellis diaphanis manentibus, oleum & opera perduntur.

Alterum momentum eſt, impoſitio & adaptatio *oculi artificialis*, ad deformitatem occultandam. Aſt cum præter opinionem pagellæ jam nimis excreverint, ſervamus hoc thema in aliud tempus, atque ſic imponimus finem.

FINIS.

DIS-

XXVI.

# PROGRAMMA,

DE

## OCULO ULCERE CANCROSO,

LABORANTE FELICITER EXTIRPATO

ADSTRINGENTIBUS ANTEA INTEMPESTIVE

ADHIBITIS.

*A*

CAROLO FRID. KALTSCHMIED

*FACULT. MEDIC. JENENSIS DECANI.*

Jenæ 26. Septemb. anno 1748.

VIr quadraginta annorum ophthalmia interna laborans ſiniſtri oculi, medicaſtri opem poſtulans, aquam ophthalmicam hujus ſuaſu adhibet, ex aqua roſarum cum ſaccharo ♄ compoſitam. Doloribus indies auctis, medicaſter aquam roſarum alumine impregnatam per viginti quatuor horas applicat, ſubſequentibus cruciatibus atrociſſimis auctaque bulbi oculi magnitudine ad duplum, adhibitis per aliquot diebus fruſtra ſpeciebus reſolventibus in vino coctis, vaſa in tunica adnata & ſclerotica ſcalpello aperit. Paucis vero diebus poſt tunica cornea quaſi ſcalpello hinc inde diſciſſa & indies magis magiſque elevata, tumorem protrudit cancroſum avellanæ magnitudinem ſuperantem, ex atro rubrum, ichorem foetidum continuo plorantem, quem figura ſchematis annexi prima refert. Jamque & dolores dextrum invadebant oculum, doloribus capitis ſimul urgentibus atrociſſimis. Nulla deſperato caſui relicta ſpes, niſi per exſtirpationem totius oculi ſiniſtri admota manu chirurgica. Præparato igitur probe per aliquot dies per congrua evacuantia & venæ ſectionem aliaque medicamenta corpore, oculum ſiniſtrum Deo juvante feliciter exſcidi, prout exſciſſum oculum figura 2 exhibet, momentaneumque dextro oculo ſimul attuli levamen, ita ut, doloribus fugatis, oculus [edenter] objecta diſtincte magis quam antea in ſtatu ſano cognoſcere potuerit, ac poſt tres ſeptimanas lætus ad ſuos abierit.

Inflammationes vel reſolutione, vel ſuppuratione, vel in gangrænam & ſphacelum, vel in ſcirrhum terminari experientia & praxis docet, quæ de oculi inflammationibus teſtatur, hanc non niſi reſolutionem poſtulare, niſi eventus expectandus ſit admodum triſtis, cum in aliis partibus & ſuppuratio inflammationes ad ſalutarem perducat finem. Prout autem in omnibus corporis noſtri partibus inflammatio in ſcirrhum terminata, certiſſimum promittit cancrum vel ulcus cancroſum, citius vel tardius pro diverſitate cauſarum occaſionalium generatum, ita jam aliquoties oculos extirpare coactus ſum, ubi medicaſtri adſtringentibus intempeſtive adhibitis eoſdem ſcirrhoſos & poſtea cancroſos effecerint. Idem etiam in noſtro caſu adhibitis, adſtringentibus eveniſſe in aprico eſt. In variis inflammationibus & imprimis oculorum externis levioribus præmiſſa imprimis larga venæ ſectione, vel ſcarificatione, vel ſola aqua frigida, ægros ſæpius ſanari neminem practicorum latet. Peſſime vero noſtrum ægrum ſanguineo-cholericum plethoricum, intermiſſa venæ ſectione, nullis adhibitis medicamentis laxantibus, reſolventibus, temperantibus ac diluentibus nefario auſu ſolis aggreſſus eſt adſtringentibus, quippe quæ ſtringendo vaſa minima obſtructionem eorum, inſpiſſando magis magiſque ac figendo humores, adeo pertinacem reddidere inflammationem affluxumque lymphæ blandæ quaſi ex compoſito prohibuere, ut omnis reſolutio poſtea fruſtra fuerit tentata. Certiſſimum utique experientia teſte præ omnibus adſtringentibus in ophthalmiis, præter interna medicamenta imprimis evacuantia & venæ ſectionem ſpondent levamen adhibita externa (adjectis

pro

vio re nata lenientibus) resolventia spondent, quæ simul tonum oculi partibus ita reddunt, ut discussa stasi ac robore vasis restituto, molestissimam sæpius ophthalmiam præcavere queamus chronicam, ita, ut illustris quondam Halensium *Hoffmannus* passim in scriptis elegantissimis testetur, se longe majorem usum ex adhibitis in ophthalmiis speciebus, ex radice valerianæ, herba valerianæ & euphrasiæ cum semine fœniculi in dimidia parte vini & aquæ sambuci coctis expertum esse, quam ex omnibus adstringentibus. Dignum esset argumentum cui prolixius inhæreremus, nisi instituti ratio postularet, ut ad recensendum vitæ curriculum accederemus dignissimi nostri candidati.

---

## EXPLICATIO SCHEMATIS

### Fig. I.

*Exhibet oculum ante exstirpationem delineatum*

### Fig. II.

*Bulbum oculi excissum ostendit*

a b c d e sistit fines tunicæ adnatæ f. monstrat nervum opticum abscissum.

DE

Tab. VIII.

Fig. 1.

Fig. 2.




Disp. Chirur. Tom. I. KALTSCHMIED DE OCULO CANC. pag. 544.



XXVII.

# DE MYDRIASI,

*SEU P. N.*

DILATATIONE PUPILLÆ,

# DISSERTATIO MEDICA.

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Tuebatur*

PHIL. JAC. NEUFFER

*STUTTGARDENSIS.*

Tubingæ 29 Martii 1745.

§. I.

PUpilla oculi, Græcis κόρη, γλήνη, ὄψις, Gallis *prunelle*, vel pupille, germanis, in noſtra Patria *das Kindlein im Aug*; alibi *der Stern im Aug*, aliis æquivoce *der Augapffel*, eſt naturale foramen tunicæ illius oculi internæ coloratæ, cujus lamina anterior vocatur iris, poſterior uvea.

§. II.

Foramen hoc *rotundum* eſt, *diametrum* $1\frac{1}{2}$ linear. habet, in centro fere iridis collocatum. Non eamdem ſervat jugiter amplitudinem in eodem homine: naturaliter enim & *ſponte dilatatur* notabiliter, ſi oculus in loco verſetur obſcuro, *anguſtatur* vero in loco illuminato, clariore. Quo itaque circumfuſa oculo tenebricoſa obſcuritas major fuerit, eo magis etiam ampliabitur pupilla, & quo lumen vividius incidet in oculum, eo ſtrictior evadet. Nonnihil etiam hæc diameter variat, per imminutionem, in conſpectu proximorum objectorum: & per incrementum, in viſione remotiorum.

§. III.

*Aliis* à nativitate *amplitudo* pupillæ aliquanto *major*, *aliis minor* eſt, in ordine ad alios quamplurimos, & diametrum §. 2. determinatam, citra vel ullum, vel notabile ſaltem viſus impedimentum ſuperat, niſi quod ampliore præditi pupilla luminoſo in aëre moleſtius, minuſque diſtincte videant, quam in aëre minus illuminato, & obſcuro; illi vero, qui pupillam ſervant anguſtiorem, vice verſa.

§. IV.

*Utriuſque oculi pupillæ* obſervantur *æqualis diametri*, eidem luminis gradui ſi exponantur una. Si vero oculorum alteruter palpebris obtegatur ſuis, altero patulo relicto, tunc *pupilla patentis oculi* ſubito ac notabiliter *dilatatur*: aſt in æqualem cum altera pupilla diametrum reſtituitur, ſimul ac alter detegitur oculus & eodem percellitur lumine.

§. V.

Naturalis amplitudo pupillæ *afficitur* præter naturam tum *nimia anguſtatione*, tum exceſſiva *dilatatione*, perpetuo ac conſtanti utrobique modo. Anguſtationis & receſſus à naturali diametro in minorem graduales ſunt

differentiæ : quando nimirum tam arcte ſtringitur & occluditur pupilla, ut nullum plane foraminis relinquat veſtigium, in affectu, qui vocatur *Synizeſis* : aut quando arctior ſaltem & multo anguſtior naturali fit, in affectu, qui veteribus audit *phthiſis pupillæ*.

In *ectaſi*, ſ. *chalaſi* iridis, cum excreſcentiæ & appendiculæ iridis quaſi fungoſæ naturalem pupillæ diametrum occupant, aut lens cryſtallina opacata & intruſa infarcit, alia eſt viæ & foraminis occluſio, per obturationem.

## §. VI.

Exceſſivæ & p. n.lis dilatationis pupillæ ſpecimen præbet *Mydriaſis*, ſ. *Platycoria* : *ſitus pupillæ mutati*, à centro iridis notabiliter diſtante pupilla, in hujus *paraſtrophe*, ſ. dislocatione : figuræ autem & magnitudinis ſimul vitioſarum, in ejus *Rhogme*, ſ. ruptura ac laceratione varia.

## §. VII.

*Motus pupillæ*, reciprocus ille conſtrictorius atque dilatatorius, *labefactatur* vel imminutione & abolitione in *Akineſia*, ſ. pareſi pupillæ, ſive hæc ſit p. n. amplior, ſ. anguſtior : in *mydriaſi*, perpetua & conſtanti nimia dilatatione : motu depravato, in *Hippo*, ſ. tremore ſpaſmodico iridis.

## §. VIII.

*Mydriaſis*, μυδρίασις, εως, ἡ, dicitur l. ἀπὸ τοῦ ἀμυδρῶς ὁρᾶν, à viſu obſcuriore, quaſi ἀμυδρίασις : l. ἀπὸ τοῦ μυδᾶν, h. e. ὑγραίνεσθαι, quod pupilla ſuperfluo redundet humore [a]. Ἀμύδρωσις, obſcuratio, hebetatio, ab ἀμυδρὸς, obſcurus, ſubobſcurus, tenuis, ſynonymon aliquibus eſt ἀμαυρώσεως pro generali obſcuratione & languore. Cur mytiriaſis ſcribatur abs Platero in prax. Tract. I. non capimus? Niſi l. authoris errorem, l. typothetæ arguamus. Vocatur etiam πλατυκορία & πλατυκορίασις, à πλατὺς, amplus, ſpatioſus, & κόρη, ης ἡ, pupilla.

## §. IX.

*Mydriaſis eſt affectus oculi p. n. quo pupilla præter modum ampliatur & ampliata permanet, ſine reciproco conſtrictionis & dilatationis motu, viſu directe binc & ordinarie parum, quin ſubinde nihil fere, læſo, niſi aliquando ad ultimum.*

## §. X.

*Hippocratis* Coi ſcripta nullibi mentionem faciunt mydryaſis : quamvis ali-

[a] Joh. Gorræi definit. med. voc. μυδρίασις.

alicubi [*b*] ab eodem allegentur αἱ κόραι ἢ σμικρότεραι, ἢ εὐρύτεραι: pupillæ aut minores, aut ampliores. *Celsus* vero [*c*] de mydriasi oculorum inscripto capite sic habet: non multum ab hoc malo distat id, quod μυδρίασιν Græci vocant. Pupilla effunditur & dilatatur, aciesque hebescit: ac pene difficillime genus id imbecillitatis eliditur. In utroque vero, i. e. & paralysi & mydriasi, pugnandum est per ea omnia, quæ in caligine oculorum præcepta sunt, paucis tantum mutatis. *Galenus* [*d*] in transitu quasi attingit modo, dum pupillæ dilatationem exempli loco citat & mydriasin appellari notat. Libro tamen de symptomatum causis paulo plura habet de pupillæ dilatatione, eamque distinguit in connatam & adscititiam, semperque visui præjudicare & ad perspicaciam visus noxiam esse vult, nulla mentione facta alius cujuscumque visus p. n. affectionis. In libris vero, qui ab nonnullis Galeno tribuuntur, & *finitionibus* quidem *medicis* [*e*] definitur mydriasis: alteratio facultatis visoriæ, turbatis humoribus: in *introductione* autem, s. medico, [*f*] mydriasis appellatur, cum pupilla nihil quidem colore variat, dilatatur autem magis, quam natura poscat, ut iridis circulo fiat proxima, & visioni noceat. Obscura, vaga & inepta est mydriasis descriptio in ipsis illis finitionibus medicis p. 48. a. quod nempe sit occæcatio, quasi ferramento candente administrata.

*Oribasius* [*g*] hæc habet: cum pupillæ color nihil immutatur, sed multo quam naturaliter esse consuevit, est latior & interim lumine penitus privat, interim vero quæ videntur, multo minora apparent omnia, mydriasis malum vocatur. *Aëtius* [*h*] primum paucis meminit, inter alios oculorum affectus, pupillæ dilatationis, quæ mydriasis & platycoria appelletur: postea vero [*i*] pluribus ita tradit: mydriasis appellatur, cum pupilla colore quidem nihil abalienatur, multo vero latior quam pro naturali modo evadit, ut aliquando ad iridis circulum accedat, & quandoque in totum visum impediat. Aliquando tamen vident, verum obscure, & quæ videntur ab ipsis, omnia minora putantur, diffuso scil. spiritu visivo.

Colludit cum Aëtio *Paulus Ægineta* [*l*] de mydriasi sic statuens: cum pupilla

[*b*] Hipp. Prædictor. L. 2. S. 2. p. 102. edit. in fol. ffi 1621.
[*c*] Cornel. Celsus de re med. L. 6. c. 6.
[*d*] Cl. Galenus meth. med. L. 3. c. 2. p. m. 17. b. in principio: & de symptomat. caus. L. 1. c. 1.
[*e*] Finit. med. p. m. 48. b. lin. 6.
[*f*] Introductio, S. Medicus c. 15. p. 59.
[*g*] Oribasius Synops. L. 8. c. 44. de mydriasi.
[*h*] Aëtius Tetrabibl. 2. Serm. 3. c. 2. p. m. 327.
[*i*] Id ibid. c. 52. de mydriasi p. 352.
[*l*] Paulus Ægineta de re med. L. 3. c. 22. de morbis oculorum.

pupilla colore quidem nihil alterata apparet, verum multo latior, quam pro naturali modo, & quandoque visum in totum impedit, quandoque multum, & quæ videntur ab ipsis, omnia minora esse putantur, mydriasis appellatur affectio.

Ast *Actuarius* [*m*] novum, & illi, quod Aëtius & Paulus attulere, contrarium in visu phænomenon affert: cum pupilla, inquiens, colore nihil evariat, sed multo quam naturæ competat, latior fit, interdum ægro visionem omnino præripit, interdum plurimum adimit, ut omnia, quæ visui occurrunt, *majora*, cum tamen sint minora, esse videantur. Vitium mydriasis appellatur.

§. XI.

Nolumus plures è veteribus authores cumulare, tantoque magis, quod alius ex alio textum exscripsisse modo, paucis mutatis, neuter vero, vel unus certe vix alterve affectum hunc aut vidisse, aut observasse attentius, aut prudenter distinxisse videantur. A Græcis profecto, supra allatis, authoribus semel imbuta servavit odorem testa diu apud Arabes non tantum, sed varios etiam in occidente Medicos. Celeber. circa finem seculi decimi sexti Medicus, *Mercurialis* [*n*] multa retinuit de veterum næniis, ingeniumque torsit in reddenda ratione putatitii illius, quasi essentialis phænomeni, de apparentibus in mydriasi objectis minoribus, quam revera sunt.

§. XII.

Inter primos, qui de phænomeni hujus veritate dubitaverint, eminet ingenio praxique felicissimus ille Felix *Platerus* [*o*]: qui, necdum inquit, etsi talis pupillæ dilatatio eveniat, res, quæ cernuntur, minores quam sunt, repræsentari, sicuti aliqui opinati, observare potuimus. Errorem hunc nihilominus post Platerum recoxit vir de re medica alias meritissimus, *Sennertus* [*p*]; ast *Plempius* [*q*] solidissime impugnavit falsum hoc assertum, mirum atque miserum esse dicens, quam tumultuentur auctores in reddenda ratione: cur in pupillæ dilatatione res minores, in constrictione majores appareant? Cum falsum sit, accidentia illa dictas sequi pupillæ constitutiones: deceptum igitur fuisse Paulum Æginetam, quem primum hujus erroris auctorem reputat, cum non respondeat vel experientia, vel ratio.

§. XIII.

[*m*] Actuarius meth. meth. L. 2. c. 7. p. m. 184.
[*n*] Hieron. Mercurialis de oculor. & aur. affect. c. 9. de pupillæ dilatatione.
[*o*] Fel. Platerus, prax. 8vo. Basil. 1609. T. 1. p. 236.
[*p*] Dan. Sennertus, pract. medicin. in 4. an. 1628. ff. L. 1. p. 3. S. 2. c. 26. p. 846.
[*q*] Vopisc. Fortunat. Plempius, ophthalmograph. in 4. Amsterod. an 1632. L. 5. c. 6. p. 326. it. L. 4. problem. 59. p. 298.

## §. XIII.

E recentioribus ophthalmiatris *Maître-Jean* [*r*] mydriasis mentionem faciens varias ejus recenset species, à semetipso observatas: ast ne verbulo meminit talis objectorum diminutæ magnitudinis. *Yvesius* autem [*s*] neque nomen, neque descriptionem, nec exempla mydriasis habet, nisi eo trahere velis, quæ sub titulo guttæ serenæ imperfectæ complectitur. *Taylor* [*t*] longa quidem enarrat serie, & numeris, pro more suo, magis, quam nominibus distinguit varios uveæ ac pupillæ affectus, quorum nonnulli quidem ad mydriasin referri possent, nisi omnes comprehenderent visus l. omnimodam, l. notabilem, eamque l. subitaneam, l. successivam abolitionem atque imminutionem, nullibi inter hæc facta mentione singularis illius in mydriasi, à plurimis authoribus asserti, phænomeni, de apparentibus objectis, minoribus quam actu sunt.

## §. XIV.

Pro complemento confusionis opinionum duos superaddimus ocularios scriptores Anglos, *Banister* [*u*] & *Read* [*x*] quorum uterque contrarium adstruit in visione phænomenon illi quod plerique asserunt cæteri: illos scil. qui mydriasi laborant, opinari omnia quæ vident objecta esse majora, quam revera sunt. Neuter horum reddit rationem, cur circa hoc momentum à veteribus, primisque authoribus græcis dissentiat, & vel exemplis, vel autopsia confirmat assertum. Cætera quoque satis jejune obiterque hunc affectum ambo pertractant, atque Banister quidem ex aliis, quæ habet, sine judicio exscripsisse, Read vero è charta Banisteri transtulisse eadem in suam papyrum, absque ulla vel emendatione, vel mutatione notabili videntur.

§. XV.

[*r*] Ant. Maître-Jean. Traité des malad. de l'œil, en 8. à Troyes 1711. p. 2. c. 5. p. 309.

[*s*] De St. Yves Traité des malad. des yeux. en 8. à Paris 1722. p. 2. c. 28. p. 346. ff.

[*t*] Jean Taylor Mechanisme de l'œil, en 8. à Paris 1738. c. 48. p. 342. ff. inprimis §. 212.

[*u*] Richard Banister: a Treatise of one hundred and thirteene Disease of the Eyes, and Eyelidds. Lond. 1622. in 12mo S. 6. c. 1. de mydriasi, ubi, cum statim in principio dixerat, visum aut valde debilitatum, aut penitus esse deperditum, paulo post subjicit: They which are troubled with this disease, thinke every thing which they see, to be greater then it is. h. e. quicumque hoc affecti sunt morbo, putant quamlibet rem, quam vident, esse majorem, quam est.

[*x*] William Read, a short but exact Account of alle the diseases, incident to the Eyes. 8. Lond. sine anno. L. 6. c. 1. p. 127. Iisdem tantum non utitur verbis, quibus Banister.

§. XV.

Tanto igitur ophthalmiatriæ cultoribus oportet esse gratiora, quæ cum publico ante paucos demum annos communicavit de mydriasi observata atque ratiocinia *Dn. Demours* [y], vir in oculari studio non obiter versatus. Contractam dabimus, quam recenset amplissime, jugique commentario docte illustrat, illam historiam: Fœmina 60. an. temperamenti sicci ac cholerici, è trimestri ophthalmia oculi sinistri prægressa non modo gravem retinuit oculi sinistri inflammationem, salvo in totum dextro, sed & palpebras habuit inflammatas tumidasque, corneam ulcere superficiali, longo, lineari, transversim, paulo infra centrum corneæ, extenso obsessam & à lateribus hujus lineæ ulcerosæ aliquantum turbatam, s. opacatam, sic tamen ut trans hancce maculam observari potuerit tum forma pupillæ, tum color iridis: pupillam valde dilatatam, irregularem & immobilem: visum hebetem non modo, & confusum, ut litteras alicujus libri majusculas vix, minores plane non perceperit, sed ita quoque depravatum, ut hoc affecto oculo pupillaque valde dilatata, omnia objecta viderit multo minora, quam sano oculo, cujus pupilla multo fuerat angustior sive naturalis. Feliciter denique post trimestrem curam restituta est, cuncta phænomena morbifica evanuere, excepta tenui nebula, corneæ obducta, pristino ulcusculi vestigio: pupilla naturalem successive recepit diametrum, mobilitatem atque figuram, visusque est restitutus p. 356.

§. XVI.

Hanc tamen visus affectionem in mydriasi singularem, qua videntur objecta minora, quam revera sunt, non esse symptoma mydriasis vel ordinarium, vel essentiale ipse agnoscit Demours l. c. p. 374. §. 4. hinc quoque causam ejus alibi quærit statuitque, quam in pupillæ dilatatione, ut itaque individualis hic casus mydriasis fuerit complicatus non saltem cum ophthalmia, sed & cum singulari illa objectorum apparentia, qua magnitudinem diminutam.

§. XVII.

*Phænomena* mydriasis *antecedanea* sunt: oculi naturaliter magni, amplis præditi pupillis, iridibusque s. fuscis, nigrisve s. cæsiis; fallitur tamen oppido *Plempius* in ophthalmograph. L. 5. c. 6. p. 327. s. opinatus, utplurimum ab ortu homines eas nancisci pupillarum figuras, nec facile ab externa causa, vel interna dein adipisci: nimis facile consentit etiam illis,

[y] P. Demours, med. de Paris, observations concernant l'histoire naturelle & les maladies des yeux. Quæ subjunguntur versioni ejus gallicæ observationum societatis in Scotia Edimburgensis. 8vo. à Amsterd. 1741. p. 344. ff.

illis, qui prætendunt nigros habentes oculos, fere magnis esse pupillis, ideoque in pupillæ dilatationem præ reliquis promptius incidere: frequens enim observatio non confirmat. Ætas puerilis accusatur ab *Aëtio*, loc. supra cit. aliisque, ob tunicarum, quod prætexunt, debilitatem. Squalor carceris tenebrosi longus, propter quem pupilla magis magisque dilatata ac diu talis persistens amittit vim se contrahendi. Medicamenta narcotica, copiose vel diu oculis applicita, de quibus solide differit *Galenus* [z]: quod nimirum medicamenta ex opio mandragora & hyoscyamo, doloribus oculorum adhiberi solita, nulla alia re sublati ad præsens doloris speciem præstent, quam quod ipsum sensum obstupefaciant, hinc multos, cum liberalius fuissent admota, nunquam naturalem statum recepisse, sed ex his principio quidem obscure ac ægre vidisse, tempore vero hypochysi, suffusione, vel mydriasi, pupillæ nimia dilatatione, vel tabe, vel corrugatione correptos fuisse.

Plaga, impetus violentior, allisio similesve injuriæ, vel detecto oculi bulbo, vel palpebris obtecto exceptæ. e. g. pila in sphæristerio violenter oculo impulsa: cujus ad finem dissertationis duo proferemus exempla è propria praxi, simillimum vero aliud legi potest apud *Forestum* [a], qui & tibicines sæpe mydriasin incurrere observavit, quod buccis fortiter inflatis canunt. Ophthalmia, s. sicca, s. humida, occupans interiora oculi. Paralysis nervorum oculi, quinti paris maxime ac optici. Unde mydriasin subinde præcedunt palpebrarum bulbique paralysis, atque gutta serena incipiens & perfecta. Hydrophthalmia, s. nimia humoris aquei abundantia, oculi hemisphærium anterius non modo, sed & pupillam distendens *. Turgescentia vitrei p. n., lentem crystallinam impellens in pupillam, unde hæc dilatatur. In colliquatione vitrei prætendit *Woolhousius* pupillam naturali ampliorem & semper quasi immobilem, visumque admodum esse impeditum.

## §. XVIII.

*Phænomena constitutiva & concomitantia*: primaria sunt ac pathognomonica (α): pupillæ amplitudo præternaturalis, nimia: eaque (β) constans perpetua, ad lucis appulsum atque frictionem palpebræ superioris, se non moventis, vel constringentis. Dilatatio per gradus ordinarie augetur, aliquando etiam subito fit maxima, præsertim à causis & injuriis externis. Maximus is dilatationis gradus est, quando pupilla sic ampliatur, ut iris fere se totam retrahat ad circulum corneæ internum, suique vix relin-

[z] Galenus de meth. med. L. 3. c. 2. p. m. 17. a. in fine.
[a] Petr. Forestus observ. L. 11. de morb. oculor. obs. 28. p. 35. in observ. & scholio.
* vid. Præsid. disp. de Hydrope oculi p. 11. §. 20.

relinquat vestigium, ac admiratione dignum sit, quorsum se condat adeo notabilis portio iridis uveæque? Circulus pupillæ hic p. n. dilatatus ordinarie regularis est & æqualis, aliquando autem irregularis, distracta magis ad hoc vel illud latus pupilla: aliquando magis elliptica fit (γ). Pupillæ sua constat naturalis nigredo, ut vulgo loquuntur, sive pupillam hanc dilatatam inspicientibus apparet vacuum quasi, non illuminatum, obscurum, simili modo, quo per foramen majus, minusve è longinquo in vacuum alicujus conclavis intuentibus illud ipsum videtur nigrum esse. Nebulosa tamen quædam levis perturbatio diffusior atque profundior, quam crystallini incipiens opacatio in cataracta, observatur introspicientibus, pro varia distantia & oculi commotione, accedere & recedere (δ). Mydriasin plusquam duodecies in homine observavimus, nunquam vero conjunctam visionem illam depravatam, cujus primum Oribasius aliique subsequi fecere mentionem, (§. 10.) minutiorum sc. apparentium objectorum, quam actu sunt, notavimus, nec talem unquam è pupillæ dilatatione, qua tali, proficisci posse audacter statuimus. Unde suspicamur, veteres illos medicos aut ipsos nunquam mydriasin vidisse, vel attentius observasse, aut aliquem horum revera quidem visionem illam depravatam deprehendisse, sed in mydriasi complicata, qualis illa fuit Dni Demours, (§. 15. 16.) atque dehinc ex accidentali phænomeno essentiale, & extraordinario constituisse ordinarium, citra rationem ac experientiam.

Imo vero plures vidimus, (confer. exempla cas. ad finem dissertationis hujus) quibus sub maxima etiam pupillæ præternaturali dilatatione visus tam perstitit salvus, ut omnia objecta distinguere ac litteras legere valuerint (ε). Sed exempla quoque sunt non infrequentia visus in mydriasi hebetis, nebulosi, confusi, ut nonnisi majora distincte perceperint objecta (ζ). Quo magis exponitur pupilla p. n. dilatata lumini fortiori, eo major est confusio visus, imo aliquibus luminis sensus molestior: unde (η) in loco mediocriter illuminato commodius atque distinctius vident: (ϑ) visus in aliquibus vel statim in principio, vel successive factus obscurior, aliquando tandem plane aboletur, tumque vel complicata statim fuit gutta serena, vel superacceſſit, atque sic mydriasis abiit in talem guttæ serenæ speciem, quæ secum habet pupillæ dilatationem: vel gutta serena incepit cum mydriasi. Accuratioribus enim hodiernorum observationibus [b], propriis etiam quamplurimis nostris certum est ratumque, guttam serenam non absolute nec semper comitem habere dilatationem pupillæ, quin potius guttas occurrere serenas, quæ aliquando naturalem servant pupillæ amplitudinem, aliquando præternaturalem adscisciunt angustiam.

## §. XIX.

*Differt mydriasis* à reliquis pupillæ affectibus, & quidem ab *ipsa amaurosi*

[b] Dnn. de St. Yves, Taylor, Demours, & aliorum.

*vrosi & gutta serena*, quod in his visus, absque vitio extus conspicuo, vel subito totus aboleatur, vel magis magisque descisscat in plenariam cæcitatem, sive p. n. ampliata sit pupilla, s. nimium constricta: *à phthisi pupillæ*, quod illa nimiam pupillæ dilatationem, hæc nimiam importet angustiam: *ab Akinesia*, quod hæc fixam, immobilem, aut segnem certe, respectu motus sui contractorii supponat pupillam, absque diametri augmento p. n.li: à *Parastrophe*, quod hæc pupillæ dislocationem & remotionem à centro iridis notabilem innuat: à *ruptura*, *laceratione pupillæ*, quam ῥωγμὴν appellat *Woolhousius*, quod hæc circularem pupillæ ambitum plane destruat, & plus minus irregulariter patentem efficiat & hiulcam.

## §. XX.

*Species mydriasis* facimus: *naturalem*, improprie sic dictam, quæ insignem quidem & extraordinariam importat dilatationem pupillæ, sed absque motus pupillæ visusque læsione, qualis vel connata est, vel adscititia, successu ætatis demum acquisita, à causis externis & internis: *sympathicam*, aut *symptomaticam*, quæ non ipsius uveæ iridisve culpa, sed alienæ partis accidit vitio, à causis, circa finem §. 17. allegatis: *idiopathicam*, s. *essentialem*, in ipsius uveæ quadam parte fundatam.

## §. XXI.

*Phænomena consequentia*: Recens, non inveterata mydriasis curatur facilius, uti testantur exempla, quæ notavit *Forestus*, *St. Yves*, *Demours*, nostraque ipsa &c. Nec quæ naturæ lege habetur, bona est, nec quæ p. n. est, inquit *Galenus* [*c*]. *Celsus* autem asserit [*d*], quosdam sine ulla manifesta causa subito occæcatos fuisse: e quibus nonnulli, cum aliquandiu nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperint. Analogice alvi profluvium superveniens ophthalmiâ correpto, bonum *Hippocratis* [*e*] huc etiam spectare videtur.

Commodum aliquod e pupillæ dilatatione, per nativitatem contracta, laudat *Platerus* [*f*] exemplo alicujus, cui cum pupilla contigisset amplissima, licuit capite immoto per visum dignoscere objecta non saltem directè jacentia, sed & in lateribus dissita, quod & propria, in se ipso facta olim observatione confirmat. Propria pariter experientia & in multis aliis repetita, evincit visionem in utroque oculo similem permanere, etiamsi alterius

[*c*] Galenus de symptomat. caus. L. 1. c. 1. p. m. 14. f.
[*d*] Celsus de re medica L. 6. c. 6.
[*e*] Hipp. aphor. S. 6. §. 17.
[*f*] Platerus prax. L. 1. c. 7. de vis. læs. p. 23. b.

rius oculi pupilla multo ſit amplior, quam alterius: hos etiam veſperaſcente cœlo, aut in loco non admodum illuminato, acutius videre reliquis hominibus, atque ſic mydriaſin hanc exiſtere cauſam aciei viſus veſpertinæ recte judicat idem *Platerus*.

Reſpiciunt hæc maxime à nativitate contractam, pupillæ majorem dilatationem, quæ per plurimos vitæ annos ſine ulteriore labe & vitio viſus durare poterit; præternaturalis vero pupillæ dilatatio, & mydriaſis ſtricte ſic dicta, ſeu ab externis, ſeu ab internis inducta cauſis, eodem veſtigio diu ſtare non ſolet, quin graviorem in viſus læſionem ac abolitionem invaleſcat, præcipue ſi oculus eadem laborans, luci vividiori ſæpius exponatur. Simili enim ratione tum excæcantur, ac qui e diuturnis ſubito protracti tenebris, viſu ante gaviſi adhuc, hunc repente perdunt omnem.

## §. XXII.

Quamvis enim recentem, neque gravibus aliis complicatam affectibus mydriaſin curabilem eſſe, contra *Plempium* [*g*] alioſque, evincant vel ſola Foreſti, Demours, St. Yves, noſtraque exempla, & *Hippocrati* videantur [*h*] pupillæ aut minores, aut ampliores factæ meliores eſſe illis, quæ cæſium, aut argenteum, aut cœruleum nactæ ſunt colorem; tamen veriſſimum eſt *Galeni* effatum [*i*]: nec quæ naturæ lege habeatur pupillæ dilatatio, nec quæ p. n. ſit, bonum eſſe, & dudum annotavit *Avenzoar*, [*l*] dilatationem pupillæ, ſi negligatur, tranſire in cataractam.

*Woolhouſius* tam in dictatis, quam explicatione orali vix aliquot lineis, ad rem ſpectantibus, affectum mydriaſis tetigit plurimaque omiſit ad rhombum facientia, recte tamen monuit, peſſimam eſſe mydriaſin, cum paralyſi muſculorum oculi, aut ſpaſmo muſculi iridis (hippum intelligit) conjunctam. Prioris ſymptomatis dabimus infra §. 36. ſpeciem caſu admodum ſingulari. Sive igitur paralytici quidpiam in palpebris, oculique muſculis anteceſſerit, ſive conſecutum ſit mydriaſin, metus imminet plenariæ tandem viſus abolitionis: & vice verſa ſi viſus imminutionem æquis paſſibus comitetur pupillæ dilatatio, tanto minus de mydriaſi bene ſperare licebit, & ne quidem de cura ſomniare, quæ ſcil. reſolutis fibris uveæ muſcularibus in confirmato malo nullum porro locum invenit.

§. XXIII.

[g] Plempius, ophthalmograph. L. 5. c. 6. p. 329. §. 8. inquit: conſcribunt practici curationes mydriaſis & tabis pupillæ: & multi in obſervationibus ſuis per exempla edita omnes earum pene ſpecies ſanatas affirmant. Ego medius fidius nulli eorum veram mydriaſin, vel tabem pupillæ curandam obtigiſſe affirmaverim: vel ſi contigerit, non curaſſe eos.

[*h*] Hipp. prædictor. L. 2. S. 2. p. 102.

[*i*] Gal. de ſympt. cauſ. L. 1. c. 1. p. m. 14. f.

[*l*] Avenzoar. oper. pract. theiſir dicto L. 1. tract. 8. c. 7.

§. XXIII.

Mydriasis illa symptomatica, quæ nonnullis hydrophthalmia & empyesi laborantibus, aut à lente crystallina, pupillæ incuneata accidit, fata sua habet communia cum ipsis suis, unde pendet, affectibus; his enim tempestive debiteque sublatis, evacuatis, dissipatis, locove motis tollitur & ipsa mydriasis, nisi, ex diuturnitate nimiæ dilatationis, proprium & immedicabile vitium contraxerit uvea, vel per modum paralysis, l. obrigescentiæ & corrugationis.

§. XXIV.

*Pathologia.* mydriasis maxime referenda videtur *ad morbos conformationis*, qua vias p. n. patulas hiantesque, respectu np. phænomeni essentialis in diametro pupillæ auctiore, s. majori amplitudine. Symptomatum classi ea vindicari videtur, & actionis quidem animalis, in sensu visus, læsæ ac imminutæ, si is notabiliter sit labefactatus: actionis depravatæ, si vere observentur objecta minora, quam actu sunt: actionis animalis, in motu, abolitæ, respectu impotentiæ motus contractorii pupillæ. Præferendum tamen putamus primum genus, morbi scil. conformationis, facta denominatione à potiori, licet omnino alterum quoque phænomenon, immobilitatis pupillæ, à mydriasi præternaturali, stricte sic dicta, sit inseparabile. Phænomena visus autem variant, & magis sunt accidentalia.

§. XXV.

*Subjectum morbi*, dilatationis pupillæ præternaturalis *adæquatum* est tunica oculi uvea, in toto suo concreto, qua omnes suas partes & lamellas: *principale* est tunica uveæ muscularis; fibræ enim & tunicæ musculares sunt subjectum & instrumentum motus, sicuti naturalis, ita & præternaturalis. Subjectum hoc mydriasis modo est *essentiale*, quod & morbum & causam in se habet simul, ut in mydriasi idiopathica, §. 20. modo *per consensum*, causa hærente extra uveam, e. g. in lente crystallina, in mydriasi np. sympathica §. 20. 17. 5.

*Subjectum igitur causæ* proximæ, quæ dilatationem uveæ præternaturalem producit, vel ipsi inhæret uveæ, vel aliis oculi partibus in- & externis unde consensu l. privativo, l. positivo compatitur uvea. Non potuimus hæc ex institutionibus medicis præterire, cum non modo ad accuratiorem pathologiam notorie spectent, sed viam quoque sternant ad distinctam solidamque tam ætiologiam, quam therapiam.

§. XXVI.

Sed ob graves easdem rationes ipsum hoc mydriasis subjectum, *uvea*,

ejusque foramen, *pupilla*, curatius *expendi* merentur *anatomice*, *physiologice* ac *ætiologice*. Ex anatomicis quidem ea saltem strictius prosequemur, quæ mydriasin propius tangunt. Tunica oculi *choroidea* (quam aliqui etiam vocant uveam) accedens ad commissuram scleroticæ cum cornea in circulo firmiter annectitur per fasciolam quasi aliquam, *ligamentum ciliare* dictum, replicatur vero dehinc in transversum, per modum septi transversi, tuncque vocatur *uvea*, quæ, in medio circiter [*] foramine rotundo perforata est, quod audit pupilla.

*Uvea* hæc *tribus constat lamellis*, tenuibus, arcte sibi invicem agglutinatis: *anterior*, versus corneam, est in aliquibus varie colorata, hinc *iris* vocatur: *media*, inter anteriorem & posteriorem collocata, duplici *fibrillarum*, quæ musculares esse videntur, ordine constat, altero *orbicularium*, pupillæ oram ambientium, altero *radiatarum*, ex uveæ circumferentia & basi assurgentium: *posterior*, versus crystallinum respiciens, fusco-nigra, & undulatis quasi plicis, prominulis, plurimis, è ligamento ciliari versus pupillam radiatim excurrentibus, quæ vocantur *ciliares processus*, instructa est.

*Processus* hi *ciliares* in suis extremis juxta pupillam sunt latiores ac eminentiores, angulis terminati acutis. In cujusque processus ciliaris duplicatura subtilissimum deprehenditur rete vasculorum. Assignant aliqui his processibus structuram fibrillarum musculosam. Respondent processibus ciliaribus prominulis totidem sulci, in membrana vitrei, hyaloïde, insculpti.

Plurima, quæ hactenus de uvea tradidimus anatomica, conspirant observationibus *Ruyschii*, *Heisteri*, *Morgagnii*, ac præcipue *Winslovii*. Sed cum *Merynus* rotunde asserat, nullas in iride fibras observari circulares, quibus pupilla constringi posset & angustari: *Morgagnius* etiam anceps hæreat, circa l. asserendas, l. negandas hasce orbiculares fibras, ac nuperrime scripserit *Hallerus*, se nec in homine, nec bove illas reperire, optabile vero esse, ut inveniantur [*m*]; itaque & nostras, quantulascumque, de his pupillæ fibris orbicularibus adjungemus observationes, & olim factas, & recentissime coram philiatrorum, intentis adspicientium oculis, corona repetitas:

In circulo dissecuimus scleroticam ac subjacentes internas oculi tunicas, in distantia quatuor fere linearum à conjunctione sua cum cornea pellucida. Separavimus vitreum atque crystallinum à ligamento & processibus ciliaribus, atque removimus hosce humores una cum hemisphærio bulbi posteriore, ut uveæ structuram atque confinia pupillæ scrutaremur à parte sua postica. Solvimus vero tandem quoque ipsam uveam iridemque à suis ad scleroticam adhæ-

[*] Uveam in medio hactenus diximus perforari, addito τῷ circiter: quodsi nimirum pupilla à centro iridis revera & semper distet magis versus oculi majorem angulum, ut Winslow prætendit in mem. de l'Acad. des Sc. an. 1721. p. 413. parum, certe ad nostrum thema, importat.

[*m*] Mery, mem. de l'Acad. des Sc. an. 1704. p. 352. §. 2. edit. Amstelod. Morgagnii, advers. anat. 6. animadvers. 69. p. 88. Haller in prælect. Acad. Boerhaav. ad instit. vol. 4. p. 146. not. nro. 2. & p. 148. not. b.

adhæſionibus, ut iridem ac pupillæ limites à ſuperficie harum anteriore rimaremur. Utrobique vero non ſaltem naturale illud pigmentum, quo obducuntur perpetuo, & uvea quidem fuſco-nigro, ſubinde & iris, hæc vero in aliis, cæſio, griſeo, ſed & tenuiſſima quædam lamella, fibris muſcularibus impoſita, diſtinctas fibrarum muſcularium directiones obvelat, in iride præſertim, & circa limbum pupillæ anteriorem pariter ac poſteriorem, ut ne quidem radiatæ fibræ, de quibus tamen nemo hodie dubitat, in iride veniant in conſpectum, in averſa quidem parte, ſ. in uvea manifeſtiores.

Unde ſuſpenſa manu & placidiſſime appreſſimus ſpongiolam mollem, humidamque, ut pigmentum illud abſtergeremus atque tolleremus ſucceſſive. Comparuerunt hinc evidentius ſtatim fibræ radiales, in uvea præſertim, ad limbum pupillæ excurrentes. Circa pupillam quidem, unius vel ſeſqui-lineæ circiter latitudine, alia ſtructura, alius ordo videbatur, ſed non diſtincte orbicularis, donec ſcalpello placide abraderemus lamellam tenuiſſimam, & fibris radiatis & pupillæ impoſitam limbo, atque tum demum manifeſte circulares, ſ. orbiculares, pupillam ambientes, plurimas, proxime ſibi adjacentes detegeremus fibrillas muſculares, latitudine, quam diximus, unius, vel ſeſqui-lineæ. Conſpeximus illas & nudo, & variis, optimiſque microſcopiis armato oculo, evidentius in parte uveæ, lentem cryſtallinam reſpiciente.

Si quis dubitet, muſculares eſſe has fibras, & orbiculares & radiatas, reſpondemus: colorem habitumque illis eſſe, inſtar alius tenuis fibræ, indubitato muſcularis, diſtinctas obſervari à vaſculis ſanguineis, cera artificioſe repletis: diſtinctoſque ſiſti circulos ſanguineo-vaſculoſos, majorem & minorem Ruyſchii atque Hovii: à nervorum indole remotiſſimos eſſe: ideoque motui uveæ, ſ. pupillæ, dilatatorio & conſtrictorio inſervire explicando, hunc vero omnium optime ac expeditiſſime tribui fibris muſcularibus.

Hactenus enarratæ obſervationes manifeſtiſſimæ ſunt in bovis atque ſuis oculo, quos nuperrime exploravimus. Similia vidimus plus ſemel in oculo humano, in quo autem eaſdem proxime repetemus. Supponimus ergo ſufficienti cum certitudine demonſtratas eſſe orbiculares pupillæ fibrillas, ceu hujus ſphincterem.

## §. XXVII.

*Nervis* inſtruitur *uvea* quamplurimis, aſt ſubtiliſſimis. Scilicet è pari tertio nervorum, è medulla cerebri oblongata prodeuntium, oculorum motorio dicto, formatur intra oculi orbitam, cum ramulo quinti paris, ejuſque ophthalmici ſuperioris ganglion lenticulare, è quo plurima filamenta exeunt nervea, quæ nervum opticum ambiunt, una cum pluſculis vaſis ſanguineis, illiſque ſociantur ac immiſcentur ramuli nervei è ſexto pari. Ex omnibus hiſce nervis atque ſanguineis vaſculis formantur faſciculi vel chordæ, quorum alter altero craſſior eſt, ſic tamen ut craſſiſſimus diametro non ſuperet $\frac{1}{6}$ lineæ. Intrant dehinc ſcleroticam, alii in diſtantia $1\frac{1}{2}$ linearum à nervo optico, alii $2\frac{1}{2}$ linearum, alii trium linearum. Neque tamen mox totam perfodiunt ſcleroti-

roticam, ſed intra ejus ſubſtantiam proreptant longitudine 2. vel 3. linearum, tum vero demum interiore ſcleroticæ ſuperficie perforata decurrunt inter ſcleroticam atque choroïdeam, numero tres, quatuorve, aliquando ſex vel octo, æqualibus fere intervallis, & uveæ tandem appropinquantes dividuntur in ramulos, quorum plurimi radiatim diſtribuuntur per uveam, reliqui ligamento inſeruntur ciliari: ſuntque hi ipſiſſimi illi nervi, qui Ruyſchio ciliares audiunt, atque Petit, medicus, pupillares eſſe potius vocandos reputat.

Claris. *Petit*, medicus, in *memoir. de l'Acad. des Sciences* an. 1727. p. 13. & 16. deſcribit fibrillas è ſexto pari intra orbitam ſe adjungere nervis è mox recenſito ganglio exeuntibus & nervos illos ciliares formantibus. Imo id. author prætendit ramificationes etiam intercoſtalis nervi, ( quem diſtinctis ramis ille contendit in quintum & ſextum par intra cranium terminari, cum alii plerique hinc oriri ſtatuant ) aſſociari ramis quinti & ſexti paris in orbita, ad conſtituendos ciliares nervos [*n*].

## XXVIII.

*Uveæ vaſa ſanguinea* ſunt primo *arteriæ*. Oritur è carotidis internæ trunco, ad latus ſellæ equinæ, truncus arteriæ ophthalmicæ egreſſus, per lateralem externum locum foraminis optici una cum nervo optico progreſſus in cavum orbitæ, dividitur in alios tres trunculos, quorum alter ſcleroticam perforans plurimis ſurculis, tam circa poſteriora, quam medium ejus diſtribuitur in uveam iridemque, & arterias ibi parit ciliares, miris, flexuoſis, circularibus & retrogradis ramificationibus ſubtiliſſimis uveam exornat iridemque; maxime vero notabiles duo hinc exſurgunt in iride circuli, major ad baſin ejus, minor verſus & circa pupillæ oram [*o*].

Ramus exoritur alius ex eadem carotide interna prope ſellam equinam, loco paulo inferiore, qui exiens foramine inæquali, ſ. fiſſura orbitali ſuperiore

[*n*] Mira hic quoque eſt authorum varietas & diſcordantia. Celeber. reliqui anatomici nihil obſervare potuerunt, quod à ſexto pari accedat nervis ciliaribus. Morgagnius etiam epiſt. 16. n. 55. conſectarium Petiti refellit, quod ab experimentis diſſectorum in canibus vivis nervorum intercoſtalium in collo, & hinc enatis in oculo phænomenis deduxit ille, ſcil. concurrentium é nervis intercoſtalibus ramulorum ad compoſitionem nervorum ciliarium. Variat autem ipſa natura paſſim & notabiliter in origine, diſtributione & numero nervorum. Facilis præterea lapſus eſt, & error in evolvendis & diſtinguendis nervorum ramulis tenuiſſimis, varie implicitis.

[*o*] Ruyſchius delineat paſſimque deſcribit hos circulos arterioſos in homine, vitulo, balæna. epiſt. problem. 13. tab. 16. it. theſaur. anat. 2. tab. 1. Faſciculum authorum & deſcriptionum collegit diligentiſ. Haller, vid. ejus notas ad prælect. Boerhaav. vol. 4. p. 94. not. d. p. 150. not. a. Item ejuſd. icon. anat. nervorum & arteriar. oculi, in icone oculi dextri nro. 1. 2. 3. 4. Hovius in tract. de circul. humor. motu in ocul deſcribit paſſim & arterioſum & venoſum circulum, imo diſtincte nitideque delineat in tab. 2. & 5.

riore in orbitam, diſtribuitur pluſculis ramificationibus, quæ medium ſcleroticæ perforantes implantantur maxima parte in choroïdeam. Venæ, his arteriis reſpondentes, ſanguinem ex oculis referunt partim in venam jugularem internam mediantibus ſinibus orbitalibus, cavernoſis, petroſis, partim in venas jugulares externas.

## §. XXIX.

Sufficiant hæc anatomica pro ſcopo præſenti. Ante vero quam explicare adgrediamur pupillæ præternaturalem dilatationem ac immobilitatem, prælibare quædam decet de *modo cauſiſque naturalibus*, *quibus* in ſtatu ſano & *dilatatur* & *conſtringitur pupilla reciproce*, juxta phænomenon §. 2. Si fibræ muſculares radiatæ, ex uveæ baſi aſſurgentes, atque orbiculares, oram pupillæ cingentes, in quas terminantur priores radiatæ, queant demonſtrari, uti quidem demonſtratas §. 26. putamus, res erit in ſalvo. Has quidem, orbiculares ſ. circulares ſphincterem pupillæ conſtituentes, in balænæ boviſque oculo manifeſte obvias, putat celeber. Heiſterus [*p*] facilem ac perſpicuam rationem ſuppeditare, qua ratione pupilla contrahatur atque anguſtetur, atque ſimul è ciliarium proceſſuum ſitu ac natura intelligi dilatationem pupillæ, ut hinc commento illo Meryi [*q*] opus non ſit, qui, cum fibras iridi circulares, quibus pupilla poſſit contrahi, deneget, ſolas vindicet rectas, in peripheria uveæ terminatas, corporum cavernoſorum penis æmulas fingit, l. cit. p. 360. quales ergo elongentur, prout plus minus animentur ab influis ſpiritibus animalibus, cum alias omnino fibra muſcularis, actuata ſpiritibus animalibus, ſe contrahat ac abbreviet [*r*].

Alium modum excogitavit ingenioſe *Haller* [*s*], aliqualiter ideæ Meryanæ, aut Fabricianæ correſpondentem hoc problemate: an forte cauſa eſt, inquit, in nervulis ligantibus venulas minimas, retinentibus humorem in vaſculis arterioſis iridis, ut diſtenta pupillam arctent. *De la Hire* [*t*] varias comminiſcitur cauſas mutuæ dilatationis ac conſtrictionis pupillæ, fibraſque iridis radiatas muſculares, ad circulum pupillæ minorem, non extremum limbi, tendentes ſibi concipit in contractione conſtitutas retrahi verſus ſuum punc-

[*p*] L. Heiſterus diſput. de anatomes ſubtilioris utilitate. Helmſtad. 1728. p. 39. ſ.

[*q*] Mery, memoir. de l'Acad. des Sc. an. 1704. p. 352. ſſ.

[*r*] Hier. Fabricius ab aquap. tract. de oculo, viſus organo, in fol. Venet. an. 1600. c. 6. p. 95. virilis pudendi motui aſſimilat uveæ motum: ita, ut ſicuti penis per inſitam quamdam facultatem erigitur, eamque erectionem externum objectum movet, ita uvea tunica, inſita facultate modo dilatetur, modo ſtringatur, excitata tamen ab externa luce, oculum ingrediente. Hucuſque Fabricius! An ergo hujus veſtigiis inſtitit Mery, & allegatam facultatem inſitam dilucidavit? Quam vere, quam bene non diſquiremus prolixius? Certe non demonſtravit identitatem ſtructuræ celluloſæ, ſ. cavernoſæ fibrarum iridis motricium c. corporibus penis cavernoſis, nec reliqui mechaniſmi, qui ad penis erectionem concurrit. In anatome plus valent oculi, quam fœcundiſſima phantaſia!

[*s*] Alb. Haller prælect. Acad. Boerh. in proprias inſtitutiones vol. 4. p. 148. not. b.

[*t*] De le Hire, memoir. de l'Acad. an. 1709. p. 120.

punctum fixum, ſ. peripheriam, atque ſic dilatare pupillam; aſt ſi à contractione remittant atque reſiliant, virtute quadam elaſtica, iis muſcularibus fibris inſita, tum iterum arctari pupillam. Aut fortaſſe fibras quaſdam iidem muſculo ineſſe putat elaſticas, quæ nonniſi in hunc finem inſerviant: aut denique ſtatuendum eſſe, alium muſculum tenuem, priori incumbentem, fibris præditum circularibus, alterius antagoniſtam, quatenus hæ circulares fibræ, in actione ab invicem divaricatæ juxta ſuam directionem, occluderent pupillam, ceſſante alterius muſculi actione: huncque modum, ceu naturæ convenientiorem, ſe libentius adoptare fatetur.

*Morgagnius* [*v*] dubitat adhuc quemadmodum de fibris pupillæ orbicularibus, ita etiam de cauſa contractionis pupillæ naturali. Illas vero ulteriori ſcrutinio anatomico ſubtiliori tanto magis commendandas cenſet, quo minus, donec hæc lis planiſſime dirimatur, nè curativæ quidem indicationes affectuum motus pupillæ præternaturalium conſtitui poſſint.

Inter recentiſſimos ophthalmiatros *Taylor* [*x*] & *Demours* [*y*] cum anatomicis ſimpliciter ſupponunt duo plana fibrarum uveæ muſcularium, orbiculare & radiatum ſ. rectum; ſed phyſiologicam applicationem ſicco pede tranſeunt. Plures omittimus alios & veteres & recentiores, quoniam, quos novimus, nihil habent ultra jam allata.

Non diffitemur & nobis crucem figere tam authorum, adeo contraria fronte pugnantium, diſſenſiones quam rem ipſam. *Paucis ita ſentimus*: omnes explicationes, quæ ſupponunt fibrarum muſcularium intumeſcentiam à ſanguine arterioſo jugiter influente, ſed non libere per venas redeunte ortam, vel hoc ſatis premuntur dubio: quomodo hinc deducatur, vel ſalvetur tam pernix pupillæ reciproca dilatatio atque conſtrictio, cum ſanguis nequeat tam velocem ſubire affluxum & refluxum. Sane ipſius penis exemplo patet, nec intumeſcentiam ejus, nec detumeſcentiam, ſ. erectionem & flacceſcentiam ſubito vel fieri, vel alternare.

Qui non niſi fibrillas muſculares unius generis, radiatas, admittunt, prompte quidem rationem reddunt, cur ab earumdem contractione & abbreviatione pupilla dilatetur? Nimirum ob retrahentes ſe fibras muſculares à pupillæ peripheria verſus uveæ baſin atque ligamentum ciliare. Cur vero anguſtetur? Quoniam ſcil. remittente fibrillarum tenſione & actione, hæ iterum elongatæ longiores reddant ſuos radios muſculares, undique ad pupillam excurrentes, hancque ſic faciant anguſtiorem.

Sed quis calculum ſubduxit, an hæ fibræ muſculares tantum longitudine creſcant, quantum pupilla amplitudine decreſcit? quæ tamen proportio ſibi reſpondere debet. Qualem ſic energiam modumque agendi afferemus luci, à cujus illapſu notabiliter conſtringitur pupilla, quæque lux ſpiritus animales in fibrillis muſcularibus actuare, i. e. ad motum, ad contractionem has excitare

[*v*] Jo. Bapt. Morgagni adverſar. anat. 6. animadverſ. 69. p. 88.
[*x* & *y*] Jean Taylor lib. cit. c. 7. p. 23. Demours lib. cit. p. 379.

citare videtur. Quodſi vero lux dicto hoc modo agit vero ſimillime, tunc non poſſet non ex hypotheſi & ætiologia priore pupilla ad luminis appulſum dilatari potius, quam anguſtari; quod tamen refragatur experientiæ. Quid ſtatuemus de conſtante, perpetua pupillæ dilatatione p. nli? Anne licebit in qualibet mydriaſi idiopathica venditare pro cauſa perpetuam, tonicam, convulſivam radiatarum muſcularium fibrillarum actionem, abbreviationem, in illis quoque caſibus, ubi cuncta phænomena uno ore teſtantur de reſolutione & paralyſi nervearum atque muſculoſarum oculi partium, quemadmodum in ſubjuncto ad finem differt. caſu primo? Quomodo explicabitur p. n. lis nimiaque anguſtatio pupillæ, indies quaſi conſtrictioris, ut nullum perforationis naturalis, ſ. pupillæ veſtigium ſuperſit, imo ſubitanea aliquando pupillæ arctiſſima conſtrictio & anguſtatio à variis in-& externis cauſis, niſi ſupponantur fibræ orbiculares pupillæ, inſtar ſphincteris, nimium ſe contrahentes? Certe non patet, quomodo è meris radiatis, ſ. rectis uveæ fibris hæc totalis pupillæ arctatio & occluſio fieri poſſit? Quodſi enim illas omnes finxeris paralyticas, minime contractas abbreviataſve, tamen non poſſunt ſimplici hac relaxatione in longius maxime ſubito, excurrere, quam in ſtatu quietis & relaxationis ſuæ naturali conſueverant. Nolumus vero aut his, aut aliis diutius immorari ſuſpicionibus ac opinionibus, cum ad finem §. 26. demonſtraverimus, exiſtere revera fibras pupillæ orbiculares, eaſque muſculares.

§. XXX.

*Igitur fibras* haſce *orbiculares* pupillæ, in actionem deductas muſcularem, ſphincteris officium præſtare, *pupillam* naturaliter ad certum uſque terminum *anguſtare*, ſicque antagoniſtas eſſe radialium, ſ. rectarum, neminem putamus inficias iturum, quemadmodum & nos cum univerſa anteceſſorum caterva conſentimus, *pupillam dilatari per fibras radiatas*, quatenus hæ ſe retrahunt verſus principium punctumque ſuum fixum, baſin iridis, ſicque fibras, quibus inſeruntur, orbiculares, tunc quieſcentes retrahunt ac pupillam ampliant. Motus hic uterque eſt involuntarius, automaticus, nobis inſciis, ſ. volentibus, ſ. nolentibus exercitus [z].

*Cauſa efficiens* utriuſque motus *proxima* eſt influxus ſpirituum animalium, modo in radiatas muſculares fibras fortior, modo in orbiculares. Quæ vero ſit *cauſa determinationis* ſpirituum animalium ad hanc, illamve potius fibrarum ſpeciem, intricatior eſt quæſtio? Haud ſufficit nobis illa finalis cauſa: fieri pupillæ conſtrictionem, in loco plus, aut valde illuminato, ut ne admiſſa luce copioſa nimis fortiter percellatur organum viſus inter-



[z] Loquimur hic de hominis pupillæ motu, eoque ut ſe habet ordinarie. Contrarium enim vidimus ipſi ac mirati ſumus in fele, ulula majore & aliquot avibus indicis, quæ in eodem luminis gradu mox ampliarunt, mox anguſtavere pupillas. Rariſſime hoc evenit in homine.

num : dilatationem vero, in lumine minore, crepero, ut majore ſic intromiſſa luminis copia diſtinctius videantur objecta. Non procedit ſane hoc ratiocinium, ut duriores alios taceamus nodos, in eo caſu, ubi lente cryſtallina adeo opacata, ut vix aliqualis ſenſus luminis ſuperſit, pupilla tamen ſervat in quamplurimis ejuſmodi ægris liberrimum ſuum contractionis atque dilatationis motum [*a*] ſicque mox minorem, mox majorem admittit luminis copiam, quamvis nec imminuta hæc, nec aucta viſui præjudicare, neque etiam organum viſus primarium, ſive hoc in retina, ſive choroïdea conſtituatur, notabiliter afficere valeat.

Phænomenon eſt conſtans atque certiſſimum, in oculo ſano, contrahi pupillam ab admiſſo luminis intenſo, radiiſque vivide & copioſe per objecta reflexis : lumine vero decreſcente, dilatari pupillam. *Lumen* ergo eſt *cauſa movens excitanſque.* Sed *quomodo ?* Et cur intenſa lux magis agit in fibras orbiculares pupillam arctantes, quæ radiis tamen luminoſis, in iridem incidentibus, multo minorem offerunt ſuperficiem, quam radiatæ, dilatationi famulantes ? Lucem concipimus agere ſumma velocitate particularum ſubtiliſſimarum atque mobiliſſimarum, quibus motum imprimit ſpiritibus animalibus, in fibrillis iridis ac uveæ nerveis atque muſcularibus undulantibus ; cum vero hi radii luminoſi, corneam & humorem aqueum trajicientes ad perpendiculum refringantur, ac magis convergentes reddantur, ita major horum radiorum copia ad pupillam, ejuſque peripheriam determinatur, majorque illorum activitas redundat in fibras pupillæ orbiculares, quam radiatas, licet hæ ampliore ſpatio pateant radiis incidentibus luminoſis. Quantum vero intendantur lucendi, penetrandi, imo & urendi vires lucis ? Conſtat evidenter per experimenta e radiorum collectione & concentratione in focum [*b*]. Qui meliora ſcit, impertiat ; arripiemus ea ambabus. Redibimus nunc e diverticulo hoc phyſico ac phyſiologico in viam, &, quæ porro huc ſpectant e pathologia, proſequemur, eo nunc planiora ac faciliora, quod ſperamus, futura.

## §. XXXI.

*Subjectum cauſæ* mydriaſis ſunt fibræ iridis ac pupillæ mox radiatæ magis

[*a*] Miramur profecto quoſdam auctores ſupponere, in omni cataracta, ſeu vitio p. n.lis membranæ, ſeu lentis cryſtallinæ opacatæ orta fuerit, abolitam eſſe pupillæ contrahendæ potentiam. Ex illorum quidem hypotheſi hoc fluit conſectarium. Sed refragitur experientia. Haud ita pridem depoſuit, ſpectantibus plurimis Philiatris, præſes fœminæ cataracta laboranti lentem cryſtallinam, viſu, qui antea nonniſi luminis diſcrimen à tenebris fœminæ reliquerat, feliciter reſtituto, pupilla vero ejus ſaniſſimæ, qua diametrum & mobilitatem, ſimillima fuit. Non ergo aſtipulamur Demourſio, dicenti : pour que la prunelle ſe retreciſſe, il faut toujours que la lumiere agiſſe librement ſur l'organe immediat de la vuë, & cette action eſt abſolument neceſſaire. loc. cit. p. 381. §. 3.

[*b*] Supponimus hæc alibi demonſtrata in phyſicis, opticiſque.

gis illæ, mox orbiculares. Si paralysin patiantur orbiculares, salvæ vero maneant radiatæ, tum hæ tanto liberius ac efficacius se retrahentes, pupillam ampliant magis magisque ac dilatatam servant, ob impotentiam antagonistarum orbicularium: salvis vero & immunibus his orbicularibus possunt radiatæ contrahi spasmodice, aut e congestione & stasi sanguinis in circulis uveæ arteriosis & venoso abbreviari atque tendi, hoc modo æquilibrium cum orbicularibus superare ac pupillam efficere diuque retinere patentiorem. Casus, quem desideratis. noster beatus *El. Camerarius* [c] recenset, testatur e nervis, extra cavum oculi adhuc constitutis, aliquem facta irritatione, per vulnusculum in cantho interno sinistri oculi exiguum, inducere eidem posse non saltem mydriasin, guttam serenam & palpebræ superioris paralysin, sed & dextro oculo caliginem atque toti dextro lateri hemiplexiam. Stupendo plane exemplo!

Eveniunt supra dicta in mydriasi idiopathica: verum in sympathica potest utrisque fibris muscularibus, & radiatis & orbicularibus, in se nulla labe affectis, tamen violenter pupilla distendi, & dilatationem perpetuam subire ab infarctu & incuneatione per lentem crystallinam, tumidam, antrorsum protrusam, capsula sua solutam, aut per grumum sanguinis &c. Atque sic sponte sua patet, quæ sint utriusque mydriasis variæ causæ proximæ?

## §. XXXII.

Supereſt, ut *phænomena quædam explicemus.* Si fibrarum orbicularium solarum supponatur paralysis, quomodo fit, ut radiatæ potentiam motus servent, cum tamen nervi, & radiatis & orbicularibus inserti fibris muscularibus, unius ejusdemque sint originis atque propaginis, muscularium autem fibrarum resolutio pendeat ab impedito & abolito spirituum influxu in nervos? Videntur *vel* illi ramuli nervorum, qui in ligamentum ciliare excurrunt distincti, radiatis uveæ fibris immersi, perstare immunes: reliqui vero tenuiores per uveam excurrentes ad pupillam, hujusque fibras orbiculares, omnino p. n. affici posse cum effectu paralytico: *vel*, etiamsi utramque fibrarum uni eidemque trunci atque rami forent nervei, tamen eorumdem aliquando extrema saltem debilitari ac resolvi posse, salvis truncis & exinde profectis ramulis lateribus. Ultima hæc ætiologia videtur magis inservire illi explicandæ mydriasi, quæ ab ictu impetuque externo vel confestim, vel brevi post inducitur, quatenus à violentia percussionis tenerrima nervulorum filamenta, fortem subito passa compressionem atque constrictionem, idem subeunt fatum, quale nervi per Anatomicorum experimenta patiuntur à pressione, ligatura, abscissione.

Quanta sit ejusmodi percussionum vis plurima demonstrant exempla e. g. baculi teretis, non acuti validissima ac perniciissima impulsio ad abdomen, citra ullam continui solutionem, sed tamen ex opposito crepantis hinc le-



[c] El. Camerarius in E. N. C. cent. 3. obs. 55. p. 130.

thaliter medii renis, quale haud ita pridem Stuttgardiæ habuimus tragicum ſpecimen. Imo percepimus à fide dignis, cæcitatem utrique oculo fuiſſe ſubito inductam à globo tormentario majore, non ignito, propius ante oculos prætervolante.

*Viſus* in mydriaſi *læditur*, vel quatenus in luminoſo loco nimium percellitur, à tranſmiſſis copioſe radiis, organum viſus principale, atque ſic objectorum perceptio partim fit dolorifica, partim confuſa & obſcura, atque hinc in loco mediocriter illuminato commodius atque diſtinctius vident. Unde quidem facile fit, ut alii lumine fortiore diu perculſi in cæcitatem incidant denique: alii vero & robuſtiores ſucceſſive huic lumini adſueſcant, illudque tolerent impune. Virum vidimus, cui & vulnere oculi & ſubnato hinc ſtaphylomate periit, & ablata eſt dimidia pars, ſ. ſegmentum, iridis uveæque, perpendiculari abruptione, ſicque, loco uveæ, cujus ſaltem in altero reſtante ſegmento ſuperfuit rimæ, non foraminis rotundi, veſtigium, magnus relictus eſt hiatus, ſed tamen viſus ſimul eouſque ſalvus, ut forficem, annulum, bacillum ceræ hiſpanicæ & ſimilia groſſiora diſtinguere valuerit objecta.

Cæterum cum pupilla, l. amplior, l. anguſtior mutare angulum opticum nequeat, ideo nec majora, nec minora, quam revera ſunt, viſu percipiuntur objecta: atque ſic à priore & poſteriore patet, (conferatur §. 18. lit. *d*.) in mydriaſi, qua tali, & per ſe, objecta nec majora, nec minora apparere, quam alias ſano percipiuntur oculo. Unde phænomenon illud μικροβλέψεως, quod Dn. Demours in mydriaſi obſervavit, §. 15. ceu adventitium, accidentale tranſmittimus hac vice, quia ſtricte & eſſentialiter non ſpectat ad mydriaſin. Plura non addimus ætiologica, ne videamur nimis prolixi.

## §. XXXIII.

*Therapia.* Indicationes curativæ ſunt.

1. Nervorum obſtructiones reſerare.
2. - - - ſtricturas relaxare.
3. - - - preſſiones tollere.
4. Fibras uveæ orbiculares roborare.
5. Congeſtiones atque ſtaſes humorum in iride ac uvea reſolvere.
6. Cauſas pupillam infarcientes & obturantes tollere.

Palliativæ vero ſunt: 1. Impedire nimium noxiumque luminis ingreſſum.

2. Prævenire progreſſum cauſæ morbificæ ad alios nervos oculi & affecti, & ſani.

Indicata & *materia indicatorum è* tribus ſic dictis hauritur *fontibus*, & primo quidem *chirurgico*, ſuis quæque indicationibus debita attemperanda. In caſu plethoræ, congeſtionis ſanguinis ad caput & oculum præſenti, vel me-

metuenda ophthalmia interna, vel alia etiam ſtagnatione ſanguinis in uvea citra inflammationem, ſimilibuſque caſibus locum habent *venæſectio* revulſoria in pede, vel brachio lateris affecti, repetita etiam vel in brachio, l. jugulo: aut *cucurbitulæ ſcarificatæ* profundius, & repetitis ictibus, in dorſo: aut *hirudinum applicatio* ad tempora, pone auriculas: vel propiore adhuc ſcopo derivandi, præmiſſa tamen venæſectione revulſoria, *blepharoxyſis* per xyſtrum vegetabile (de quibus olim publice egimus abunde) & hinc, repetita aliquotiés hac operatione, liberalior ſanguinis ſerique procurata excretio. Ipſe cum operatione junctus dolor vim ſtimuli ac revulſionis ſimul exercet in ordine ad nervos bulbi ocularii in- & externos.

Majoris vero hoc reſpectu ſunt efficaciæ *veſicatoria* in brachiis, nucha; an & ſuper palpebra ipſa ſuperiore & ſupercilio affecti oculi? Poſita. Certe *frictionem* validam ſupercilii, oculi mydriaſin patientis, mediantibus digitis aliquid præſtare poſſe ſpem facit curioſa *Valſalvæ* in diſſert. anat. obſervatio mulieris, percuſſæ impacto ungue galli indici in alterum oculum, &, pauco hinc fuſo ſanguine, illico viſu privatæ. Triduo poſt inſpiciens oculum Valſalva, nullamque ſive extus, ſive intus deprehendens læſionem, valida pollicis compreſſione agitavit nervum ſupra orbitam oculi erumpentem, eo loco quo ex orbita emergit, hoc cum mirabili eventu, ut, cum vix hoc eſſet factum, priſtina viſio ſtatim fuerit oculo reſtituta.

In quantum huc pertineant *ſetacea*, *lobulis auricularum trajecta*, aut aliquando *enemata*, ſagax facile intelliget ophthalmiater. Si mydriaſis ſympathica pendeat ab hydrophthalmia, ab incuneata lente cryſtallina, à grumulo ſanguinis infarciente, removenda ſunt hæc impedimenta, ſi per pharmaciam nequeant, operationibus chirurgicis diverſis, de quibus autem recentius alio vel actum jam eſt, vel agetur adhuc, loco.

## §. XXXIV.

*Fons pharmaceuticus* ſuggerit primo *externa*, topica, varia in varios ſcopos: diſcutientia, reſolventia: tonica, roborantia, ſubadſtringentia: aliquando utraque mixta: eaque in forma collyriorum humidorum, epithematum ſacculorumque, humidorum atque ſiccorum, cataplaſmatum. Excuſſimus omnem fere penum ejuſmodi materiæ medicæ in prægreſſis aliquot diſſertationibus oculariis, illa maxime quæ agit de hypopyo, ut cramben toties recoquere ſuperſedeamus. Recurrent ad calcem præſentis diſſertatiunculæ aliquot formulæ remediorum, tam externorum, quam internorum, unde ſapienti ſat [*d*].

Interna ſunt l. evacuantia vel alterantia medicamenta: ex illis *purgantia* tunc maxime facient ad rhombum, quando peccat cacochymia, ſeri ſtagnatio

[*d*] Selectas, quæ huc faciunt, remediorum formulas ſuppeditant Bened. Faventinus in lib. de curand. morbis cap. de pupillæ dilatatione: Petr. Foreſtus in obſ. pract. L. 11. de pupillæ dilatat. Obſ. 27. & 28.

natio, quin effusio occupat interiora oculi & humorum affluxus ab oculo revocandus est. Aliquoties vero talia blanda repetere præstat, quam uno fortiore impetu per drastica agere. *Emetici*, post venæsectionem & resolventia præmissa, tentamen non plane videtur explodendum, si vel obstructio quædam nervos ciliares extimos occupet, vel ex irritatione truncorum & ramorum posteriorum nerveorum fibræ iridis radiatæ convellantur atque retrahantur spasmodice. Ita scil. in apoplexia emeticum, tempestive propinatum, multis est inter heroïca remedia. Huc etiam respiciunt, quæ superiore demum paragrapho laudavimus de motu frictionis supercilii, & lata hinc subitanea planeque admirabili ope. Tacemus, quos Taylor recentissime machinatur miras bulbi torsiones atque subversiones quasi in gutta serena. Nuperrime observavimus affectum oculi, qui visus duplex audit, s. quando unum objectum morbifice videtur duplex, ultra decendium perdurantem, illico sublatum & curatum fuisse ac perstitisse spontaneis aliquot sternutationibus. Prudens v. medicus indicationes & contraindicationes probe trutinans facile distinguet usum & abusum emetici. *Naribus fluxum* inducere seroso-pituitosum per errhina non est absonum, quodsi hinc etiam sternutationes modicæ provocentur.

Ex *alterantium* censu sunt *aperitiva*, *resolventia*. Infusa, decocta rad. ʒ. aper. Angel. Pimp. min. Valer-Arist. long. & rot. ver. sarsæp. chinæ, sem. fœn.-anis. stellat. L. sassafr. fl. sambuc. Hb. hyssop. salv. fumar. hepat. nob &c. Cinnam. calide, frequenter sorbillanda, l. etiam frigide, pro potu, bibenda. Serum lactis c. chæref. nasturt: hort. lupuli turionibus, fumaria, recentibus, vel c. extract. trif. fibr. Valerian. cal. arom. rutæ. juscula viperar. italicarum. In forma pulveris. rad. ari vino pp. jr. fl. ononid. costo dulci, millep. pp. rad. valer. sylv. terr. fol. tart. tart. vitr. t. balsamo-saccharum c. tantillo balsami peruviani. In forma essentiæ vel tincturæ: liq. terræ. fol. Tartari. TR. ♄. Tartari. sat.-♂. pomat. es. lign. sassafr. el. aper. cl. mixt. S. L. Acidulæ alcalinæ, ♂ les.

*Antispasmodica*: extr. paeon.-rutæ-castor.-pap. err. succin. pp. millep. ☉. puris. Cinabar. ☽. vol. succin. liq. C. C. succin. liq. anod. min. H. In emulsionibus sem. card. mar.-pap. alb. - paeon. ▽ paralys. - beton-pap. errat. til. - cerasf. n. *Tonica*, roborantia. cinnam. caryoph. arom. NM. Ambra, corall. r. pp. L. ♋. citrat. Terra. lemn. fragment. L. ʒ. pretios. margar. pp. croci ⊙. Grana chermes, mastiche, succ. granat. citri-granor: chermes, fl. ros. r. Tunicæ, horumque conservæ, elix. vit. M. c.-vitr. mynsf. es. dulc. - ambr. liq. Aquæ 4. cordiales, - mastich. - cin. cyd. - lavend. - naphæ, - lil. - conval. c. vin. - salv. c. vin. spec. diarrhod. ab. - diacret. M. pulv. anal. fr. M. c. &c.

## §. XXXV.

Fons diæteticus respondeat indicationibus & curativis & palliativis, & præser-

præservativis. Itaque cibus & potus, pro variis speciebus & causis mydriasis varius esse debet, modo tenuis & attenuans magis, modo refrigerans, modo calefaciens. Specialiora non tangemus.

De *aëris* atque *luminis usura* subjiciemus quædam: luminis non intensi, non nimis fulgidi usu non penitus interdicendum censemus, imo potius, nisi inflammatoria contraindicet ophthalmia, aut sensus luminis dolorificus, ipsum lumen aliquatenus remedii vices præstat. Unde post epithematum aliorumque palpebris impositorum renovationes ac repetitiones oculum affectum lubentes uno alteroque horæ quadrante denudatum relinquimus & successive adsuefacimus lumini primum debiliori, dein intensiori. Solis vero radios directe incidentes, aut ab objectis valide & copiose reflexos evitare jubemus, maxime ab initio.

Sanus oculus, e ratione modo allata, non opus habet fasciatione aut velamento, si modo à nimia luce sibi caveat æger. Si vero in longum tempus protracta mydriasis metum faciat lædendi visus e nimia luce, inter legendum aut scribendum necessaria, muniri potest oculus simili patella, quam describit ex Solingen *Heisterus* ac delineat [*e*].

## §. XXXVI.

Denique ad illustranda & confirmanda, quæ hactenus de mydriasi diximus, annectendi supersunt *aliquot casus à præside observati*; cujus igitur ex ephemeridibus practicis excerptos fideliter hic damus, prout suo quisque tempore consignatus fuit.

Cas. I. Stuttgardiæ an. 1725. mens. Febr. Marcel. Bez, vietor, æt. 49. an. robustus, alias etiam sanus, nisi quod colicæ sæpius fuerit obnoxius. Puero adhuc nati sunt absceſſus glandulosi, dysepuloti, ex odontalgia, tandem vero, & hucusque consolidati. Ante semestre dysakoia auris dextræ, dein difficilis deglutitio, & vox quasi per nares loqueretur. Subinde vertigo capitisque dolor. Per inspectionem deprehendi dimidium palatum lateris dextri, quousque musculosum est, in parte sua postica prolapsum, antrorsum atque deorsum simul protrusum, uvulam quoque versus radicem linguæ ac laryngem nimis propendentem. Partes illæ tumentes & plus justo rubent, atque infarctæ sunt, amygdala dextra tumida & duriuscula. Lingua se habet naturaliter & deglutitio parum impeditur. Suspicabar polypum grandiusculum, e foramine posteriore naris dextræ propendentem, qui palati fornicem ita antrorsum propellat atque deprimat; sed accuratiore exploratione per tactum & visum nihil tale reperi. Sed potius auguror catarrhalem partium harum glandulosarum intumescentiam, & tonum earum atque musculosarum relaxatum, quasi paralyticum, cum tuba eustachiana obstructa.



[e] Heister. chir. lat. Tab. 18. fig. 15.

D. 14. Febr. V. S. pedis ad ℥vj hodie instituta. ℞. Gum. euphorb. ℈j. succin. fl. pp. mastich. aa. ʒß. cerat. de beton. ℥ß. bals. peruv. ℈j. M. applicentur vertici raso.

D. 16. Ejusd. ℞. fol. sen. s. s. ℥j. Agaric. albis. ℥ß. rhab. opt. ʒj. Hb. rorismar. salv. hyssop. aa. p. j. beton. M. j. sem. anis fœnic. aa. ʒj. Cryst. Tartari ℥ß. M. C. C. inf. ▽ fervid. ℔iij. dein vini alb. veter. frigid. ℔jß. dosis m. & ves. haustus.

D. 22. Ejusd. à vin. med. quotidie, bis terve κάτω purgatus est. Omnia ut prius. Gargarisma sumat man. & vesp. ℞. Hb. plantag. min. fl. sambuc. aa mj. - balaust. lavend. aa. mß. myrrh. r. ʒiß. cryst. Tartari. ʒij. M. C. C. coq. in vin vet. alb. & aq. font aa ℔ijß. ad remanent ℔iß. cui colat. & expres. add. mellis rosar. ℥iß. D. species residuæ & expressæ apponantur calidæ lateri colli affecto, intra linteum quadruplicatum. D. 26. Feb. Palatum & uvula situi naturali restituta, tumor idem. Deglutitio jam difficilior. ℞. es. trif. fib. - ♂. Tartar. sat. lud. - succin. aa. ʒiij. M. D. m. & v. gt. 50. è vino. Superbibat apoz. hoc. ℞. Hb. c. fl. beton. veron. aa. Mj. R. liquir. ℥ß. anis. fœnic. cubeb. aa. ʒj. M. Repetatur prius gargarisma. D. 1. Apr. Tumor internus faucium subsedit aliquatenus: vox liberior e gargarismate lact. caprilli cui folia salviæ incocta. A triduo tumor faciei emphysematicus. Propter stranguriam e binis heri positis vesicatoriis ℞. L. ♋. pp. cryst. pp. conch. mar. pp. aa ʒß. Cinabaris ♁. rectif. gr. xij. sir. pap. er. ol. amygd. d. rec. expr. aa ʒvj. ▽. beton. malv. fœn. samb. aa ℥iß. M. D. singulis trihoriis tria cochlearia. D. 2. Sept. *Hemicrania* dextri lateris à quinque septimanis, & *paralysis palpebræ superioris* dextræ insecuta, oculo salvo. Anorexia & hectica emaciatio. Applicentur duo vesicatoria decussatim. ℞. Hb. c. fl. beton. fl. paralys. aa Mj. - lavend. Hb. melis. aa Mß. R. - sarsæp. ℥j. cubeb. ʒj. Anis. fœn. aa ℈ij. M. D. pro infus. theæs. man. & vesp. ℞. es. succin. TR. ♂ Tartar. sat. lud. an. ʒiij. liq. C. C. succin. ʒiß. D. gt. 45. man. & vesp. Cervici imponatur cerat. de beton. - melil. aa ʒiij. bals. peruv. ℈j. M. D. 10. Sept. Dolores à triduo cessant, dextra faciei pars tumida, parotis, suppuratio larga è sinu fistuloso ad incisorem dentem superiorem dextri lateris. ℞. ♃. d. rite parat. Extr. cath. aa ℈j. - L. aloës - castorei aa ℈ß. mag. jalap. gr. XXIV. ol. dl. succin. gt. X. ess. L. aloës q. s. M. F. Pil. Nro. LX. D. quotidie XV. D. 19. Sept. A pilulis aliquoties per inferiora quotidie purgatus. A decendio observatur constans immobilitas, s. cataplexis bulbi ocularii dextri, cum mydriasi, s. dilatatione pupillæ, hujusque simul immobilitate. Palpebræ superioris resolutio continuat. Motus rheumatici, vagi: venæ pedis sectio nuperrime instituta. ℞. millep. pp. specif. ceph. m. pulv. temp. hal. aa ℈ij. m. div. in vj. dos. d. unus m. & v. Vehiculum. ℞. Aq. til. cer. n. beton. aa ℥ij. rosar. lil. conval. c. vin. aa ℥ß. sir. paeon. paralys. aa

ʒiij.

ʒiij. M. Applicetur vertici vesicatorium latius. Spina dorsi ungatur ℞. ung. resumpt. Fern. nervin. august. aa ʒvj. bals. perv. ʒß. M. D. 28. Sept. Paulo melius habet quoad omnia, cataplexi bulbi palpebræque excepta. ℞. ⊕. alb. gr. viij. croc. austr. ℈j. camph. gr. IV. Aq. naph. ʒvj. rosar. ℥iv. sp. lavend. ʒij. m. applicetur sæpius in die palpebris, in forma epithematis. Parotidi dextræ tumidiori ℞. empl. de ran. c. ☿. Vig. - reg. burrh. aa ʒiij. ol. philos. q. s. camph. ℈ij. m. Accedit jam quoque tortura oris, versus sinistrum latus sanum tractio. D. 10. Octobr. D. D. Seeger, tum Poliater, (νῦν ἐν ἁγίοις) & ego, consultatione habita, statum morbi declaravimus conclamatum. Præsentia symptomata sunt: in faucibus, multa sputatio, effluxus salivæ ichorosæ, spissæ, colore carneo, fœtentis, ex angulo labiorum oris dextro, lingua crassa, tumor ille internus post ultimos dentes molares dextros malignæ epulidis indolem acquirit & majorem molem, gingiva circa molares dextri lateris tumida, divaricata, dens & maxillæ pars carie laborant, palati tunica c. uvula longius delapsa in dextro latere. Gustus salvus, sed motus linguæ gravior, deglutitio vel pultis difficillima, sæpius jam à liquido, lacte e. g. sorbillato, metum suffocationis incurrit. Nares siccæ, patentes. *In facie* flavedo icterica, oris tortura, s. labia sursum in sinistro latere retracta, album oculi flavescens, sero turgidum, quod bulbum oculi reddit prominentiorem, & digitis motitatum rugas agit, (ἐπαγάσασις ὀχθώδης;) totus bulbus immobilis, digitis quidem huc illuc volubilis, jam ultra bimestre visu salvo, sensim tamen magis deficiente, ut illo oculo legere amplius nequeat, monetas tamen adhuc & majora objecta tam remotiora, quam propinqua distinguat. Visus duplex hujus oculi abhinc aliquot septimanis cessavit. *Pupilla notabiliter dilatata, ad lucis appulsum immobilis*, ante & post pupillam nihil p. n. le conspicitur. Dolor obtusus in supercilio & fronte dextris per intervalla incerta adhuc affligit. Auris dextræ gravis auditus. Faciei latus dextrum nuper continuo stupens, jam calet perpetuo magis altero latere. Parotis dextra scrophulosa in apicem intumescit pyramidalem & indurescit; pariter & ille tumor scrophulosus, sub angulo maxillæ dextræ, grandescit. In occipite prominent hic ibi dolorificæ exostoses exiguæ. Vertiginosus & totus emaciatus est. Non vomiturit: neque tenditur nucha: rheumaticis doloribus ut nuper regio ischiadica sinistra, ita nunc tibia dextra afficitur. Appetitum satis vegetum satiare vetat impedita deglutitio.

Consensimus in setaceum nuchæ & usum succi expressi nasturtii aquatici, ter in die, e jusculo carnis, dosi cochlearium duorum. d. 13. Nov. mortuus est. Noluimus quidquam de prolixioribus his resecare notaminibus, ut historice pateat, quali modo inceperit in hoc vietore mydriasis, quem fecerit progressum, quibus aliis complicata fuerit symptomatibus?

Casus II. Tubingæ an. 1743. Mens. Jul. Adolescens quidam, æt. 15.

an. vegetus, ſanus, ſanguineus in ſphæriſterio pilam vi propulſam oculo excepit dextro. Hinc ſtatim illarum palpebrarum tumor, ſugillatio, qualis & adnatæ. Altero die ſanguinis exigua extravaſatio inter corneam & iridem, in fundo cameræ anterioris. Pupilla magis magiſque dilatari & immobilis, viſu tamen ſalvo, fieri cœpit. Tumor & ecchymoſis d. 27. Jul. evanuere poſt ſacculos reſolventes in vino coctos, frequenter oculo impoſitos, ac per interna è ⊕. cryſtallin. rad. valerian. millep. pp. ſpecif. ceph. m. cort. chaq. Sed mydriaſis illa hucuſque permanſit tanta, ut amplitudo pupillæ quadruplo ſuperet naturalem, atque iris nonniſi tenuem circulum in baſi, ſ. ad circulum corneæ internum, relinquat. Viſus eſt diſtinctus, integer. Nullus dolor nec à principio adfuit, neque nunc. Juſſi jam ante octiduum frequenter illini palpebris balſ. Schaueri, (Spiritum illum oleoſum penetrantem nervinum, quem Auguſtæ Vindelicorum duo fratres Schaueri componunt atque divendunt) id quod repetendum, & ſacculos ſequentes ſiccos applicari per noctem calentes juſſi. ℞. flor. lavend. ſtœch. arab. anthos, roſ. r. Hb. ſerpil. mari ver. aa ʒj. camph. ℈j. pulv. caryoph. aromat. ʒß. M. C. C. D. Pulveris ſeq. ſumat man. & veſp. quantum duo capiunt cultri cuſpides ex ▽ ceras. n. ℞. ſem. rut. cardam: min. aa ʒß. r. valer. ʒiß. millep. pp. ℈ij. ſacch. albis ℥ß. M. F. P. D. D. 7. Dec ad me rediit. Inveni pupillam dextram, antea enormiter dilatatam & immobilem, nunc ad diametrum fere naturalem, paulo adhuc altera naturali ampliorem, rediiſſe, motumque plane naturalem recepiſſe, viſu integro manente, nullaque omnino oculi labe relicta. D. 15. Febr. 1745. domum meam accerſivi hunc adoleſcentem, ut denuo inſpicerem oculum ejus. Nullum plane in eo vitium deprehendi. Pupilla oculi hujus olim affecti, eadem fuit diametro cum alterius, æque ac prompte ſe contrahens ad luminis illapſum, & in loco obſcuriore ſe dilatans. Legendum hoc oculo typum minutiorem obtuli, quem facile ac prompte legit; faſſus tamen eſt, quod ſi oculum hunc lectioni aut minutiorum objectorum contemplationi longius adhibeat, viſum aliquatenus fieri nebuloſum. In toto autem hujus mydriaſis curſu nunquam expertus eſt viſum, quem veteres Græci Aëtius, Paulus Ægineta &c. de mydriaſi prædicant, ſcil. quod objecta appareant minutiora, quam ſano obſervantur oculo.

Caſus III. Lutetiæ Pariſior. Anno 1721. d. 17. Jan. in Xenodochio, à charitate dicto, mihi relicta eſt, è ſingulari Antiſtitum benevolentia, viri quinquagenarii cura, cui ab ictu pilæ in ſphæriſterio ante decendium accepto reportavit pupillam valde dilatatam, non tamen laceram, vulnus ſcleroticæ in latere verſus canthum internum, in diſtantia lineæ à circulo externo corneæ. Extra vulnus propendebat filamentum album, retina tunica multo tenacius, pro uveæ, à colore naturali per moram deſciſcentis, portione habitum. Corpus vitrei magnitudine piſi protuberabat. Æger hoc oculo

talpa

talpa cæcior. Vitreum ſuæ reddidi pariter ſedi, ac uveam prolapſam, vulnus feliciter conſolidavi, ſine bulbi relicta deformitate. Pupilla verſus angulum internum oculi magis magiſque diſtenta apparuit. Viſus hucuſque reſtitui non potuit. Exceſſit in hoc ſtatu reconvaleſcentiæ Xenodochio, nihilque porro comperi de hoc patiente.

Caſus IV. Stuttgardiæ an. 1723. d. 17. Mart. Sutor æt. 40. an. macilentus ante tres ſeptimanas cadens noctu dextrum ſic impegit oculum, ut hinc tumor atque ptoſis, ſ. relaxatio paralytica, palpebræ ſuperioris mox inſequerentur. Ille jam ſubſedit, ſed reſtat hæc, cum mydriaſi. Minora objecta non facile diſtinguit, & ab intenſiori lumine percellitur moleſte. In deambulatione ſæpe vacillat quaſi vertiginoſus. Quem morbus exitum habuerit ignoro? Utpote medicamentorum & operoſæ methodi ſtatim pertæſus fatum tranquille ſubeundum duxit.

Supereſſent plurimi caſus enormis pupillæ dilatationis cum gutta ſerena complicatæ; verum cum præciſe non ſpectent ad noſtrum thema poterunt ad aliam occaſionem differri.

FINIS.

DE

XXVIII.

# DE HYDROPHTALMIA,

## DISSERTATIO MEDICA.

*QUAM PRÆSIDE*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Tuebatur*

CHRISTOPH. PAUL. BEGER

*REUTTLINGENSIS.*

Tubingæ 14. Febr. 1744.

§. I.

B*Ulbus oculi* vocatur globus ille, tunicis, continentibus, atque humoribus, contentis, in sphæricam quasi rotunditatem coactus, orbita conclusus, organum visus constituens continensque.

§. II.

*Bulbi* hujus *magnitudo pondusque* pro diversa hominum adultorum conditione variant tantisper. Medium calculi tenendo, deprehenditur bulbus, pinguedine musculisque liberatus, è cadavere, brevi à morte, erutus pendere 147½. grana: axis ejusdem 11. lineas cum ⅓. & diameter 11. lineas cum ¼. emetiri [*a*].

§. III.

Maximum compagi *robur fœneruntur* tunicæ *sclerotica* atque *cornea*, tenaces, validæ [*b*], expansioni nimiæ plurimum renitentes.

§. IV.

Est vero & sic dictis *oculi humoribus determinata quantitas*: *aquei* circiter granorum v: *crystallini* gran. ivß: *vitrei* gr. civ. Unde quam *exigua* sit *utriusque* sic dictæ oculi *cameræ capacitas*, nonnisi gr. iv. v. ad summum vj. humoris aquei naturaliter admittens, facile patet ?.

§. V.

*Paucissimum* esse *recens natis* infantibus *humorem aqueum* testatur modo laudatus *Petit* observationibus repetitis [*c*]. *Variat quantitas* ejus in diversis adultorum subjectis non modo, sed haud raro quoque in binis unius ejusdemque individui oculis. Neque unum eumdemque jugiter perstare, sed re-

sor-

[*a*] Petit, med. lettre, in 4.to Paris. An. 1724. & in memoir. de l'Acad. des Scieno. an. 1728. édit. Amstel. p. 408. seqq. ubi & pondus humor. oculi humani traditur. Determinavit jam antea qq. *Plempius* in ophthalmograph. p. 43. humoris aquei pondus ad gr. iij. vel iv.

[*b*] Talem esse corneam nuper demonstravimus in peculiari disp. de hac tunica. Scleroticam alio sistemus tempore.

[*c*] E corneæ crassitie, rugositate, nimisque pauca quantitate humoris aquei deducit. Petit causam: cur infantes recens nati non videant distincte? mem. de l'Acad. an. 1727. pag. 349.

ſorberi veterem atque diſſipari, *novumque generari* perpetua ſecretione, ſequentia probant argumenta: reliquorum corporis noſtri fluidorum ſimilis conditio: humoris aquei evaporabilitas per corneæ poros: prompta faciliſque regeneratio poſt ſimultaneam ejuſdem evacuationem per vulnus corneæ, ſeu artificiale, ſeu caſuale, in fiſtula corneæ, hypopyi operatione &c. Falſum igitur eſt, quod ſtatuit *Plempius* in ophthalmograph. P. I. C. 16. p. 44. quod nempe ſemel evacuatus in adultioribus (in comparatione ſcil. ad ætatem infantilem atque puerilem) fere ſemper ſit irreparabilis.

## §. VI.

*Cameram* oculi *anteriorem* terminant cornea atque iris: *poſteriorem* uvea, lentiſque cryſtallinæ, propria tunica concluſæ, ſuperficies anterior. *Pupilla*, ſ. foramen uveæ plus minus rotundum amplumque, conſtituit medium communicationis utriuſque cameræ: quarum *anteriorem eſſe ampliorem* poſteriore tot evictum eſt experimentis [*d*]. contra *Woolhouſium*, ſicut jam olim hoc ipſi coram teſtatus eſt præſes.

## §. VII.

*Qualitates manifeſtæ humoris aquei* hæ ſunt: *color* diaphanus, clarus, aqua tamen pura minus limpidus: *ſubſtantia* fluxilis, ſed lenta tamen & ſaponacea quaſi pinguis [*e*]. Juniorum animalium fluidior eſt atque limpidior: *ſapor* atque *odor* nullus. Servatus tamen aliquot dies in vitro putreſcit atque fœtet, ut albumina ovi in vitro per octiduum ſervata.

## §. VIII.

Humoris hujus è brutis collecti ℥v. [*f*]. ſtiterunt Nuckio, loc. cit. per *deſtillationem è retorta*, leni igne, humorem aqueum, in *coagulum album*, ſed tenuioris conſiſtentiæ, abeuntem & brevi poſt *in* plurimas *bullulas* (inſtar ſmegmatis hiſpanici, aqua agitati) mutatum, ſed craſſioris jam conſiſtentiæ: *aquam* in vas recipiens ſtillantem, *limpidam* & admodum pellucidam: deſtillatione ad ſiccitatem continuata, aquæ deſtillatæ, ſapore & odore omni

[*d*] Viror. celeber. Heiſteri, Morgagni, Winslovii, Petiti.

[*e*] Galenus comparat humorem aqueum cum ovi albumine: alii etiam hinc albuminoſum vocavere. Vocavit tamen & Galenus L. I. de ſympt. cauſ. c. 2. ὑγρὸν ὑδατοειδὲς; aſt albumen ovi propriis terminis continetur, non diffluit, ſicuti humor aqueus. Unde Veſalius, ut galenicam comparationem ſalvet, prætexit, Galenum intellexiſſe illam ovi aquam, quæ, dum illud coquitur, putamini, ſudoris in modum incumbit: vel ipſum etiam albumen, virgis aliquandiu, aut alias agitatum, & fluxile redditum, quæ plurimorum eſt interpretatio.

[*f*] Difficulter ex hominum cadaveribus una vice colligeretur ſufficiens quantitas humoris aquei ad experimentum deſtillatione faciendum. Analogum, aut non valde diverſum ſupponere licebit brutorum humorem aqueum.

ni deſtitutæ ʒiij ß. *caput mortuum* gr. xxij. coloris ex obſcuro flavi, tenaciter cohærens, excepta portione exigua friabili, odoris empyreumatici, ſalſedinis in ore manifeſtæ [*g*].

§. IX.

*Subjectum ſecretionis* hujus aquei humoris in uveæ tam anteriore quam poſteriore ponimus ſuperficie: quoniam in pupillæ omnimoda vel conſtrictione & concretione, vel obvelatione & infarctu per adglutinatam circumquaque, aut impactam cataractam, nihilominus utraque oculi regio, ſeu camera, humore ſuo gaudet aqueo.

§. X.

Vaſa, *colatorium ſpeciale*, quæ ſint? in diverſum abeunt authores: aliis arteriarum oculi internarum extremitates: aliis glandulæ, ſed nondum demonſtratæ, in ligamento ciliari: aliis nervi oculi: aliis cryſtallina lens vitreumque corpus, tranſudantia humorem aqueum: aliis vaſa lymphatica: *Nuckio* aquæductus, quos vocat, ſive propagines ramuli arteriæ carotidis internæ, foramine optico egreſſi è cranio in orbitam, & aliquot ramuſculis ſcleroticam perforantis, qui uveam ac iridem exornent, non ſanguinem, ſed lympham, humoris aquei materiem, vehentes [*b*]: vaſcula oculorum aquoſa adducentia, quorum in utriuſque oculi orbita unus truncus è novo reti arterioſo arteriæ carotidis ortus, in duos ramos diviſus ſcleroticam aliquot locis perfodit, per choroideam pergit, circulum arterioſum uveæ format, ex hoc oblique demittit ramulos, quos *Hovius* vocat vaſa nevrolymphatica, proximos humoris aquei fontes, in tract. de circular. humor. oculi motu.

§. XI.

Præfixa brevitas non ſinit nos immorari excutiendæ, vel dirimendæ huic liti. Supponimus tamen ex æquo, myriades *arteriolarum* & ex harum *lateribus derivatos canaliculos*, diaphanam atque tenuiorem vehentes lympham, in choroidea ac uvea obvios, hujuſque præſertim ſic dicto circulo arterioſo, *ſtillare humorem aqueum* inſtar roris in utramque oculi cameram: ejus vero *portionem* quamdam *poris corneæ elabi*, ac *reliquam in* vaſa abducentia, *lymphati-*

[*g*] Ant. Nuck. ſialograph. & ductuum aquoſor. anatome nova. 8. Lugd. bat. 1690. p. 140. ſeqq. & p. 152. ſeqq. Caput mortuum porro examinare vel elixiviando, vel fortiore igne urgendo, vel aquam deſtillatam reagentibus explorare neglexit. Confer. quæ Boerhavius tradit de examine chymico albuminis ovi, chem. p. 2. p. 345. ſ. ubi monet, ſalini nihil ineſſe albumini ante ignis actionem applicatam. Ignis ergo & hic infidus analyſta!

[*b*] Chrouet, Hovius &c. demonſtravere, quod ductus Nuckii aquoſi non actu vehant humorem aqueum, ſed ſanguinem. Admittuntur tamen pro fontibus, ſ. ſcaturiginibus trium oculi humorum. Vid. Hovii de circ. humor. oculi motu. p. 47.

*phatico-venosa resorberi*, sicque humorem aqueum circulari motu jugiter & adferri & referri.

§. XII.

*Arteriæ*, oculi interiora subeuntes, sunt à carotidis internæ, cranium ingressæ ramulis anterioribus, foramine optico, ac inæquali seu lacero (quod vocat Heisterus: galli fissuram orbitalem superiorem:) è cranio exeuntibus, & partim cum nervo optico cavum oculi intrantibus, partim hic ibi scleroticam perforantibus, atque tunicis choroideæ, retinæ uveæ, &c. insertis. Ramis hisce carotidis internæ junguntur per anastomosin, circa medium bulbi, rami carotidis externæ orbitales, qui ab ejusdem ramo maxillari interno proficiscuntur.

§. XIII.

*Venæ* sanguinem lymphamque, ex oculo reducendos infundunt partim jugularibus venis, partim sinibus duræ matris, per *Santorini* sic dicta emissaria [*i*].

PATHOL. ET SEMIOLOGIA.

§. XIV.

Humor *aqueus afficitur p. n.* inquinatione varia, commixto *sanguine*, in Hypohæmate: *pure*, in Hypopyo & empyesi: *lympha* albicante, lactea, in cataracta cystico-lactea, rupta, vel perforata: *flavedine* aliquando, in icteri-cis: *filamentis*, atomis albidis, griseis, nigricantibus, in cataracta incipiente membranacea, & separatis per ictum, contusionem, moleculis nigris ex uveali humore fusco-nigro: *incrassatione*, lentore, spissitudine: aut *nimia tenuitate*, fluxilitate: Sed & *nimia quantitate*, in *hydrophthalmia*. De inquinatione humoris aquei in hypopyo, hypothæmate, ictero, jam tractavimus in præmissis dissertationibus. Jam disseremus de hydrophthalmia.

§. XV.

*Hydrophthalmia* est morbus conformationis bulbi ocularii, in magnitudine aucta, expansione p. n.li nimia tunicarum ejus omnium, in hemisphærio oculi anteriore potissimum, sicque aucta ejusd. dimensione in longum, latum & profundum, à specifica causa, humore scil. aqueo, p. n. aucto, copiosore & stagnante in sic dictis oculi cameris, anteriore ac posteriore. Dicitur ἀπὸ τοῦ ὕδωρ aqua, & ὀφθαλμία, ocularia ægritudo. Audit etiam *hydrops oculi*: *die Augen-Wassersucht*: gallis *hydropisie de l'œil*.

§. XVI.

[*i*] De his arteriis venisque plura vide in Winslow expos. anat. Halleri icon. nervor. & arteriar. oculi: Taylor mechanisme de l'œil.

§. XVI.

Hydrops hic oculi ſimilis eſt illi, quem *Fabricius Hildanus* vocavit *Hydrocardiam*, ſerum in cavo pericardii nimium: aut dilatationi & protuberantiæ ſacci lachrymalis, quam *Anellus* appellavit *hydropem ſacci lachrymalis*: aut *hydrocephalo* interno, colluviei ſeroſæ in ventriculis cerebri p. n.li &c. Unde appellatio hydropis ocularii civitate medica donatur, quamvis alias hydrops prædicetur de illis l. cavitatibus majoribus, l. interſtitiis, quæ naturaliter nullo liquore, ſaltim notabili, irrigantur, uti ſunt hydrops pectoris, aſcites, anaſarca, hydrocele.

§. XVII.

Ab hydrophthalmia *differunt*: *anaſarca palpebralis*, cum palpebra l. ſuperior l. inferior, l. utraque ſimul, ſero ſub cute turgent, bulbo oculi in dimenſione juſta ſervato. Anaſarca, ſeu *œdema adnatæ tunicæ* ſero turgentis & totum oculi hemiſphærium anterius aliquando obducentis, & linearum aliquot craſſitie prominentis, aut exiguum ſaltem in medio locum vacuum relinquentis, per quem tranſpicit cornea. Diſtinguuntur facile pariter *phlyctænæ*, bullæ ſero limpido infarctæ, majores minoreſve in adnata, circulo corneæ, imo ſub ipſa epidermide corneæ.

Illam vero *corneæ* l. particularem, in aliqua dumtaxat ſui regione, l. univerſalem, in tota ſuperficie, *protuberantiam*, ex arroſis vulneratiſve ejuſdem lamellis ſive externis, ſive internis, atque ſic reliquis, nondum eroſis, extrorſum protruſis atque ab humore aqueo propellente turgeſcentibus, *ad herniæ* & prolapſus *corneæ ſpeciem* magis *referimus*.

§. XVIII.

*Bulbi* ocularii ex orbita *prolapſus*, procidentia, Græcis *Celſoque* proptoſis, ecpieſmus ſ. expreſſio, exophthalmia denotant bulbum oculi ſede ſua motum, foras ex orbita prominentem, extra palpebras propendentem, bulbo vel in naturali magnitudine, ſaltem aliquandiu, perſtante, vel eadem aucta, plus minus notabili. Si bulbus inſigniter, inſtar oculi bovini, turgeſcat, vocatur *buphthalmus*, ſ. *buphthalmia*, à βῶς, bos & ὀφθαλμὸς, aut particula intenſiva βῶ.

§. XIX.

Solet *in hydrophthalmia bulbus* omnino etiam ad ultimum *ſic intumeſcere*, ut buphthalmiam conſtituat; ſed non omnis buphthalmia eſt à vitio abundantis aquei humoris: imo mole auctus oculus ſe proripit è ſede orbitali foras, atque incurrit exophthalmiam. Sunt vero & prolapſus ocularii bulbi,

juſtam dimenſionem ſervantis, ſine buphthalmia. Hinc male confunduntur à nonnullis authoribus.

§. XX.

Hydrophthalmiæ *diagnoſis*: ſucceſſivum globi ocularii augmentum, naturalem dimenſionem ſuperans $\frac{1}{3}$. parte, l. dimidia, l. altera tanta: turgida tenſio: cornea plus ſolito elevata & prominula: iris autem profundior, à ſuperficie interna corneæ remotior [*k*]: pupilla immobilis, aliquando amplior, alias ſtrictior, anguſtior: viſus ab initio illibatus, ſucceſſive debilior, obſcurior: maxime cum, ut ſubinde fit, caliginoſa corneæ obnubilatio, humoriſque aquei turbiditas ſocientur: aliquibus dolor tenſivus, obtuſus, circa fundum oculi, licet perpetuus fere, valde tamen mitis, aliis multo gravior eſt cum ejuſdem lateris affecti hemicrania, ſtupore partium faciei, aliquando emphyſemate totius lateris & odontalgia, inſomniis. Accedunt ſub molis ulteriore incremento exophthalmia, illacrymatio, ectropium.

§. XXI.

Turgeſcentia & *incrementum* p. n. le *humoris vitrei* adauget itidem notabiliter dimenſionem oculi, duramque infert ei tenſionem; ſi tamen abſque juncto humoris aquei accidat incremento, hinc facile diſtinguitur, quod teſte *Woolhouſio*, humoris vitrei limbus circa cryſtallinam lentem elevatus huic umbram offundat, atque ſtrabiſmum verſus ſuperiora efficiat, duritiem extra-

[*k*] Innuunt hæc omnino ſpatium anterioris oculi cameræ multo auctius ampliuſque, majorique humoris aquei quantitate repletum, quam naturaliter ſolet. Verum, ſicuti hæc major liquoris copia nihil viſui præjudicat, ita neque lenti cryſtallinæ ſitum infert mutatum, & depreſſionem verſus centrum oculi, quamvis ſupponatur, proportionate majori humoris aquei quantitate ſimul irrigari ſecunda quoque oculi regio: neque figuram cryſtallini mutat in ſuperficie ſua anteriore, è convexa in planam; è quibus phænomenis rationem deduxit cel. olim Scheidius in diſp. de viſu viciato, Argent. 1676. p. 49. cur objecta, in tali oculi conſtitutione, videantur minora, quam revera ſunt? Impugnavit nuper Scheidium Dom. de Mours, med. Paris. in obſervat. hiſtoriæ naturalis & morbor. oculi, adjectis verſioni gallicæ obſervationum medicar. Societatis Edimburg. in Scotia; Quamvis autem Scheidius non tam provocet ad pondus humoris aquei gravitans in ſuperficiem lentis cryſtallinæ, complanando eam, uti videtur Scheidii verba intellexiſſe Dn. de Mours, ſed ad tenſionem proceſſuum ciliarium, ab exuberante aquei copia, aut affluxu humoris inductam, unde cryſtallini ſuperficies convexa quadantenus explanetur; tamen & hæc proceſſuum ciliarium ſuppoſita tenſio per humorem aqueum exuberantem, in noſtro hydrophthalmiæ caſu videtur *nec tanta* eſſe, quia maxima humoris aquei pars in anteriore camera continetur, & corneam magis, quam uveam, diſtendit, tum quoque portio humoris aquei in camera poſteriore concluſa æquilibrat una c. humore vitreo anteriorem quantitatem; *Nec*, ſi vel maxime concedatur, tantæ efficaciæ, quæ anteriorem lentis cryſtallinæ ſuperficiem convexam queat complanare, ſaltem notabiliter, quoniam proceſſus ciliares non inſeruntur in cryſtallinam lentem, ſive tunicam ejus, ſed in tunicam vitrei corporis, in peripheria lentis cryſtallinæ.

traordinariam bulbo conciliet, doloremque obtusum cum notabili visus diminutione inducat. Iris procul dubio tunc etiam ad corneam magis appropinquabit, & convexitatem induet, vere talem, sed morbosam omnino [*l*].

At, si p. n. le *augmentum humoris aquei vitreique concurrat*, quod à priori, & per *Nuckii* observationes in sialographia nova p. m. 123. fieri posse ac solere constat, *difficilior* est *diagnosis*, nisi, è mole nimia, velocius increscente, ac insigni duritie & strabismo, utriusque vitii conjunctionem hariolari liceat.

Neque vero quoad curationem magni interest hoc discrimen. Ad summum enim paracentesis, in sclerotica debite instituta, una fidelia duos parietes dealbat.

## §. XXII.

*Prognosis.* Pedetentim increscit ordinario moles per menses, atque diu subsistit in certo notabili expansionis gradu. Rarissime diminuitur sponte. Medicamentis etiam difficulter dissipatur, si malum sit inveteratum, &, si decreverit, visus tamen plus minus labefactatur. Si humor aqueus sit concretus, congelatus quasi, turbidus, cataractam mentiens, tenuem facit curationis spem; si vero liquidus, fluidus atque limpidus perstiterit, pleniorem. Facilior etiam est curatio hydrophthalmiæ è vitio adducentium vasorum, quam abducentium. Accedente interna externaque inflammatione partes oculi internæ facile destruuntur suppuratione, aut labefactantur, cornea exeditur, crepat, atque sentinam humorum eructat, nisi hæc præveniat tempestiva incisio, sive punctio. Hæc vero aliquoties ordinario repetenda est, quoniam post unam alteramque punctionem bulbus, qui hinc subsederat, novum capit incrementum, donec tandem intra debitæ magnitudinis limites consistat, vel in minorem se contrahat globulum, id quod satis est ordinarium post prægressam suppurationem internam & synchysin, s. confusionem destructoriam trium oculi humorum, præcipue vitrei [*m*].

## §. XXIII.

Hydrophthalmiam retulimus §. 15. ad genus morborum conformationis in magnitudine aucta. *Causa proxima* est humor oculi aqueus stagnans, abundans, distendens corneam atque scleroticam. Potest vero harum quoque laxitas cum atonia conspirare. Crassior aliquando turbidusque simul fit aqueus humor ex ipsa stagnatione, & tenuioris suæ portionis resorptione in vasa

[*l*] Naturaliter, in sano statu, iridem non esse convexam, sed planam solidis demonstravit argumentis Petit, medicus. *mémoires de l'Acad. des Scienc.* an. 1728. p. 307. seqq.

[*m*] De eventu hujus operationis plura dabimus proxima occasione, ubi de paracentesi ocularia agemus.

vasa abducentia, & difflatione per corneæ poros. Capiunt vitium, ni moveantur, aquæ! Hinc etiam in hydrope pectoris, ascite, hydrocele serum extravasatum non flavi tantum & lixiviosi, sed & varie turbidi, viridescentis, albescentis &c. haud raro conspicimus coloris, & consistentiæ crassioris, viscidæ, ramentosæ, feculentæ &c. Propter hanc p. n. lem suam crassitiem præcludit sibi consuetam exitus viam, quam in statu naturali habet ex parte, nimirum per corneæ poros.

*Causam* vero *stagnationis & augmenti humoris aquei proximam* ponimus in vasis ejus abducentibus obstructis, compressis, adstrictis, superfluum non referentibus §. 11. 13. dum nihilominus vasa adducentia vel naturalem aquei quantitatem, vel & solito majorem continuo afferunt effunduntque in sic dictas oculi cameras.

§. XXIV.

Sed, abducentibus vasis salvis, *causa etiam inhærere* potest *vasis adducentibus* laxis, nimia humoris, ejusque serosi nimis, fluxiliorisque jugiter affluentis quantitate irrigatis, ut abundanti sic humori aqueo satis absorbendo revehendoque imparia fiant reducentia vasa, naturaliter constituta.

Difficultate non caret distincta certaque *diversæ* hujus *causæ diagnosis.* Anastomosin quidem morbificam vasorum adducentium, atque lympham fluxiliorem, copiosam arguere videntur ætas puerilis, temp. phlegmaticum, prægressi frequentes catarrhi tenues, salsi, aut ophthalmia serosa, humoris aquei pelluciditas consueta, visui naturali similior, velox hydrophthalmiæ incrementum, ejusque facilior promptiorque curatio.

Vasorum reducentium culpam produnt dyscrasia humorum viscida, catarrhi crassi, gramiæ viscidæ, crustosæ, humor aqueus per corneam transparens turbidus, visus obnubilatus.

## THERAPIA.

§. XXV.

Indicationes: (1.) Resolvere, discutere obstructiones vasorum abducentium, s. revehentium humorem aqueum. (2) Attenuare, corrigere cacochymiam viscidam, crassam, impuram, ut totius massæ sanguineæ, sic in specie humoris aquei stagnantis. (3) Acrasiam serosam, fluxilem, divertere, revellere, evacuare per alia emunctoria, alvum, renes, cutem, nares &c. de hinc incrassantibus, mucilaginosis, absorbentibus figere. (4) Dissipare stases in oculo inflammatorias, in-&-externas. (5) Tunicis oculi, scleroticæ atque corneæ præsertim, robur addere, blandam adstrictionem conciliare, ut & ipsæ reagant fortiusque repellant stagnantem aqueum humorem, ac hydrophthalmiæ recidivam impediant. (6) Humorem aqueum abundantem, impurum, si medicamentis non auscultet, eva-

evacuare per chirurgicam operationem, oculi paracentesin. (7) Si interna suppuratio sit inevitabilis, hæc emollientibus & paregoris promovenda, pus tempestive emittendum, quemadmodum fit l. in hypopyo, l. empyesi [n].

## §. XXVII.

*Subordinantur* hæ sibi *indicationes* pro ratione morbi, causarum, incrementi, durationis, præmissorum jamjam remediorum, tolerantiæ ægroti &c. suum ergo cuique tribuet dogmaticus ophthalmiater, justoque singula adhibebit modo ac tempore, & primo quidem e *Fonte Diætetico* in genere præcipitur aër tepidus, purus: victus ἐυχυμος καὶ ἐυπεπτος, modicus, specialiter vero, in casu intemperiei viscidæ humorum, aperitivus, tenuis, incisivus, aromaticus, contra serum fluxile nimis ac tenue, incrassans magis, gelatinosus. Ibi potus vinosus, aromaticus, hic aquoso-mucilaginosus. Motus corporis placidus.

## §. XXVIII.

*E fonte pharmaceutico*: *evacuantia*, laxantia, purgantia per epicrasin, vel repetita brevibus intervallis: pilulæ præsertim e MP. de succin. crat. ☿. d. rite parat. resin. jalap. ol. dst. anis. Diaphoretica, diuretica cum incisivis remixta: errhina, sialogoga, mastigatoria.

Ex *Alterantium* classe, resolventia, discutientia, aperitiva, interna: infusa theiformia, decocta, è rad: angelic. scorzon. pimp: min. hirundinar. carlin. valer. sarsæp. l: sassafr. sem: fœnic. &c. eff: pimpinel. succin. scord. l: sassaf. TR. ♃: acr. mixt: S: L: TR: ♂: tartari: lud. ♂: cydon. &c. millepedes, rad. valer. &c. in pulvere.

*Externa*: discutientia in sacculis humidis atque siccis, toties in præmissis dispp. laudata. Maritanda cum leniter deficcativis, adstrictivis. In casu autem suppurationis oculi internæ cataplasmata emollientia, paregorica.

## §. XXIX.

E *fonte chir. generalia* primo huc spectant illa præsidia, quibus materia morbifica ab oculis divertitur, revellitur, derivatur, evacuatur per clysmata stimulantia, purgantia, vesicatoria, fonticulum in artubus, setaceum nuchæ & auricularum, hirudinum applicationem post auriculas, ad tempora, venæsectionem pedis, brachii, cucurbitulas scarificatas in dorso, nucha: *specialiter* vero & efficaciter per *paracentesin*, perforationem, punctio-



[n] Post evacuationem puris quid sit agendum, servamus ad operat. chir. abscessus interni oculi, sepedi, extirpationis oculi.

nem oculi, vel in ſclerotica, vel cornea, atque ſimultaneam ſic evacuationem humoris aquei, ſuperabundantis. Sub incudem vocabimus alias hoc thema peculiari diſſertatione.

§. XXX.

*Cautelæ practicæ*: non opponenda ſtatim in principio ſunt adſtrictiva fortia topica. Hæc magis quadrant poſt præmiſſa reſolventia & depletum paracenteſi oculum. Inepta, fruſtranea, imo periculoſa eſt prolapſi oculi repoſitio tentata, dum bulbus adhuc valde turget atque tumet. Fidem ſuam nunquam temere adſtringat ophthalmiater de viſu hic ſervando integro, neque paracenteſin eo differat uſque, donec omnia in oculo ſuſque deque mota ſint. Breves è voto Domini reſpondentis fuimus, modo non ſimul obſcuri!

TANTUM.

DE

XXIX.

# DE PARACENTESI OCULI IN HYDROPHTHALMIA ET AMBLYOPIA SENUM;

## DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA.

*Quam Præside*

BURC. DAVID MAUCHART P.P.

*Tuebatur*

THEOPH. ANDR. SARWEY,

CHÆROPOLITANEO.

Tubingæ 28 Sept. 1744.

# PRÆFATIO.

*PErtexenda est, quam nuper in disp. de hydrope oculi cœpimus, tela. Summis modo digitis ibi tetigimus, brevitatis studio, chirurgicam illius morbi operationem, paracentesin, s. punctionem bulbi ocularii, tum maxime necessariam, cum invictum medicamentis malum majora indies sumit incrementa & structuræ non tantum oculi, sed & functioni magis insidiatur magisque. Hinc quantocyus removenda est ac eliminanda hæc causa, medicis continens dicta, atque, si redeat, iterum iterumque simili tollenda methodo.*

*Non vero saltem in hydrope oculi, s. hydrophthalmia, sed etiam in serosa, vel lymphatica corporis vitrei turgescentia & humoris aquei lentore nimio, & vappida quasi minusque pellucida crasi, &c. locus est operationi nostræ.*

*Parum, vel nihil lucis fœnerant & veterum & recentiorum edita de morbis & curationibus oculorum monumenta. Operæ tamen pretium est, nisi nos fallunt omnia, rariori quidem, sed momentoso ac difficili subinde, oculi hydropi succurrere: imo gratiam profecto meritissimam initura videtur operatio chirurgica ab illis, è litteratorum maxime censu, qui, ex humoris aquei lentore præternaturali ac turbiditate, post quinquagesimum ætatis annum, magis magisque visum hebetari, obscurari, minoribus objectis distincte percipiendis non amplius sufficere, in crepusculo caligare, ac perpetuo conspicillorum jugo (nisi quidem Hispanica æstimatio tædium leniat) subjici, & ne sic quidem satis se adjuvari experiuntur: & vero è paracentesi desideratam hujus amblyopiæ medelam obtinent.*

*Igitur præsenti opella trademus hujus paracentesis ocularia definitionem, etymologiam, inventionem, indicantia, præparationem ad operationem, media & instrumenta, pungendi methodum & cautelas, remedia pharmaceutica & diætetica adjungenda, symptomatum supervenientium mitigationem & ablationem, vulnusculi tractationem pharmaceutico-chirurgicam, operationis modum agendi & juvandi, ejusdemque eventum fructumque, tandem & vindicias ab objectionibus. Faxit* DEUS *omnia cedant in sui nominis honorem atque salutem ægrotorum!*

§. I.

PAracentesis oculi est operatio chirurgica, qua pertunduntur tunicæ oculi, *vel* conjunctiva, huicque subjectæ sclerotica, uvea, choroidea, *vel* cornea, mediante lanceola, aut acu tricuspide, sive cannulata, sive nuda, ad evacuandos oculi humores noxios, in binis, ita dictis, oculi cameris maxime delitescentes.

§. II.

Παρακέντεσις, *paracentesis derivatur* à παρακεντέω, pungo, à latere pungo [*a*]. *Hippocrati*, [*b*] *Galeno*, [*c*] *Paulo Æginetæ*, [*d*] istiusve non tantum ævi, sed omnium quoque posteriorum medicorum libris obvia vox denotat punctionem, perforationem abdominis in ascite, ad liquorem in cavo abdominis hærentem evacuandum. Acu puncturam in suffusione, s. cataracta, oculosque terebratos, speciem paracentesis memorat *Cælius Aurelianus* [*e*]. Perforatio pectoris, in ejus hydrope ac empyemate, item scroti in hydrocele dudum jam sub paracentesis nomine venit, tandem & oculi compunctio, s. pertusio, cum humoris notabili emissione præsertim facta, eadem paracentesis appellatione comprehensa est.

§. III.

Paracentesis in oculo instituendæ, §. I. quinam *primi* sint *auctores*, quantum nobis constat, indigitabimus. Transmittimus tamen inpræsentiarum illas bulbi punctiones; quæ fiunt in operatione hypopyi, hypohæmatis, empyesis, setacei ocularii [*f*], cataractæ, &c. quales etiam non omnes cum finali causa paracentesis, evacuatoria nempe, conveniunt, multoque minus huc referendas censemus incisiones chirurgicas ampliores, scalpello, vel forfice perficiendas, quemadmodum in extractione particularum lentis crystallinæ, vel etiam integræ ejusdem, in cameram anteriorem evagatarum, aut sub operatione cataractæ conciforia & discerptoria separatarum, it. aliquando in staphylomatis operatione, vel abscessus in oculo profundioris incisione & apertione fieri solet: atque sic restringimus, uti totam de paracentesi oculi tractationem, sic etiam originem ac inven-

[*a*], Male ergo plurimi paracentesin per th scribunt.
[*b*] Hippocrates Cous multis locis meminit παρακεντέσεος. Vid. Foëii Oeconom. Hip. voce παρακέντεσις.
[*c*] Cl. Galenus meth. med. L. 14. c. 13. p. m. 90. b. &c.
[*d*] Paulus Ægineta Encheirid. totius med. L. 3. c. 48.
[*e*] Cælius Aurelianus de morb. acut. & chron. L. 1. c. 5.
[*f*] De quibus actum est abunde in præcedaneis dispp. præsidis.

inventionem ad illos maxime casus, ubi *vel humor aqueus* copia, lentore ac turbiditate, *vel vitreus* lympha turget copiosa.

§. IV.

„ Equidem C. *Plinius* [*g*] de succo utriusque anagallidis, fl. phœniceo „ & cœruleo, prædicat: quod cum melle attico discutiat oculorum caligi- „ rem & ex ictu cruorem, & argema rubens, magis cum attico melle inunctis pupillas dilatet: & ideo hoc inungatur ante, quibus *paracentesis* fit. Sed dubium est, annon potius hic eam oculi paracentesin, s. punctionem intelligat Plinius, quæ fit ad suffusionem, s. cataractam acu tolli suetam, quam eam, de qua nobis jam maxime sermo est, perforationem, ad emittendum humorem aqueum? Videtur enim eo fine adhiberi ac inungi succus iste cum melle attico, ut pupillas dilatet; atqui vero in nostra paracentesi nulla opus est prævia pupillæ dilatatione, quæ tamen in cataractæ ordinaria depositione posset eo inservire, ut operator majorem cataractæ ambitum & acus immissæ motum plenius perspicere possit.

§. V.

In antiquissimis pariter ac medii ævi scriptoribus nullum aliud vestigium reperire potuimus, quo vel constitisse illis saltem de nostra oculi paracentesi probabile fuerit, nedum ipsa operandi methodo, vel exemplis. Inter recentiores diligentissimus *Valentini* [*h*] observationem, à celeb. tum medico Francofurtensi, D. *Wesem* communicatam, sub titulo hydrophthalmiæ, punctura acus percuratæ, seqq. adfert verbis: „ Suaserat jamjam „ ille medicus eradicationem oculi, ad hydrophthalmiam funditus curan- „ dam: tentavit tamen primo, annon pertusione oculi aliquid efficere pos- „ set? Quod adeo feliciter cessit, ut evacuato prorsus humore, adhibitis „ internis, & imperata legitime diæta malum prorsus victum fuerit". Pleniorem tamen & morbi & operationis historiam, inprimis, num visu restituto salvoque malum sit devictum, desiderari, manes optimi viri ægre non ferant

*Nuckius* vero [*i*] luculenta duo habet exempla, alterum juvenis Bredani, alterum matronæ cujusdam Hagiensis, quibus ipse paracentesin oculi, ad humoris aquei, in eorumdem hydrophthalmia superabundantis evacuationem, administravit. Nuckii vitulo arasse videtur *Hovius* [*l*] ita differens: „ In hydrophthalmia purgato corpore, si cacochymicum fuerit, im-

[*g*] C. Plinius Secundus Hist. mundi L. 25. c. 13. circa init.
[*h*] Mich. Bernh. Valentini in E. N. C. Anno 6. obs. 70.
[*i*] Ant. Nuck. Silaograph.. 8. Lugd. Bat. 1690. p. 120. 125.
[*l*] Jac. Hovius de circular. humor. motu in oculis. 8. Lugd. Bat. 1716. p. 120.

„ impedimenta humorum refluxum cohibentia, si possibile, mox remo-
„ venda, quodsi voto non respondent, ne nimium extendatur, cornea
„ perforanda, ut humores superflui evacuentur, & oculus ad pristinam na-
„ turalemque magnitudinem redigatur.

*Bartisch*, *Plempius*, *Briggs*, *Guillemeau*, *Banister*, *Coward*, *Maître-Jean*, *St. Yves*, *Read*, *Duddel*, *Taylor* &c. qui expressam oculariæ scientiæ ac praxi navarunt operam ne verbulo quidem attingunt paracentesin oculi, licet horum nonnulli mentionem faciant hydrophthalmiæ. Sed celeber. *Heister*, ut generali suæ chirurgiæ plurima intersperſit egregia opthalmiatrica, sic [*m*] difertis etiam verbis & hydrophthalmiam pertractat, & operationem chirurgicam ejus, nempe punctionem oculi atque humoris aquei abundantis emissionem edocet, ac exemplo, e propria praxi desumpto, illustrat. *Bassius* provocat [*n*] saltem ad instrumentum singulare, quod Woolhousius contra hydropem oculi invenerit.

## §. VI.

Is vero *Woolhousius* jam ante semisecularum fere [*o*] publico annunciavit, se valde curiosum invenisse instrumentum, *paracenterium* dictum, pro nova sua hydropis oculi operatione. Post hæc etiam edidit catalogum 40. operationum chirurgicarum, quas oculis administret [*p*], ubi §. 10. tacitam oculariæ paracentesis facit mentionem, sub titulo emissionis, renovationis, redintegrationis aquei humoris, vitiati, turbidi, atque ut loquitur, hydropici, &c. Typis autem impressam nullibi, quantum novimus, publicavit l. morbi, l. operationis historiam: tradidit tamen suis auditoribus, inter quos ipse fuit per biennium fere præses hujus disputationis, & viva voce & scripto. Neque vero sibi tribuit inventionis gloriam, eo certe respectu & fine, quo adhibetur paracentesis contra amblyopiam, ab impuritate humoris aquei in senio contractam, sed fatetur laudatque *authorem* celeber. quemdam ocularium Londinensem, *Turberville*, Patri Woolhousii, itidem ocularium, contemporaneum conjunctissimumque amicum, qui retulerit se hanc operationem acceptam referre Capitaneo cuidam Anglo, quindecim annos olim Pechini apud Sinas commorato, à quo illam didicerit. Hanc operationem feliciter pluries abs Turbervillio exercitam, spectante Woolhousii Patre, imo se ipsum vidisse civem Londinensem, cui is paracentesin hancce intra 11. annos bis adhibuerit, donec &

[*m*] Laur. Heisteri institut. chir. 4. Amstel. 1739. p. 633.

[*n*] Henr. Bassii *erläuterter* Nuck. 8. Hall. 1728. p. 234. in nota ad fin.

[*o*] J. Th de Woolhouse Catalogue d'instrumens pour les operations des yeux; vid. Journal des Scavans an. 1696. p. 682. edit. Amstelædam.

[*p*] E. N. C. ad Cent. V. & VI. append. p. 134. an. 1717. it. in Dissertations scavantes & critiques de Mr. de Woolhouse, mises au jour par Mr. le Cerf, Dr. en med. 8. à Offenbach sur le Meyn: statim post præfationem libri.

& ipſe hanc in Hibernia & Gallia pluries tentaverit feliciſſimo cum ſucceſſu, refert noſter *Woolhouſius* [ *q* ].

## §. VII.

*Indicantia* paracenteſis noſtræ ſunt ( α ) : *hydrophthalmia*, ſ. hydrops oculi, ab exuberante humoris aquei copia ortus, iſque medicamentis tolli renuens atque majora indies incrementa minitans atque pericula ( β ). Humoris *aquei* lentor p. n. atque *turbiditas vel totalis*, unde radiorum luminoſorum atque ſpecierum viſibilium liber tranſitus impeditur, atque viſus hebetudo enaſcitur, ſ. amblyopia : *vel partialis obfuſcatio*, quando filamenta tenuia, aliæve atomi, in ipſo humore concretæ, vel e nigro uveali pigmento ſeparatæ fluctuant in humore aqueo, ſecunda oculi regione detento, viſuſque impedimentum & deceptionem efficiunt, quaſi obvolitantium muſcarum aut aranearum pedum ( γ ). Corporis *vitrei* ſeroſa *turgeſcentia*, l. ſolitaria, l. cum aquei humoris incremento conjuncta toti conformationi bulbi non tantum ſed viſui valde perniciosa ( δ ). Sagaciorum judicio relinquimus : annon in ſimili *turgeſcentia*, ſ. ſeroſa, ſ. purulenta ipſius *cryſtallinæ lentis*, & in lactea, quæ vocatur, cataracta, paracenteſis locum habere poſſit, ſive acu ad cataractas deponendas adhiberi ſolita, paulo majore, ſeu tricuſpide tenuiſſima acu cannulata, quam Galli *trois-cart* appellant, atque dehinc vel ſeroſi, l. lactei, l. purulenti liquoris emiſſio, vel exſuctio ( ε )? Pus in ſecunda oculi regione fluctuans, 1. *Empyeſis*, de qua haud ita pridem in peculiari egimus diſſertatione.

## §. VIII.

*Nomen* huic punctioni ocularіæ ſpecificæ, determinatæ ad renovandum humorem aqueum, ( §. 7. lit. β. prima diviſione ) impoſuit Turbervillius Kataſtaſiæ, Woolhouſio referente ; rectius vero ἀποκατάστασις vocatur, quæ denotat redditionem, reſtitutionem, it. reſtitutionem in priſtinam formam & ſtatum : unde Woolhouſius eam quoque vocavit, renovationem, ſeu redintegrationem humoris aquei. Aſt nos retinebimus nomen generale paracenteſis, cum entia non ſint multiplicanda præter neceſſitatem, & ipſa hæc ἀποκατάστασις aquei humoris non alia intelligatur, quam quæ fit mediante paracenteſi.

§. IX.

[ *q* ] Provocamus hic & in ſeqq. ad collegia dictata Woolhouſii, quæ in plurimorum verſantur manibus, ipſiuſque etiam Heiſteri, Platneri &c. quos ideo ceu maxime idoneos provocamus Judices, quantum differant illa dictata, paſſim manca, confuſa & intricata à noſtra, quam hactenus in ophthalmiatriam contulimus opera qualicumque, plurimis acceſſionibus & emendationibus aucta ! Id quod præfiſcini dixerimus.

§. IX.

*Præparatio* ægri *ad operationem* fit, pro ratione ſubjecti & ſymptomatum, purgationibus, venæſectione, diæta tenui ac exſiccante. Brevi ante operationem vel juſculum, l. vinum generoſum, vel analeptica quædam potio in exigua doſi propinatur, prout ex his alterutrum vel magis requirat æger, vel melius ferat. *Inſtrumenta* vero *atque media*, quibus æque peragitur hæc paracenteſis, ac, quod ab operatione reliquum eſt laboris perficitur, pauca ſunt: *ſpeculum oculi* optimum Woolhouſianum: quale delineat Heiſterus Chir. lat. Tab. 17. fig. 16. *Acus tricuſpis*, intra cannulam abſcondita, ut extremo ſaltem apice e cannula promineat, ſtructura accedens ad exemplar, quod Heiſterus ſiſtit Tab. chir. lat. 24. ſed brevior multoque anguſtior tenuiorve, calamum corvinum craſſitie vix æmulans: eſtque hæc ipſiſſimum, quod novorum nominum mirus amator, Woolhouſius, ſuum vocavit *paracenterium*: *ſimilis acus*, ſed *cannula & manubrio denudata*: porro *lanceola*, phlebotomiæ alias deſtinata, in mucronem acutiorem deſinens, emplaſtro circumvoluto munienda uſque ad brevem apicis nudi prominentiam: *patella* quædam *plumbea*, vel *hemiſphærium concavum*, e cornu tornatum, vel *compreſſor Hippocratis*, qui eſt machina compreſſiva, ſimilis illi, quam e Platero delineat Heiſterus chir. lat. T. 16. f. 20. quæ vero loco noduli, per lit. A. denotati, habet patellam ferream, holoſerico obductam: *collyrium humidum*, infra §. 14. deſcriptum: *albumen ovi*, cum alumine crudo in ſpumam conquaſſatum, manipulo goſſypii illitum: *ſplenia aliquot* e linteo multiplici, quadrata: *faſciæ* duæ, 6. vel 7. pedes longæ, duoſque pollices latæ. Non promiſcue, ſed accommodate ad ſua indicantia §. 7. hæc uſurpentur inſtrumenta, ut e ſequentibus patebit. Caſus etiam ſunt, ubi *ampliore* opus fuerit *inſtrumentorum apparatu*, qualem in diſp. de empyeſi §. 13. deſcripſimus.

§. X.

*Locus paracenteſis in oculo* eſt vel *electionis* vel *neceſſitatis*. *Neceſſitantem* vocamus, quando bulbus aliqua ſui parte magis protuberat [r], tunicas ibi obtinet tenuiores, aut ſingularia obſtant impedimenta, quo minus loco, alias debito, vel conſueto poſſit inſtitui. Hoc igitur caſu perinde eſt, ſeu in medio anteriore bulbo in cornea, ſeu à latere punctio fiat. Locus *electionis* eſt ille, in quo & punctio ſecurior eſt, & nulla cicatrix, ægri viſum poſthac impediens, corneamve deformans relinquitur. Unde diſpaleſcit, corneam minime pro ſubjecto punctionis, præſertim in medio ſ. centro, eligendam eſſe, ſed potius ſcleroticam, lineæ, l. ulteriori, diſtan-

[r] Nuckius l. c. in hydrope oculi, tribus excreſcentiis cornuum in modum obſiti, unam ex his protuberantiis ipſis pertudit.

tantia à circulo corneæ, inque latere bulbi externo, ſive quod reſpicit canthum oculi externum, loco aliquantum decliviore, quam in cataractæ depoſitione moris eſt, in cavum uſque regionis ſecundæ oculi perfodiendam eſſe; ſi vero bulbum oculi diſtendat, hydropicumque reddat vitreus nimium turgidus, oportet in punctione duas circiter lineas à corneæ circulo recedere.

## §. XI.

*Modus*, quo *paracenteſis* adminiſtrari debet, huc redit: æger in ſellà paulo humiliore conſideat e directo luminis ac operatoris, ſanus oculus ſplenio faſciaque obducatur, oculus affectus oculario ſtabiliatur ſpeculo, vel, ſi in prægrandem auctus ſit molem, digitis alterius manus ab operatore, vel quodam amanuenſi firmetur non ſaltem, ſed & verſus angulum internum, ſi nimia moles permiſerit, dirigatur aliquantum, cum nempe inciſio in ſclerotica eſt facienda; ſi vero cornea ſit pertundenda, non opus eſt hac bulbi adductoria detorſione. Acus, punctioni inſervitura, & ad latus externum circuli corneæ infigenda (§. 10.) ipſi conjunctivæ, ſcleroticæ &c. recta & repente intrudatur in regionem oculi ſecundam, non profundius, quam dictarum tunicarum craſſities requirit: niſi quidem in turgeſcentia vitrei ſeroſa mucronem acus in ipſum vitrei corpus, atque ſic paulo ultra internam choroïdeæ ſuperficiem adigere oporteat.

Si acus cannulata ad hanc punctionem fuerit adhibita, extrahatur acus e cannula, hæc vero relinquatur, ut mediante ipſius canali liquidum penile oculo effluat, id quod in hydrophthalmia fit rivuloſa emanatione. Humoris una vice tantum effluere permittatur, quantum ſponte promanat. Si lanceola pro bulbi perforatione adhibeatur, oportet illam limbis ſuis ſcindentibus, altero ſurſum, altero deorſum ſpectante, infigere, ac vulnuſculum facere perpendiculare: porta vero ſic aperta lanceolam, ut in venæſectione fit, confeſtim extrahere, ac humori præternaturali exitum præbere.

## §. XII.

Inflictum acu vel nuda, vel cannulata, vel lanceola *vulnuſculum ſervari apertum* integrò triduo, vel quatriduo jubet Woolhouſius, procul dubio in eum finem, ut non ſaltem omnis iſque craſſior humor aqueus effluat, qui jam tum, cum operatio inſtituebatur, adfuit, ſed is etiam qui denuo colligetur poſt operationem factam. Sed quomodo ſervari debeat apertum, non tradit. Equidem in paracenteſi abdominis, & ſcroti pariter aliquando, ſolet cannula, extracta acu, intra vulnuſculum relinqui, & epiſtomio claudi ſicque ſerum, quoties e re videtur, citra novam punctionem, facile denuo evacuari: vel in abſceſſibus fiſtuliſque orificium ſervari patulum immiſſa turunda: aut labia vulnuſculi cujuſdam unguento pomato, aliove emolliente peruncta digitis ſubinde diduci diſtrahique ſolent,

ſicque impedita conſolidatione, conniventia præſtari ac hiulca, quemadmodum in ſanguinis miſſionibus ex eodem venæ inciſæ vulnuſculo intra unum diem repetendis aliqui conſueverunt. Verum enim vero ſi aliquam ex hiſce methodis oporteat eligere, nos quidem *turundulam e linteo carpto* præferremus, quoniam à reliquis metueremus nimiam irritationem, affluxum copioſiorem & inducendam inflammationem: certe poſt primas aliquot punctiones vulnuſculum à conſolidatione non videtur porro eſſe arcendum, cum tarde, longoque intervallo nova colluvies demum colligatur & tandem plane deſinat, tum vero ipſa punctio repeti facile poſſit vel in priore loco vulnuſculi, firma cicatrice nondum coaliti, vel vicino novo.

## §. XIII.

*Bulbus* oculi ordinario non in totum liberatur ab hoc diluvio prima punctione, *ſubſidet* tamen notabiliter. *Neque conſultum* eſt intempeſtive ſedula bulbi compreſſione mediantibus digitis *ulteriorem* tunc reſtitantis aquei humoris *copiam exprimere*, tam ne læſo jamjam oculo vis inferatur ulterior, ut Nuckius monet, quam ne, ſubitanea bulbi ſubſidentia totali, cornea nimium appropinquetur iridi ac pupillæ, vel uvea ad cryſtallinum nimis apprimatur & affricetur. *Si* vero *humor* præ nimia ſpiſſitudine *cunctetur exire*, vel dilatandum eſt vulnuſculum mediante lanceola, aut forfice, vel liquor tenax canaliculo ſuctorio, qualem Platerus [*s*] deſcribit, aliove, per ſuctionem provocandus; vel injecto per tenuem Anelliana ſyringam liquore diluente, tepido attenuandus atque eluendus, uti ex profeſſo talia profecuti ſumus [*t*] olim.

## §. XIV.

*Abſoluta operatione*, ac humoris aquei quantitate ſufficienti educta, bulboque oculi, antea valde turgido, jam notabiliter collapſo & contractiore facto hanc nos ſuademus *faſciandi methodum*, ad inflammationem æque præveniendam, ac e præcedanea diſtenſione debilitatis oculi tunicis robur tonumque conciliandum: ſcilicet *collyrium* hoc inſtilletur bulbo tepidum: ℞. Tut. præparat. ʒj. Sacch. Saturn. Scrupulum ſemis aq. plantag roſar. aa ℥iß. ſpir. vin. camph. Scrupulum unum. M. Linteolum molle, hoc collyrio imbutum, toti bulbo, ſub palpebris, obducatur: palpebris autem ſuperimponatur *goſſypium* albumine ovi, cum alumine crudo in ſpumam agitato madidum, & ſupra hæc *ſplenium ſiccum* multiplex. Cuncta firmentur faſcia mediocriter adſtricta.

Singulo ſic horio repetatur eadem methodus, uno pluribuſve diebus. In poſte-

[*s*] Fel. Platerus Prax. c. 7. p. 283.
[*t*] Diſp. de Empyeſi p. 15. 16. & de hypopyo p. 26.

posterum vero, cum *majore opus* sit *adstrictione* ac *compressione bulbi* ocularii, hancque non impediat inflammatio dolorifica, paracentesin insecuta, imponendum est loco gossypii albuminosi splenium e linteo multiplici crassius, *decocto adstringente* imprægnatum calidum, huicque aliud siccum superinjiciendum, fasciaque nunc strictius apprimendum utrumque. *Decoctum illud* paretur e rad. symph. tormentillæ an. ℥ij. gallar. ʒvi. fl. balaust. ℥j. M. C. Coq. in aq. ferrarior. & calcis vivæ an. ℔ij. ad dimidias, colat. add. spir. vin. rectif. ℥vj.

## §. XV.

*Patella plumbea*, cujus primo meminit *Nuckius*, dein *Heisterus*, imponenda bulbo, post hujus punctionem, pro fortiore compressione, non quadrat promiscue. In illo quidem casu, quo eam adhibuit *Nuckius* [*u*] tuto potest adhiberi: nimirum ibi non erat quæstio de visu vel conservando, vel restituendo, sed bulbo saltem ad convenientem reducendo magnitudinem, ut neque se denuo pateretur nimio humorum confluxu distendi, neque impediret artificialis oculi applicationem; ast corneæ in debita pelluciditate ac nitore conservandæ non æque quadraret tam plumbea isthæc gravisque patella, quam arctior fasciatio.

Metum hunc aliquatenus diluit quidem *Heisteri cautio*, qua patellæ linamentum carptum, albumine ovi & rosarum aqua madidum subdit atque sic asperiorem attritum avertit: anne satis quoque pressionem, affrictionem, stimulum? *Post operationem applicitumque* fasciationis *apparatum*, utroque oculo obligato, in lectum se componat æger, supinus atque quietus jaceat, in tenebris jugiter versetur. Paucos, eosque siccantes assumat cibos, carnem assam potius, quam elixam, cultro tamen concisam, ne fortius masticare cogatur, &, quod ultra §. seqq. jubebitur, exequatur strenue. *Post vitrei punctionem* suadet *Woolhousius* decoctum rad. helleb. n. naribus attrahendum, &, quando bulbus e voto subsedit, satisque humoris oculo videtur eductum, sub singulis oculi novis fasciationibus guttulam vini emetici ordinarii tepidam bulbo instillandam, palpebrasque & spleniis, decocto granatorum imbutis, obtegendas, & supra hæc injiciendum compressorem Hippocratis, (§. 9.)

## §. XVI.

*Repetenda* aliquoties est hæc *paracentesis* in hydrophthalmia, cum novo humorum confluxu turget bulbus oculi. Quinta vice repetitam in duobus subjectis memorat *Nuckius* l. c. eo cum eventu, ut denique servarit bulbus desideratam magnitudinem. Danda vero simul est opera, ut aliis quoque remediis affluxus & congestio ab affecto revocentur oculo, serosa sanguinis caco-



[*u*] Nuck. Sialogr. p. 124.

cacochymia corrigatur, vasa oculi obstructa referentur, debilitata roborentur & visus acuatur. Sed cramben pharmaceutico-diæteticam hic non recoquemus, allatam scil. ad nauseam usque, in dispp. præmissis, præsertim de hydrophthalmia §. 27. & ss.

Neque cunctis his indicationibus tuto supersedere licet vel in misero casu illo, qui curam dumtaxat palliativam admittit, nec quidquam spei in ordine ad visum facit reliquum. Cum enim hic agatur de turgescentia & mole oculi fœda, molesta, dolorifica atque periculosa tandem futura, constanter & secure tollenda ac coërcenda, nec non de avertendo transitu in fungosam, malignam & cancrosam naturam, satis operæ pretium fore reputamus, si tanta præveniantur mala, quamvis visu privatus, imo deformis angustiorque remaneat oculus.

## §. XVII.

In casu hydrophthalmiæ, quæ fit vel e sola vitrei turgescentia serosa, l. conjuncta cum humoris aquei superabundatia, præcipit Woolhousius idem *instrumentum*, *modumque adhibendi*, quibus usus est *Turbervillius* ad humorem aqueum turbidum *in amblyopia* evacuandum. Enarrabimus ergo, fide Woolhousii, *totum processum curæ*, quem inivit olim ingeniosus ille ocularius *Tourberville* : nimirum acum tricuspidem, *trois-cart* dictam, tenuem, manubrio & cannula privatam, dicto (§. 10. & 11.) scleroticæ loco infixam rotavit aliquoties inter indicem pollicemque, quasi terebrando. Punctionem, in amblyopia ex humore aqueo non quidem abundante, sed turbido, orta, instituit paulo inferius, ac in cataracta solet, ut inferior atque feculentior humoris aquei portio tanto facilius effluereat loco foraminis decliviore. Parum quidem, etiamsi totus fuerit excretus humor aqueus, in utraque oculi camera contentus, effluere potuit in hac operatione, cum naturaliter tota ejus quantitas grana v. vix superet in ipsis quoque adultis. Statim à punctione supinum in lecto collocavit ægrum, oculumque operationi subjectum quam mollissime obligavit imposito gossypio, quod imprægnatum fuit defensivo ordinario ex albumine ovi. Rationem cur, facile subolfacimus : ne scil. post humoris aquei evocationem subsidens cornea nimium apprimeretur iridi, oculusque, aliquantum collapsus spatium servaret liberum pro nova sui repletione, per aqueum humorem regenerandum : cumque hæc operatio soleat in utroque suscipi oculo, per se patet, utrumque tanto magis esse obtegendum vinciendumque molliter, quod alias per canonem in ejusmodi operationibus uterque oculus semper sit obtegendus, ægrotusque servandus, sub fasciarum solutione & alias, in obscuro loco, licet alteruter modo oculus operationi subjectus fuerit. Hanc fasciandi methodum ac ægri in tenebris detentionem protraxit ad octo, plureſve dies.

§. XVIII.

## §. XVIII.

Quali *pharmaceutico - dietetica* hanc suam paracentesin prosecutus *cura* fuerit *Turbervillius*, statim subjungemus: nimirum 5. vel 6. ab operatione horis plane nullum ægro suppeditavit alimentum, neque primo octiduo concessit aliud quam jusculum carnis vitulinæ ac gallinaceæ. Propinavit insuper quovis mane seq. jusculum medicatum: ℞. Columbam juniorem deplumatam concisamque, Hb. chæref. rec. mij. M. Coq. in aq. fontan. ℔viij vase obtecto ad remanent. ℔iv. Colaturæ huic immittantur duæ viperæ vivæ mediocres, aut una major, capite extremaque cauda truncatæ, ab exuviis & pinguedine liberatæ, in frusta concisæ, ipseque sanguis extillans pariter in jusculum depluat. Vasi terreo, vel stanneo, bene lutato, & obturato jusculum hoc viperinum includatur, & in MB. digeratur, leniterque coquatur, atque postea in vase probe obtecto ad usum servetur. Haurienda vero est quovis mane hujus jusculi, denuo calefacti ℔ß. Hocque pergendum est tramite integris 15. vel 20. diebus [x]. Interponit etiam pro potu aquam lactis destillatam, juxta descriptionem in dispens. Londinensi.

## §. XIX.

*Post* primum ab operatione *octiduum*, vel decendium talis æger ad luminis admissionem usumque pedetentim est assuefaciendus, à decubitu diurno liberandus, & cum denique circa decimum quintum, vel octavum in publicum est proditurus, valedicere jusculis viperinis, sed harum loco uti debet, 20. vel 30. dierum spatio, *infusione* contritorum 15. vel 20. *millepedum* vivorum e modica vini hispanici quantitate. Prout diureticum hoc remedium urinas plus minus moverit, poterit & numerus millepedum, & curæ tempus vel extendi, vel diminui.

*In posterum* vero *abstinendum* est non saltem ab omnibus, quæ sanguinem nova inquinare cacochymia oculosque possunt lædere, præsertim à frequenti lacrymatione, gelido vento, immodica lectione ac scriptione &c; sed tempestivis etiam purgationibus ac scarificationibus, oculariisque remediis, oxydercicis, humores purificare decet & oculum confortare: imo primis ab operatione mensibus ab omni lectione & scriptione suos dehortatur ægros Turbervillius.

## §. XX.

*Eventus curæ* hujus *Turbervillianæ* fuit, ut amblyopia non tolleretur modo perfectissime, ac minutissimorum quoque objectorum clarus atque distinctus redderetur visus, qualis adolescentum lynceus esse solet: sed & talis inte-

[x] Quam confuse, sparsim & præpostere totum hunc processum descripserit Woolhousius, dictatorum ejus possessores agnoscent facile.

integer perſtaret ſeptem octove annos; cum vero iterum deficere occiperet, pari felicitate reſtauraretur, repetita priori methodo. Exemplum hujus curæ Turbervillianæ ſupra, §. 6. allegavimus, ex recenſione Woolhouſii, luculentum pariter ac feliciſſimum: quæ ideo veſtigia feliciter preſſit & ipſe Woolhouſius. An vero plures è noſtratibus hanc viſui ſuo hebeti medelam chirurgicam facile ſint permiſſuri, juſtum nobis dubium faciunt ſeculi, quod vivimus, mollities, nimiſque ſenſilium ægrotorum teneritas, qui non cæcutire modo, ſed & prorſus cæci eſſe malunt, quam ex operatione chirurgica vel tantillum dolere.

## §. XXI.

*Vulnuſculi* unius, vel plurium paracenteſi inflictorum facilis eſt *conſolidatio* atque cicatriſatio. Ipſum collyrium & albuminoſum, & adſtringens aliquod facile huic ſatisfaciunt intentioni. Si tamen vulnuſculum, turundula immiſſa patulum ſit ſervatum atque eo ipſo magis dilatatum, poterit, extracta turunda, balſamum Arcæi, vel opobalſamum illini, & linteo carpto, vel tenuiſſima bracteatorum auri membranula obtegi, atque ſic conſolidatio facile obtineri.

*Symptomatibus* huic operationi *ſupervenientibus*, præſertim in vitrei punctione & acus rotatione intra oculum, tempeſtive eſt *occurrendum*. Sunt vero hæc partim dolorifica, partim inflammatoria, & quæ ex his conſequuntur, vigiliæ, febris, ſpaſmodici motus, ſuppuratio &c. Unde Woolhouſius mox poſt vitrei punctionem jubet nuchæ *veſicatorium* imponere, inter ſcapulas vero *emplaſtrum è pice navali*: imo, ſi temporum arteriæ fortiter pulſent, ſicut ordinario fit, aut hemicrania ſaltem jugiter inſtet, ipſam *arteriotomiam* præcipit, ſ. in temporibus, ſ. poſt auriculas. Veſicatorium quoque ſ. in nucha, ſ. brachiis in qualicumque paracenteſi oculi poteſt applicari, tam ad præveniendum mala ſymptomata, quam ad imminuendum affluxum nimium humorum ad oculos, hydropiſque oculi recidivam. *Temperantia*, *antiſpaſmodica*, *diaphoretica* & *anodyna* tempeſtive ſunt variis ſymptomatibus deſtinanda. Si fungus oculi metuatur poſt paracenteſin, abſtinendum eſt ab humidis & unctuoſis medicamentis: ſurrogare vero oportet *exſiccantia*, *adſtringentia*, imo & *cauteria actualia*, vel & denique totius *fungi extirpationem* moliri.

## §. XXII.

*Modum agendi juvandique* in hac operatione Turbervilliana imaginamur talem: evacuatione humoris aquei viſcoſioris turbidique tollitur non modo cauſa hebetudinis viſus, medium nempe craſſius impuriuſque, per quod radii minus libere vivideque ad fundum oculi trajicere valuerunt: ſed & anſa præbetur recens ſecernendo humori aqueo dilutiori ac puriori, quatenus oſcula vaſculorum, humorem aqueum ſecernentium atque reſorbentium minus poſt hanc operationem chirurgicam preſſa & inviſcata funguntur liberius ſuo

officio: insimul vero per remedia pharmaceutica atque diætetica magis magisque corrigitur, inciditur atque resolvitur dyscrasia lymphæ viscida, & impura in oculis, atque sic depuratus humor aqueus limpiditatem suam multorum decursu annorum servat.

Quod acum tricuspidem, oculo infixam, inter digitos aliquoties rotaverit Turbervillius in casu amblyopiæ, non tam factum eo fine putaverimus, ut frictione quadam vascula uveæ, vel choroïdeæ lacesseret & aperiret, aut lentem crystallinam attereret, sed potius ad foramen, quod acu fecerat, dilatandum, ut crassior aqueus humor expeditius effluereret. Illustrat hanc operationem observatio haud infrequens, hebetudinis visus emendatæ & ablatæ, ad tempus certe, post superatam ophthalmiam humidam, cum longa & copiosa seri, è glandula lacrymali, & muci spissioris, glutinosi, purulenti è glandulis *Meibomii* sebaceis ploratione

*Paracentesis* autem *in hydrophthalmia*, ab exuberante aqueo humore orta, pariter non modo tollit è vestigio causam continentem, sed & locum facit activitati medicamentorum tonicorum atque adstringentium, ut cornea atque sclerotica fortius jam resistere queant novæ expansioni, & vasa humorem aqueum copiosius adducentia nimisque patula stringantur. Certe quæ primas punctiones brevi consequuntur, nova humoris aquei collectio & abundantia satis testantur de præternaturali vasorum adducentium anastomosi.

In hydrope oculi, à turgescentia vitrei corporis serosa acum tricuspidem oculo infixam, pariter, ut in priori Turbervilliana methodo, sexies circiter inter digitos gyrat *Woolhousius*, nova etiam procul dubio hac è ratione, ut serum in textura loculisque vitrei corporis detentum eliceret magis ipsique vulnus infligeret amplius. An vero hæc methodus tantumdem valeat ad visum restituendum aut conservandum, ac ad hydropem penitius curandum, hoc loco non disquiremus?

## §. XXIII.

Quem ergo denique *usum fructumque ex hac varia paracentesi* liceat capere, paucis declarabimus (α)? Hydrophthalmiam tollit perfecte ac constanter, atque sic non deformitatem tantum aufert, sed prævenit etiam gravia, è nimio humoris aquei incremento, ac enormi tunicarum distensione metuenda buphthalmiæ, crepaturæ bulbi, staphylomatis, fungi, dolorum, cancri &c. mala. Aut (β) si vel maxime casus existant, jugiter à punctionibus recidivantis hydrophthalmiæ, novam tamen & his medelam, licet temporariam, adfert punctionis repetitio (γ). Imperfectas quidem tales vocaveris curationes, quibus nec visus abolitus restitui, nec hebetior emendari, nec qualiscumque adhuc ante operationem superstes conservari possit semper atque certo. Ita est, in principio hydropis oculi spem aliquam visus conservandi magis, quam restituendi, si penitus fuerit abolitus, facere licet, fidem vero suam obstringere prudens non audebit operator (δ). Serosa colluvie turgescens vitreus, in paracentesi vulneratus, & liberatur ab hac lymphatica sar-

cina, &, facta consolidatione vulneris, servataque naturali limpiditate, in naturalem reductus diametrum non amplius super lentem crystallinam eminet, definitque confusas radiorum inferre refractiones ac obnubilationem. Atque sic curatur singularis etiam hæc amblyopiæ causa (ε). Methodo & exemplo Turbervillii curatur visus hebetudo & obscuratio per eductum humorem aqueum, vel lentore turbido in universum peccantem, vel particulis heterogeneis filamentisque inquinatum, atque surrogato in hujus locum puriore regenerato. Qui profecto non contemnendus est paracentesis effectus, etiamsi post sex novemve annos illa repeti debeat (ζ). Eadem hac Turbervilliana methodo, acusque rotatione & affrictione ad processus ciliares, hi, segniores antea, sic excitantur, tonum recipiunt, lentem crystallinam reddunt mobiliorem, nunc propius, nunc remotius admovent retinæ, illamque convexiorem reddunt, sicque ad presbyæ curationem faciunt (η). In empyesi, hypohæmate, hypopyo paracentesis ocularіæ usus est palpabilis, atque in præmissis disp. de hypopyo & empyesi luculenter demonstratus (ϑ). An, & quis possit usus esse paracentesis in lentis crystallinæ ipsius [y] serosa, lactea, vel purulenta turgescentia, jam supra §. 7. tanquam problema attulimus?

## §. XXIV.

Ad ultimum elidendæ sunt aliquæ *objectiones*, quibus nostra paracentesis impugnari posset speciose. Posset enim prætexi: quod etiamsi veterum medicorum formidinem intempestivam de humore aqueo, semel evacuato, non amplius reparabili abjiciamus, subsequi tamen possit, ex ejus evacuatione per paracentesin, corneæ & scleroticæ subsidentia & corrugatio, atque sic regionum oculi, anticæ ac posterioris collapsus, tunicarum ad se invicem appropinquatio, imo adhæsio uveæ p. nlis, & limbi pupillæ interni adcretio ad tunicam lentis crystallinæ arachnoideam, idque tanto facilius, quod mucrone acus infixæ & intra oculum rotatæ non possit non aliqualis earum tunicarum laceratio, vel excoriatio induci, cum tanta sit secundæ regionis oculi angustia, quæ, juxta accuratum *Petiti* [z] calculum, non sine violentia & damno admittat acum illam tricuspidem, in paracentesi adhibendam. Quin imo ex affrictione, stimulo, excoriatione, illatis oriatur inflammatio atque suppuratio periculosa; quodsi vero ipsa lens crystallina acu lædatur, fricetur, compungatur, hæc reddatur turbida & cataractam acquirat: &, si vel nihil aliud, redeat labor actus in orbem, paracentesis non sit nisi temporarium & inconstans remedium, quoniam nec corrigere vitiosam aquei humoris crasin, nec vasorum, quæ humorem aqueum adducunt atque reducunt vitia possit emen-

[y] Lentem crystallinam in sua capsula naturaliter irrorari limpidissima, sed paucissima, lympha notaverunt Morgagn. advers. anat. 6. p. 90. & Petit, med. Acad. des scienc. an. 1726. p. m. 112.

[z] Idem Petit, medicus, mémoires de l'Acad. des sciences an. 1728. & in Schediasmate an. 1729.

emendare. Imo denique si vel maxime desideratus post paracentesin affulgeat eventus, hic tamen potius debeatur longæ ac efficaci curæ pharmaceutico-diæteticæ, quæ operationem hanc chirurgicam præcessit, comitatur atque sequitur.

§. XXV.

Sed ita *respondemus* ad hæc dubia (α): vanus omnino fuit tam veterum quam recentiorum metus, ne humor aqueus post evacuationem non regeneretur, isque metus, uti tot aliis experimentis, ita collectione nova post paracentesis excutitur totus (β). Repentina & totalis oculi subsidentia solicite cavetur in paracentesi hydrophthalmiæ, non omnem una primaque vice humorem emittendo. In casu vero amblyopiæ, ab humore aqueo, qua impuro saltem, non abundante, profectæ, omnis quidem semel atque simul evacuatur aqueus humor, sed, cum hinc non possit magnus subsequi collapsus oculi, tunicæ etiam interiores humidæ maneant, & brevi novus succedat humor aqueus, non est, quod metuamus internam tunicarum molestam frictionem, aut plenem concretionem (γ). Etiamsi vel data opera, vel ex improviso processus ciliares, ligamentum ciliare & interna superficies vel choroïdeæ, vel uveæ fuerint nonnihil acu tricuspide attriti, excoriati atque vulnerati, tamen non facile concretio tunicarum internarum, neque periculosa inflammatio, aut suppuratio subsequitur, cum partim novus à tergo sequens humor aqueus se dictis interponat tunicis, partim vero medicamenta tempestive opponantur inflammationi metuendæ (δ). Lentis crystallinæ, nisi & ipsa vitio laboret, §. 7. lit γ. indigitato, læsioni prospicitur hac cautela, ut ne acus infigatur profundius, quam tunicarum, bulbum oculi continentium atque constituentium crassities requirit (ε). Quodsi tamen acus attigerit & parum compresserit ipsam lentem crystallinam, modo non vulneraverit, damnum est nullius momenti (ζ). Repeti quidem paracentesis semel iterumque debet in hydrophthalmia, ast sufficit repetitione ipsa juvare; & licet (η) unitis cum reliqua pharmaceutico-diætetica cura juvet viribus, maxima tamen gloriæ pars debetur paracentesi, quoniam, mediante hac, non modo causa hydropis oculi & amblyopiæ continens tollitur è vestigio, sed reliquis etiam remediis via sternitur, ut liberius ac efficacius agere possint, qualia scilicet ante operationem, & sine hac, fuerunt irrita.

TANTUM!

# TABULA DISPUTATIONUM

## *VOLUMINIS PRIMI.*

I. J. ANDREAS CONRADI memorabilem graviſſimi vulneris curationem tradidit quo globulus plumbeus cerebri partem quaſſaverat. Primum prodiit Leidæ 1722. *pag.* 1

II. RUDOLPHUS CHRISTIANUS WAGNERUS *de contraſiſſura* rogante Leibnizio diſputavit Jenæ ann. 1708. Curioſiſſimus mortalium ſcire avebat, num omnino ſeverior matheſis hujuſmodi calamitates admittat. Eam noſter cum exemplis practicis conjunxit, & oſtendit utique id malum accidere poſſe. 15

III. J. FRIDERICUS CRELLIUS Heiſteri, illuſtris viri, olim gener, *de tumore capitis fungoſo poſt cariem cranii exorto* Helmſtad. 1743. maximum & enorme malum ſerius funeſtum deſcripſit. 45

IV. JOANNIS CASPART diſp. *de exoſtoſi cranii rariore*, Argentor. 1730. Funeſtæ à venerea cauſa exoſtoſeos rarum exemplum delineavit. 63

V. J. HADRIANUS SLEVOGT *de carie cranii*, Jenæ 1695. Funeſtum etiam eventum cum vermibus duræ membranæ inſidentibus, erudite, ut certe ſolebat, enarravit. 84

VI. BARTHOLOMÆI MURRY theſis in hæc verba, *ergo poſt gravem ab ictu vel caſu capitis percuſſionem non juvante etiam iterata terebratione dura meninx inciſione aperienda*, Pariſ. 1736. propoſita, vanam religionem experimentis refutavit, qua duram membranam ignariores chirurgi ſuſpexerunt. 97

VII. DANIEL HOFMANNUS *rariſſimam cerebri quaſſati ſanationem cum notabili ſubſtantiæ deperditione* Tubingæ 1719 protulit. Puerum ipſe bene novi, cui later de tecto in caput delapſus pene totam calvam comminuerat, ut cerebrum diſperſum exſiliret: & à tanto tamen malo nullum veſtigium in animi & corporis viribus memini ſuperfuiſſe. 109

VIII. CHRISTOPHORUS TEUBELER proprias inque caſtris collectas hiſtorias *de vulneribus cerebri non ſemper lethalibus* defendit, Halæ 1750. non abſque phyſiologia. 121

IX. Eximia & rara diſputatio GOTHOFREDI SAND *de fungo cerebri* agit, quem maſculis perterebrationibus & inciſionibus curavit. Regiomonti 1700. 169

X. Programma eſt clar. viri GEORGII AUGUSTI LANGGUTH, *de ſinus frontalis vulnere ſine terebratione curando* Wittemberg. 1748. Oſtendit hæc vulnera, quæ vulgaris opinio difficillima facit, abſque labore conciliari. 201

XI. LUDOLPHI HENRICI RUNGE, noſtri aliquandiu auditoris, diſp. *de morbis præcipuis ſinuum oſſis frontis & maxillæ ſuperioris & quibuſdam mandibulæ inferioris.* Rintelii 1750. Mala chirurgis ne nominata quidem cum novis inſtrumentis tradit, quibus manus medentis ſibi ad hos anfractus interni capitis viam aperit. 205

XII. J. CASPARI SCHOBINGERI diligentis olim Yveſii & Winslowi diſcipuli, *de fiſtula lacrimali*, Baſil 1730. non quidem nunc raram, ſed recte deſcriptam curationem continet, quæ perforato oſſe unguis obtinetur. 229

XIII. Poterat forte abeſſe PETRI CHRISTOPHORI BURGMANNI *de ſingulari tunicarum utriuſque oculi expanſione* epiſtola Roſtochii 1729 edita, quæ morbum, ſi ita licet ea voce uti, cadaveris & longe conicum prolapſum corneæ in ſuſpenſo reo delineat. 251

XIV. ÆGIDII CRATONIS KECK *de ectropio* diſp. Tubingæ 1733. habita,

multa peculiaria & imprimis cataractæ membranaceæ duas historias continet, & diarium legitimæ curationis. 271

XV. Incipiunt hic egregiæ ill. olim Archiatri BURCHARDI DAVIDIS MAUCHART de morbis oculorum disputationes, quæ præcipuum pretium hujus primi voluminis efficiunt. Discipulus Woolhousii, minus autem præceps præceptore suo, in morbis oculorum curandis magnam partem studiorum & laborum suorum posuit, summo suo cum decore. Quæ eruditi viri plurimus rerum usus detexit, hic continentur, nulla enim præter hæc ejus scripta supersunt. Ergo prima sit disputatio, *de tumoribus cysticis palpebrarum & singulari steatomatico scirrhoso tumore e palpebra superiori excisso.* Tubing. 1750. neque enim ordinem temporum, sed partium potius secutus sum, quarum vitia descripsit VIR ILL. Apparet, & ubique apparebit, plurima lectio veterum, subtilis nominum & morborum distinctio, cum memoria rei gestæ feliciter conjuncta. Candidé vero & hic & ubique præsidia aperit, quæ vel à manu, vel à medicamentis mutuabat vir clar. & diarium curationum, quales historiæ nunc plurimum, etiam à physicis, laudari solent. 291

XVI. IDEM *de ophthalmoxysi nov-antiqua, seu Hippocratico Woolhousiana*, Tubing. 1726. celebrem eo tempore administrationem describit, qua solebat Woolhousius aliquantum sanguinis penicillo ex aristis secalinis facto elicere. Autoritas tunc plurima huic instrumento erat, & arcana fere materies. 315

XVII. Ejusdem, *de maculis corneæ* disp. Tubing, 1743 imprimis propriam observationem habet maculæ in ea membrana, quæ senibus frequens & molesta est. 339

XVIII. *Tobiæ leucomata* ibid. eod. anno descripta ad curiosam chirurgiam pertinent. Totam rei gestæ historiam subtilius aggressus suspectam reddit, & plurima ubique fabulæ vestigia reperit. 365

XIX. *Unguis oculi*, de quo egit Tubing. 1742. est ulcus corneæ lamellis ejus membranæ interjectum. 380

XX. *Ulcera* vero *corneæ* ibid. eod. anno dicta non clausa, sed in alterutra facie corneæ aperta sunt. 396

XXI. *De fistulis corneæ* ibid. eod. anno præter accuratam horum malorum divisionem, subtilem etiam administrationem tradit, qua callus tollitur, & qua sinus corriguntur. 415

XXII. *De Synechia* ibid. 1748. historiam pessimi mali, difficilem curationem chirurgicam, utilitatem denique hujus mali ad alia graviora mitiganda tradit. 435

XXIII. *De pupillæ phthisi & synizesi* 1745. Exempla aliqua diminutæ pupillæ, causæ variæ, curatio WOOLHOUSIANA & CHESELDENIANA hic exstant. 452.

XXIV. J. GOTHOFREDUS GUNZ *de staphylomate* disputavit Lipsiæ 1748. Is vir Ill. dum vixit, variis inimicitiæ suæ testimoniis me infestavit. Verum non oportet eum dolorem intercedere, quin ea mihi laude digna videantur, quæ vere omnino in eo magna fuerunt. Cum eruditione & lectione veterum auctorum, chirurgiæ peritiam, & laudem felicis praxeos conjunxit, & in anatome etiam cum diligentia versatus est, suisque meritis ad archiatri munus sibi viam aperuit. Erat autem mens ipsi paulum in alios, quorum decora viderentur suis obesse, iniquior, parcusque vixit laudator & infrequens. Mihi ob maxillaris internæ arteriæ rectius descriptæ æmulationem infensior fuit, quam oportebat esse, certe alienarum laudium adeo cupido scriptori. Verum hæc odia cum ipso tumulata sunt! Aliquot certe chirurgicæ disputationes mihi mereri visæ sunt, ut hic, honesto inter MAUCHARTANAS loco, recuderentur. Hæc quidem de qua nunc ago, opinionem minus veram continet, aut nunquam aut raro omnino uveam per corneæ vulnus prolabi, atque reprehensionem Ill. MAUCHARTI meruit, quæ proxima disputatione continetur. Verum etiam cum hoc vitio multæ per experimenta natæ observationes insunt. 475

XXV. BURCHARDUS DAVID MAUCHART in disp. *de Staphylomate* Tu-

bing. 1748. Cl. Gunzii disputationem, quam modo dedimus, passim correxit, uveæ prolapsum per exempla restituit, diversas species staphylomatis copiose definivit: curationes mitiores, quæ situs ope, aut modicæ compressionis fiunt, sollicite descripsit, transfutionem rejicit & sequitur curationem Wolhousianam. 499

XXVI. Carolus Frid. Kaltschmied in progr. *de oculo ulcere cancroso laborante feliciter extirpato.* Jen. 1748. hoc infortunium adstringentibus medicamentis tribuit, eaque ab oculorum inflammationibus jubet exulare. 541

XXVII. Burc. David Mauchart *de mydriasi* rariori morbo, quem inter recentiores ocularios medicos pauci tetigerunt: removet ab eo falsam persuasionem, objecta minora apparere: observat, non semper in cataracta pupillæ vim contractilem perire: describit & contra nos defendit fibras circulares uveæ, quas nos, posterioribus in periculis, nunquam vidimus, ne microscopio quidem admoto. Tubing. 1745. 545

XXVIII. Ejusd. *de hydrophthalmia* Tubing. 1744. Aliqua anatomica præmittit, iridemque convexam esse cum Petito negat, quam nos in animalibus tamen convexam esse certo vidimus. Figuram etiam lentis cristallinæ mutari a filamentis ciliaribus minime admittit. Cæterum curationem ad aliam occasionem differt. 575

XXIX. Ejusd. *de paracentesi oculi* Tubing, 1744. Operationem vix a quoquam descriptam instrumentum a Woolhousio promissum magis quam dictum, tum alteram exponit methodum, qua Turbervillius, celebris in Anglia ocularius medicus, olim humorem aqueum emittere & meliori mutare conatus est. 587

*FINIS TOMI PRIMI.*